



7 a. 5. 16

1829. m. p. p. w. a. 3

*Handwritten text, possibly a list of names or a signature, including "D. Philippus" and "Gymna Saavedra".*




3  
26-110



3 500 40  
Kodak  
MADE IN U.S.A.

18 N. 1329. m. p. 2000


Bibliotheca S. Philippi in Civitate Saanen Monasterii,  
et Parochia oppidi de S. Philippo, in Cantuaria  
Angl. Gallij oppidum Agobolii Comitat. An. 1675.



7 a. 5. 16

3

26-110



Del Colegio de la Compañía de Jesús de Granada 388  
R. 5861

DEFENSIONIS  
**FIDEI MAIORUM**  
**QUAM DE VERA**  
ET REALI CORPORIS CHRISTI IN EV-  
CHARISTIAE SACRAMENTO  
HABERE PRÆSENTIA,  
LIBER,

IN ACTIONES OCTO DIVISVS; IN QUI-  
BUS PLYS QVAM TRECENTIS ET QVINQVAGINTA  
rationibus, ex puro & expresso Dei verbo desumptis, veritas dictæ fidei  
comprobatur, & contrarij Sacramentariorum hære-  
ticorum confutantur errores.

AUCTORE R. P. CHRISTOPHORO DE CAPIT-FONTIVM, AR-  
chiepiscopo Casariensi, atque totius ordinis Minorum quondam  
Generali Ministro.

Quid quæque Actio contineat, ex subsequenti Caputum  
Indice cognoscetur.

*Omnia Sanctæ Ecclesie Catholice, sanctæ & g. sedis Apostolice Romanae  
iudicio submissa sunt.*



*Ex commendatione Officij  
Inquirit. Ceteris hic correctis  
Et iuxta præscriptum nu-  
meri Indici preparatory.  
Granada anno 1706.  
em aduer-  
a confuta-*



COLONIAE,  
Apud Maternum Cholinum.  
Anno cl. 17. LXXXVII.



# M A T E R N V S C H O

L I N V S P I O A T Q V E C A N D I -  
D O L E C T O R I S . P . D .



*P V S p r æ s e n s , q u o d t i b i , c a n d i d e l e c t o r , o f f e r i m u s  
R e u e r e n d i i n C h r i s t o p a t r i s D . C h r i s t o p h o r i d e C a -  
p i t e - F o n t i u m , A r c h i e p i s c o p i C a s a r e æ , s i m a t e r i -  
a m e i u s s p e c t e s , v e r è a u g u s t u m e s t , u t p o t e i n q u o  
d e a u g u s t i s s i m o c o r p o r i s D o m i n i c i s a c r a m e n t o , i l -  
l i u s q u e v e r a e s r e a l i i n E u c h a r i s t i a p r æ s e n t i a ,  
q u a m C a t h o l i c a E c c l e s i a i u x t a e x p r e s s u m D e i v e r b u m , v e l a b i p -  
s i s A p o s t o l o r u m t e m p o r i b u s , v b i q u e t e r r a r u m e s c r e d i t e s c o n f i -  
t e t u r , c o n t r a B e r e n g a r i u m , C a l u i n u m a c B e z a m , e s h o r u m o m -  
n i u m a s e c l a s a u i n o s t r i S a c r a m e n t a r i o s H e r e t i c o s , p e r t r a c t e t u r ;  
i d q u e m e o q u i d e m i u d i c i o t a n t a r a t i o n u m a r g u m e n t o r u m v e v i  
a t q u e c o p i a , i s s e m q u e a d e o s o l i d i s a c l u c u l e n t i s , n o n t a m e n a t u r a -  
l i p h i l o s o p h i a , q u a m e x i p s o p u r o p u t o D e i v e r b o d e p r o m p t i s , u t  
q u a m v a n a , f a l s a , a b s u r d a , p l a n e q , s t o l i d a s i t a d u e r s a r i o r u m n o -  
s t r o r u m a l i t e r s e n t i e n t i u m p e r t i n a x o p i n i o , n e m o , n i s i q u i o m n i s  
i n g e n i j m e n t i s q u e s i t e x p e r s , l i q u i d o a n i m a d u e r t e r e n o n p o s s i t .  
L i c e t a u t e m n o n d e s i n t v i r i p r æ c e l l e n t e s , q u i e r n d i t i s s i m e q u o q u e  
e a n d e m h a n c m a t e r i a m p r i u s p u b l i c è s c r i p t i s s u i s e d i t i s i l l u s t r a -  
r i n t , v i x t a m e n e x o m n i b u s a r b i t r a m u r h u c u s q u e e x t a r e , q u i p a -  
r i s i m u l e s i n g e n i o e s d e x t e r i t a t e p e r s p i c u i t a t e v e n o n m o d o r a t i o -  
n e s , q u i b u s M a i o r u m P a t r u m e c c l e s i a f i d e s , d e r e a l i c o r p o r i s  
C H R I S T I i n E u c h a r i s t i a s a c r a m e n t o e x i s t e n t i a , c o n f i r m a t u r ,  
i n m e d i u m p r o p o s u e r i t ; v e r u m e t i a m q u a c o n t r a e a n d e m a d u e r -  
s a r i j n o s t r i v a r i a e a v e p a r a d o x i c a c o l l i g u n t a r g u m e n t a c o n f u t a -  
r i t , h i s q u e i p s i s a d D i a l e c t i c e n , t a n q u a m a d l y d i u m l a p i d e m d i l i -  
g e n t e r t r u t i n a t i s e s e x a m i n a t i s , i l l o s n o n n i s i i m p i e s u a p h a n t a s -  
m a t a v e l d e f e n d e r e v e l a d u m b r a r e s o p h i s t i c e c o n a t o s e s s e , t a m m a -  
n i f e s t è d e c l a r a u e r i t . S e d q u i d a t t i n e t o p e r i s d i g n i t a t e m u t i l i t a -  
t e m i e , a u c t o r i s q u e i n d u s t r i a m p l u r i b u s c o m m e n d a r e ? N a m c u m  
v l t r o h a c s e s e i n e o o f f e r a n t , l u c e q u e m e r i d i a n a c l a r i u s o s t e n t e n t ,  
d u b i u m n o n e s t , q u i n d e h i s c e p i u s q u i s q u e l e c t o r , v b i o p u s h o c c e a t -  
t e n t i u s p e r l e g e r i t , e s p r e s i u s s i n g u l a i n e o c o n s i d e r a n e r i t , i p s e f e r a t  
i d e m v n a n o b i s c u m i u d i c i u m . C a t e r u m q u o d i s t u d s i n e a u t h o r i s*

(?)

2

ipsius

ipsius epistola dedicatoria, quam is praemittere sine dubio constituerat, a nobis edatur, causa hac est. Cum enim opus hoc a nobis satis tempestive ex auctoris mandato confectum, & adparatum esset, nec auctor, forte impeditus, epistolam illam instante iam mercato Francofordiensi adhuc transmississet, non putavimus committendum, ut diutius supprimeretur, at potius ad eundem adferretur, quod sic, qui libri huius divulgationem avidè iam pridem expectabant viri pijs atque docti, fructu illius ulterius non destituerentur. Deinde cum ijs ipsis privatim, tum maximè in univ-  
 versum Christianae Reipub. quoque eadem opera per nos consuleretur. Permovit enim me ad hanc editionem primum impensa auctoris sollicitatio, deinde sperata operis utilitas: Perpulit item ad id me etià vehementer, quod conspicerè huiusce auctoris cum alias quasdam suas lubricationes Lutetiae & Antverpiae excusatas: tum huius quoque nostri operis primam Actionem seorsim Romae impressam iam antea fuisse. Huiusce porro, Candide lector, te amanter admonitum volo. Doctorum ingenij sui libertate mos est, ut aliquando peculiaris opinionis voluptate, illa sed vera Catholica doctrina, labantur: qualem opinionem aliquam si in hoc opere inspersam deprehenderis, ne offendere, sed pie potius eandem interpretator, operis quoque scopo, qui est de veritate SS. Corporis & sanguinis Domini, innititor, atque omnia ab auctore cum Ecclesiae Catholicae, tum S. sedis Romanae iudicio submissa esse, certò tibi persuadeto. Quò verò ornatius aliquanto ac plenius etià opus hoc in lucem prodiret, ad calcem illius rerum ac sententiarum, qua notata digna in eodem occurrerent, indicem subiecimus: tametsi is adeo necessarius esse minime videbatur, partim quod hunc abunde suppleat argumento rum, qua singulis capitibus sunt pertractata, congeries operi ipso praemissa: partim quia octava eaque ultima actione rationes omnes numero circiter 350. quibus ad stabilendam Maiorum fidem antea auctor passim in hoc opere usus fuerat, succinctè suoque ordine in unum quoque recolligantur. Atque horum, inquam, Benigne lector, te praevidendum arbitramur. Interim verò pro tuo candore praesens hoc nostrum tibi gratificandi studium prope sequi nostrae in te voluntatis declarationem benè accipe, simulque opere ipso, quod magno certè auctoris viri doctissimi ingenio elucubratum est, ad Dei gloriam Christianaeque  
 Reipublicae commodum utere fuerè que  
 feliciter, ac Vale.

OPE-

OPERIS HUIUS IN  
 SACRAMENTARIOS HAE-  
 RETICOS, CAPITVM  
 INDEX.

- Actionis primae Capita.
- Caput I. **Q**VAE ad fidem de sanctissimo Eucharistiae Sacramento spectant, nulla ratione naturali comprehendi possunt, crediturque sunt difficilissima. quare & facilius contrarij quique errores hominibus modicae fidei persuaderi possunt. fol. 4.
- II. Cum quis corporeae aut aeternae morti adiudicandus est, criminum, quae ei obiciuntur probationes luce clariores esse oportet. fol. 8.
- III. Quod ex solo literali scripturarum sensu ad convincendos errores validum eruat argumentum, unde & ex eo solo maiores errores legitime convinci possunt. fol. 9.
- III. Hic praecipua scripturae loca ponuntur, quibus aut Evangelista, aut D. Paulus aliquid pro Sacramenti huius elucidatione commemorant, quibus etiam maiorum fides innititur. fol. 11.
- V. Cum controversiae huius uti adversarij placet vera dissolucendi ratio sit ex literali scripturarum sensu, restat ut suppositorum Christi verborum literalem sensum esse probemus, quem eis Maiores indiderunt. fol. 14.
- VI. Ratio observanda, ut facile intelligatur quis sit verus ac literalis Dei sensus. fol. 15.
- VII. Miraculum à Christo prius quam de hoc Sacramento loqueretur aditum, magni illius miraculi quod facturus erat cum carnem suam toti orbi manducandum in hoc Sacramento exhiberet, typus fuit. fol. 16.
- VIII. Quod loquendi modus quo in hoc sexto Ioannis capite usus est Christus, dum de Sacramento loqueretur, diligenter observari debeat, ut qualis carere sit de qua agebat commodius intelligatur. fol. 19.
- IX. Octo epithetis, quae in hoc Evangelio, citò illi, quem Christus promittebat, attribuitur, necessario concluditur, cibum hunc veram esse, Christi carnem de qua hic agitur. fol. 21.
- X. Quibus sit iste cibus nemo melius Christo nos docere potest: ipsius proinde & non hominum verbis adhaerendum oportet. fol. 23.
- XI. Quod prima illa voce (ego) abundè satis Dominus explicaverit, quae de re loqueretur, cum nobis panem vitæ promitteret. fol. 24.
- Sententia huius explicatio: Et panem quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. fol. 25.
- Quod Christi verbis, superius explicatis, plures errores, Maiorum fidei ex diametro pugnantes, improbenitur. fol. 26.
- Ex eo quod Iudaei audito Christi verbo, de sua carne manducanda non de sensu eius disputaverint, sed de ipsius Christi potentia, concluditur, verum illius sensum esse, quem Maiores semper tenuerunt. fol. 28.
- Quemadmodum Christiani Iudeorum ac omnium Quomodo istarum questionibus, qui suis argutis fidem nupugnanti, respondere debeant. fol. 29.
- Quibus verbis Christiani: Iudaicis, haereticis alijsque similibus, quae fidei eorum, Dei verbo innitenti, opponuntur, questionibus & argutis respondere debeant. fol. 31.
- Quod respondendi formula, quae usus est Christus, ut Iudeorum argutis responderet argumentum sit certissimum, ipsum re vera de sua carne loqui voluisse, sicuti Maiores nostri probe intellexerunt. fol. 34.
- Quod ex ipsa iurandi formula, quae usus est Christus, cum de carne sua loqueretur, invincibile quoddam argumentum Maiores nostri deduxerint, ut comprobarent ipsum non alia de re quam de propria carne & sanguine suo fuisse loquutum. fol. 35.
- Aliam verborum Christi circumstantiam quae comminatoria est, iuxta literalem sensum Christi verba accipienda esse. fol. 38.
- Quis sit horum Christi verborum sensus: Et qui manducat meam carnem, &c. Et de argumento, quod ad Maiorum fidem comprobendam inde sumitur. fol. 40.
- Explicatio Dominicae huius sententiae Caro mea vere est cibus &c. fol. 43.
- Quod non nativa tantum Christi verborum significatio, sed apta quoque sententiarum eius connexio, argumento sit, legitimum verborum eius sensum esse, quem Maiores nostri semper secuti sunt. fol. 46.
- Quod quisquis Christi bonitatem accurate perpenderit, credere compelletur, nunquam eum ita clarè de carne sua loquutum fuisse nisi ita prorsus intelligi voluisset. fol. 47.
- Inunctiva in eos qui superius positus Christi verba



INDEX CAPITVM

- LXXX. Quod Christus cum hoc Sacramentum instituit, hic calicem accepit, pro Maiorum nostrorum fide stabilienda, multum valere. fol. 217.
- LXXXI. Quod inuitat a hac gratiarum actio, qua Christus super calicem egit, magna alicuius reibi perpetrare argumentum sit. fol. 218.
- LXXXII. Quod circumstantia benedictionis a Domino super calicem facta, diligenter quoque adnotanda sit, ut ipsius verba rectius intelligantur. fol. 219.
- LXXXIII. In hac sententia (hic est sanguis meus) Pronomen (hic) nihil aliud nisi sanguinem demonstrare. fol. 220.
- LXXXIII. Quod nominis ipsius vini, in nomen sanguinis mutatio huiusmodi realem quoque rerum significatarum mutationem denotet, cuiusmodi Maiores nostri crediderunt. fol. 221.
- LXXXV. Quod vox ista (sanguis) vti in hac enunciatione ponitur (Hic est sanguis meus) non pro alia re, quam pro vero sanguine Christi accipi debeat. fol. 223.
- LXXXVI. Quod Pronomen istud (meus) ad Patrum nostrorum fidem stabilendam multum conferat. fol. 225.
- LXXXVII. Ex illa dictione (nomi) qua testamento apponitur, validum pro maiorum fide argumentum elici posse. fol. 227.
- LXXXVIII. Secundum ratio, que ex voce hac (nomi) pro maiorum fide ducitur, fol. 227.
- LXXXIX. Tertia ratio ex illa voce (nomi) sumpta. fol. 228.
- LXXX. Vox illa (testamenti) ad Maiorum nostrorum fidem comprobendam, plurima argumenta suppeditat. fol. 229.
- LXXXI. Alia probatio ab Etymologia testamenti sumpta, qua superius posita Christi verba, absque figura exponenda esse monstratur. fol. 231.
- LXXXII. Testamenti definitio (quam Dialectici qui rei vocant) multa quoque nobis argumenta suppeditat, ut CHRISTI verba absque figuris exponenda esse doceamus. fol. 232.
- LXXXIII. Aliud argumentum a posteriori testamenti definitione sumptum. fol. 235.
- LXXXIII. Aliud rursum ex testamenti definitione argumentum, ad aduersariorum expositionem refellendam. fol. 236.
- LXXXV. Alia probatio ab ipsius testamenti definitione ducta. fol. 236.
- LXXXVI. Alia probatio a testamenti definitione sumpta. fol. 238.
- Relatum illud (qui) in CHRISTI LXXXVII. verbis, vera est eius, quod ante dixerat explicatio. fol. 238.
- Quod Maiores nostri tot rationibus adducti, nunquam aliter verba hęc, Hoc est corpus meum, quam literaliter, exponere nisi sunt. fol. 239.
- Hęc verba, (Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) absq. figuris interpretanda esse. fol. 240.
- Quidnam vox illa (calix) in dictis Christi. C. sti verbis significet. fol. 241.
- Quot modis accipiatur testamenti nomen. CI. fol. 242.
- Quemadmodum prædicta Christi verba absque figuris explicari possint, & quod testamentum hic aut pro dono, aut pro ultime voluntatis Christi declaratione accipi debeat. fol. 243.
- Quas probationes ex his verbis ita expostis, pro maiorum fide confirmanda colligamus. fol. 244.
- Diligenter considerandum esse, cur Deus sanguinem suum, nouo populo suo dederit, ut ipsius verba recte intelligi possint. fol. 245.
- Ex eo quod Christi sanguis, ad ipsius testamentum consignandum, nobis donatus sit, euident, quo Sacramentorum panis ac vinum rejiciatur, argumentum eruitur. fol. 247.
- Ex alio corporis, & sanguinis Christi. C. vi. suius auita fidei ratio facile intelligi potest. fol. 249.
- Aliud argumentum pro Maiorum nostrorum fide confirmanda, ex alio sine, ob quod istud Sacramentum, Christus cum suum conderet testamentum, institueret voluit sumi potest. fol. 250.
- Quod Sacramentum istud in mortis Christi memoriā institutum, aduersariorum errorem plane respuat, ac alia adhuc pro maiorum fide argumenta suppeditat. fol. 252.
- Aduersarij hac Domini verba ab Apostolo scripta (Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) licet suo more torquant, tamē ut ipsi Christum aliud quam suum sanguinem significasse demonstrent, efficere nullo modo possunt. fol. 253.
- Aternitatis epitheton testamento nostro adnexum, valde solidum, atq. efficax est, pro Maiorum nostrorum fide, argumentum. fol. 254.

Hęc

ACTIONVM IN SACRAMENTARIOS.

- Cxi. Hac noui testamenti, quam modo ostendimus, aternitas, perpetua sacerdotis successione intelligentiam nobis adfert, & de sacerdotali autoritate. fol. 256.
- Cxii. Ex his CHRISTI verbis, non quemlibet Christianum, esse sacerdotem, ostenditur. fol. 258.
- Cxiii. Perpetua successio, per Apostolorum delegationem, (quia alios ad hanc dignitatem recipiebant) facta, certum verum Ecclesie verumque fidei argumentum est. fol. 260.
- Cxiiii. Quorum verborum virtute sacerdos consecret, & quodnam ex his verbis, Hoc facite, & c. pro Maiorum fide argumentum erui possit. fol. 262.
- Actionis sextæ Capita.
- Capit. Cxv. **E**X D. Pauli de hoc sacramento verbis pluribus pro Maiorum fide probationes, elici possunt. fol. 267.
- Cxvi. Alterum argumentum ex dictis Pauli verbis sumptum. fol. 269.
- Cxvii. Tertium argumentum, ex punitionis magnitudine eorum, qui indigni, & absq. sui ipsius probatione, hoc sacramentum suscipiunt. fol. eodem.
- Cxviii. Argumentum quartum, quo probatur D. Paulum, hic non de spiritali, & que per fidem fiat, corporis Christi manducatione, sed de reali & corporea loqui. fol. eodem.
- Cxix. Iudicij huius, ac damnationis causa, qua hic assignat Apostolus, aliud pro reali presentia corporis Christi, argumentum nobis suppeditat. fol. 270.
- Cxx. Sextum argumentum, ex vindicta temporali, & corporea sumptum, quam incurrunt, qui Domini corpus non discernunt. fol. 271.
- Cxxi. Ex D. Pauli verbis, Calix benedictionis, cui benedicimus, nōnne, communicatio sanguinis Domini est? & c. solidum pro Maiorum fide argumentum ducitur. fol. 272.
- Cxxii. Hęc alia Pauli verba, unus panis & unum corpus multi sumus, & c. aliud pro fide nostra necessario concludens argumentum suppeditant. fol. 273.
- Cxxiii. Alia duo, ex quibusdam alijs Pauli verbis, pro Maiorum fide, argumenta sumuntur. fol. 275.
- De reali presentia corporis Christi in Eucharistia sacramento, fidei Maiorum nostrorum articulus. fol. 277.
- Cxxiiii. Cui in fidei nostre articulo non ponamus vocem (per fidem) qua tam frequenter utuntur aduersarij. fol. 289.
- Nullum medium inter esse realiter, & non esse realiter, inueniri potest, quo fit, ut omnis Caluini opinio, nihil esse possit. fol. 292.
- Alia in Caluini sententia venatio, ut ex obscuris verborum, ac locutionum suarum antris extrahantur. fol. 296.
- Actionis septimæ Capita.
- R**egula interpretandi scripturas, que Caput ut aduersariorum obiectionibus recte respondeatur, diligenter adnotande sunt. fol. 301.
- Eorum verborum qua Christus protulit, postquam carnem suam, se hominibus manducandam daturum promiserat, super quorum obscuritatem aduersarij errores suos stabilire volunt, expositio. fol. 305.
- Christi verborum, Hoc vos scandalizat, Si ergo videritis filium hominis, & c. expositio. fol. 307.
- Quenam sit vera huius Christi sententia intelligentia, Caro nihil prodest, Spiritus est qui viuificat. fol. 309.
- Quomodo ad suscipiendam, superius à me positam verborum horum, Caro non prodest quicquam, expositionem, quendam Caluini tam coegerim. fol. 311.
- Quod ex his Christi verbis, Spiritus est qui viuificat, nihil contra fidem nostram recte colligi possit. fol. 318.
- Quis sit verus horum Christi verborum sensus, Verba qua ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. fol. eodem.
- Quedam pro Maiorum nostrorum fide argumenta, ex reliquis, que apud Ioannem sexto capite restant, verba sumpta. fol. 320.
- Responsio ad alia quedam scripturæ loca, quibus aduersarij fidem nostram oppugnant. fol. 324.
- Deum efficere posse, ut unum, atque idem corpus, eodem temporis momento, in caelo sit, & in terra. fol. 330.
- Multis adhuc alijs rationibus, unum, ac idem corpus, simul varijs in locis esse posse ostenditur. fol. 332.
- Christus

INDEX CAPITVM

- CXXXVIII. *Christus ut homo, pluribus in locis, etiam secundum scripturam simul potest esse.* fol. 333. *Epitome, ac veluti omnium rationum, atque argumentorum haecenus ex Dei verbo, ac eius circumstantijs desumptorum ἀνακεφαλαιωσις, quibus auctor (iuxta Maiorum nostrorum fidem) realem Dominici corporis, in Eucharistia sacramento praesentiam, manifeste comprobatur. Quarum rationum maior pars in libri huius capitulis inferius citatis copiosius declaratur, unde eo, ut melius intelligantur, recurrendum erit.* fol. 339. CXXXI.
- CXXXIX. *Paulus credit, Deum efficere posse, ut humanum corpus simul pluribus in locis esset.* fol. 334. *quibus auctor (iuxta Maiorum nostrorum fidem) realem Dominici corporis, in Eucharistia sacramento praesentiam, manifeste comprobatur. Quarum rationum maior pars in libri huius capitulis inferius citatis copiosius declaratur, unde eo, ut melius intelligantur, recurrendum erit.* fol. 339.
- CXXX. *Argumenti quod ex ea sententia, qua Christus se de hoc mundo ad patrem transire dicit, aduersarij obijciunt, refutatio.* fol. 336.



# ACTIO PRIMA

IN SACRAMENTARIOS

HAERETICOS,

*QVA EX CHRISTI, IOANNIS SEXTO*

*capite verbis, eorumq; circumstantijs, veritas, corporis eius in Eucharistia sacramento, evidentissimis demonstrationibus comprobatur.*

P R O L O G V S.

AD LECTOREM.



N tibi, candide lector, apologia nostrae volumen, pro maiorum nostrorum religionis ac fidei defensione in manus tradimus. Tui candoris officijque erit, nostrum opus tã beneuolo gratoq; animo suscipere, quã prompta deuotaq; publice utilitati mente in eo nõ indiligenter elaborauim⁹. Quod si seriũs aliquãto pensum hoc nostrum videmur absoluere, cogitare debes, moram haud inutilem esse, quæ opus antè impolitum ac rude, multis rationibus argumentisq; auctum, ad quædam natiuitatis incrementa perduxit. Cæterum, antequã hanc argumentorum atq; rationum varietatem copiãque proponam, admonendum te putauim, non omnia esse eiusdem momenti, vt enim in exercitu, qui non solum viribus, sed etiam numero constat, ita fortissimi milites eliguntur atque laudantur, vt aliorum, in quibus minus est virtutis ac roboris, nõ damnetur industria, præsertim cum omnibus militiæ fructus propofita sit vna victoria, sic in hoc opere nostro quædã argumenta sunt efficacissima suo pondere, alia fortasse minus valida. Sed hæc fuerit nobis tanquam leuis armaturæ prima orationis excursio, illis autẽ cominus agemus, experiemurque, si possumus cornua commouere disputationis aduersariæ, omnia tamẽ sibi aptè coniuncta; sub iisdem veritatis signis militantia, mutuo auxilio nixa, nõ

dubiam sibi de hæreticæ perfidiæ mendacio victoriam pollicentur. Itaque vt de hoc opere nostro recte iudices, illud tibi in mentem veniat, mihi non solum propofitum esse, vt lectorem doceam, quod paucioribus verbis fieri poterat, verum etiam vt flectam, atq; in iisdem, quibus eius maiores militarunt, castris contineam. Eò fit, vt plura, quàm initio propofueram, verba consumam. Ad hæc quoniam simplicioribus quibusq; & idiotis, quibus omnem fidei nostræ summam atque rationem, quantum ad Eucharistia sacramento attinet, explicandam putauim, elaboramus, vt illorum iudicium aduersariorum fabulis atque mendacijs fortè corruptum, ad sanitatem reuocaremus, factum est, quod necessarium videbatur, vt nullo in argumento dicendi finem faciam, antequã illud ita explanem, oculisq; subijciam, vt ab omnibus intelligi possit. Proinde cum aliquid mihi persuadendum sumpsi, illud multis modis explicans verso, in eoq; quantum in me est, elaboro, vt lectori & causæ nostræ æquitatem & aduersariorum iniquitatem, errorem, insaniam, tanquam in tabula pictam, spectandamque proponam. Qua in re Herculis alicuius ardorem sequor. Vt enim is Hydram aut Cerberum aliudve monstrum impugnans, semel vulnerasse parum ducebat, nisi quod sibi sumpserat expugnandum plagis sæpè repetitis cereretur esse contusum atque prostratum: ita hæc errorum atque hæreson portenta, tanto illis nocentiora, quanto in plu-

A rium

rium, non solum hominum, sed etiam Prouinciarum atq; Gentium pestem manifestamque perniciem, neque solum in corpora, verum etiam in ipsas animas occulta fraude grassantur, non meis viribus, sed Dei auxilio debellaturus, ictus ingemino, vulnera vulneribus onero, idemq; variatum ac mutatum sapius repeto, vt ad extremum lectoris animum expugnem, cumque vel victum, iam que nostrum, in veritatis castra perducam, vel repugnantem erroris infania conuincam. Si cui autem hac nostra diligentia non probatur, audiat non solum vulgi, sed etiam summorum virorum tritum scemone proverbium, *δὲς δὲ τρις τὸ κελδὸν*, id est, Quod pulchrum est, iterum tertioque dicendum est. Vt enim ea vis inest rebus egregijs, vt quo sapius ac prescius inspicuntur, hoc magis placeant: Et quemadmodum ait Horatius: Quæ si propius stes, te capiet magis, ac decies repetita placebit: contra quæ fucata sunt nonnumquam initio arident, mox repetita fordescunt: ita ipsius veritatis facies, qua nihil honestius, nihil pulchrius, nonnulla orationis, quasi colorum varietate pingenda est, vt quibus mēdacionum blandientium succus impositus, ab ijs errore discusso, veritas non semel, sed sapius ostensa teneatur. Proinde si doctis viris aliquanto prolixior, quam illorum ingenium eruditioque desiderat, videor, nostrum in studium boni consulent, præsertim cum idiotis ac simplicioribus quibusque, quibus hæc elaboramus, nostra sapius accommodetur oratio. Quæ cum ita sint, neminem eiusdem argumēti repetitionem, quæ lectori nonnumquam fortassis occurret, reprehensurum esse cōfido, maximè cum ante dicta, postque repetita & inculcata memoriæ, quæ nihil fugacius est, altius insigantur, vt illud interim omittam, quod plerumque in repetitione nonnulla aptius explicantur, commodiusque dicuntur, quam initio dicta fuerant, quod fit, vt propter vnus alterius fastidium, hanc è libro nostro non putauerim esse radendam, quod eo maximè faciendū putauī, quod qua de re in eo tracto, dum Christus locutus est, toties idem repetitis vicibus dixit, vt exemplo omnibus fuerit, idem illis hac in causa faciendum esse, vt in huius libri progressu su-

Plato in Phileta, in Gorgia, & de leg. dijsque in locis.

Horatium.

sius explicaturi sumus. Diuo Augustino perpetuum in suis scriptis multiloquium obijcitur à quamplurimis, quod ei accidisse aiunt docendi studio, dum cupit, quæ scribit, etiam à parum eruditis ac tardis intelligi. Eodem docendi studio dum teneor, idem si mihi acciderit, beneuolum rogo lectorem excusatum me habeat. Quod si quis adducto supercilio, contradistisque naribus hæc qualiacumque subsannat, adeoque delicatus est, criticus ac morosus, vt nil legendum putet, nisi quod Ciceronianum ac politum, aures blandiori sono mulceat, huic nihil amplius dicam, nisi illud è trivio *γλυκὸς ἀπὸ τῆς ἀφροδισιατικῆς*, Dulce bellum inexperto. Proinde stylum figat, ac tria, vt dicitur, verba coniungat, vt illius sapientiam, cum singulari eloquentiæ splendore coniunctam, omnes iure miremur. Patet campus, stat contra hostilis acies, aduersarij nondum arma deponunt. Et vt Virgilianum aliquid inferam. Illū aspice, contra qui vocat, ille inquam, Caluino Bezæque respondeat. Delicatum hominis est, in campo pugnantem, & hinc suo sanguine tincto, inde puluerilento sudore cooperto, ictus dictare de muro, & cum ipse vnguentis delibutus sis, cruentum militem, qui non potest se existimare victorem, nisi aduersarium viderit trucidatum, nimis accusare diligentia. Quod si quis sumpta censoria virgula, voluerit de omnibus scriptoribus ferre sententiam, nihil amplius audiet à nobis, nisi illud Horatij. Si quid nouisti rectius istis, candidus imperti, si non, his vtere mecum. Ego si quidem imbecillitatis meæ conscius, quod habui, prompto animo in medium cōtuli. Quod si huic officio defuissem, quid illi duro austeroque Domino responderem, qui non solum crediti talenti v̄suram exigens, merit vbi non seminavit, & colligit vbi non sparsit, verum etiam seruum, qui non amplius quam vnum talentum acceptum minimè auxit, non habet innoxium, tamen si alij acceptis duobus aut quinque talentis, plus aliquid, quam ille præstare possunt. Sed hoc argumentum à plerisque summis viris ita copiose tractatum esse contendunt, vt noster labor superuaneus esse videatur. Quibus illud interrim respōdeo, inter doctrinæ genus scripto, aut viua voce de eadem re traditum nihil

Lucerna

Lib. 1. de Trin. cap. 1.

nihil esse differentia. Cum igitur illi superiore quadragesima doctissimum cōcionatorem, qui illis occurrentia euangelia scite interpretaretur, audierint, cur in proximum annum alium petunt, nisi quod ipsa varietas auditoribus fastidium discutit? Ita doctrinæ genus à multis variè traditum, curioso lectori, cui & noua voluptati sunt, & v̄sitata fastidio, iucundius esse consuevit. Vtile est, inquit Diuus Augustinus, plures à pluribus fieri diuerso stylo libros, non diuersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Quid? Nonne quemadmodum post terga metentium aliquid reliquum est, quod illorum manus fugerat, ita nullus est scriptor tam attentus ac diligens, quin aliquid eum fugiat, quod posteritati dicendum relinquatur? Id ita se habere, in huius nostri operis lectione perspicies. In eo siquidem multa argumenta, rationes, scripturæ testimonia ad rem maximè pertinentia inuenies, quæ reliqui tractatores ne attigerūt quidem. Ad hæc qui de tam alta sublimique materia conciones ad populum habituri sunt, ijs noster labor, in quo perspicuitati certæque methodo ante omnia operam dedimus, haud inutilis erit. Quæ enim facilia sunt atque perspicua, sua vi in animos hominum influunt, ac facile persuadentur. Obscure verò cum minimè intelligantur, persuaderi nullo modo possunt. Quare, alijs scriptoribus, qui in hac materia explicanda studium suum operamque posuerunt, non solum cruditionis atque doctrinæ, verum etiam eloquentiæ palmam tribuens, hoc vno illos superare conatus sum, quod ea, in quibus illorum elaborauit industria, facilius aliquatō, atque, vt ita dixerim, popularius trado. Non enim doctos viros atque præstantes, qui nostris lucubrationibus non egent, docendos suscepimus: sed

idiotis ac rusticis hominibus ita consulendum putauimus, vt illis & aduersariorum, ne ab ijs capiantur, dolos, & Catholicæ fidei veritatem pingui, vt dicitur, Minerua monstremus. Si quis autem Aristarchus nostrum hoc studium reprehendendum putat, huic alio libro satis multis verbis nos respondisse confidimus. Proinde relictis peruersis quibusque censoribus (quibus per nos licebit graculos esse aquilarum in otio volatus contemplantes) eorumque contempto supercilio, fructe nostris lucubrationibus, tu candidè lector, nostrumque laborem, quo vtilitati tuæ salutique consulitur, boni consule: nobis enim propositum est, hinc maiorum nostrorum fidem, pietatem, sapientiam, in susceptaque Christiana religione constantiam defendere, inde aduersariorum perfidiam, leuitatem, mendacia, vanitatem ostendere, fallaciasque illas, ac sophismatum tenebras, quibus errori suo patrocinium quærunt, veritatis luce discutere. Vnum autem mihi iure meritoque promitto, fieri nullo modo posse, vt quisquis hæc nostra diligenter expenderit, aut de fidei nostræ veritate, aut de aduersariorum errore perfidiaque deinceps dubitet. Quia autem actio non solum pro accusatione, sed pro ea etiam oratione sumitur, quæ in alicuius causæ aut rei defensionem instituitur, aut scribitur: nos autem hoc in libro inde aduersarios accusamus, inde patrum nostrorum, atque adeo ipsius Catholicæ fidei causam propugnauimus, maiores illius partitiones, actiones vocare libuit. Totius itaque consilij nostri rationem habes. Lege igitur, candidè lector, librum hunc, nostrosque labores ac studia tuis precibus iuuua, & in Christo Iesu bene valeas.

QVAE

## CHRISTO. DE CAPITE-FONTIVM

## QVAE AD FIDEM DE ANCTISSIMO EVCHARI-

*stia Sacramento spectant, nulla ratione naturali comprehendi possunt, creditusq; sunt difficillima. quare & facilius contrarij quique errores hominibus modica fidei persuaderi possunt.*

## CAPVT I.



Vum hoc libro, Christiani lectores, fidem qua nostri nobis tradidere maiores, de reali presentia corporis Christi in Eucharistiae Sacramento, veram esse, & sacris scripturis consona, ac ab illis tum ex verbi Dei auctoritate, tum veritate desumptam, comprobandum susceperimus, operae precium esse iudicavi in ipso statim limine, hoc vnum vos commonefacere, quod tum ad recte de tota causa iudicandum, tum ad testimonia diuinarum literarum, quae pro veritatis elucidatione in mediis adferemus, rite percipienda retinendaque non parum constet habere momenti. Causam videlicet nostram duabus potissimum de rebus maximè grauari. Primò propter ipsam diuinissimam atq; augustissimam huius sacramenti alta sublimiaque mysteria comprehendedi, credendiq; difficultate, quae profecto tanta est, ut mirum sit, quo modo humanis ingenijs ea vnam persuaderi potuerint. Secundò, quòd aduersariorum causa, maximè adiuuatur propter ipsam credendi facilitatem, quicquid ex aduersò, & contra fidem astruere ipsi voluerint. Quae quidem credendi facilitas tanta est, ut nullus planè sit neq; Turca, neq; Iudaeus neq; Paganus, neque Philosophus, neq; vllus deniq; mortali-um quantūcumq; pertinax, aut etiam incredulus, cui, ea, quae isti contra diuinum hoc atq; augustissimum sacramentū dicunt, non statim vera esse persuadeant. Eorum enim omnium, qui haec verba Domini legunt, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: aut ista, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, nullus est, qui illis non tantum fidei adhibeat, quantum aduersarij adhibendum esse pronuntiant: hoc est, ij oēs, quicquid tandem Christus de sua carne vel suo sanguine disse-

*Matt. 26.  
Iob 6.*

uit, quicquid aliquando promisit, nihil tamen minus, quam illum veram carnem suam hominibus manducandam, aut sanguinem bibendum dedisse credit. Et sane hoc vnum & solum est, quod à nobis aduersarij postulant, ne scilicet eiusmodi Christi verbis, eam, quam maiores nostri ceterique christiani hactenus adhibuerunt fidem, retineamus: sed ea ita, ut Iudaei, Turcae, Ethnici, ceterique fidei christianae hostes, vera esse credamus. Quod absq; vlla omnino difficultate, mortali-um cuilibet & si ille non amplius reuerentia, aut fidei deferret verbo Dei, quam aduersarij, ita facile, nulloq; negotio persuaderi potest, quemadmodum philosopho, ignem, quem videt, esse ignem, aut coruum esse nigrum, aut niuem candidam esse persuaseris. Non enim maioris fuerit difficultatis, quae de hoc sacramento Berengariani asserunt, credere, quam eas propositiones, quas aut oculis cernimus, aut experientia ipsa discimus, veras confiteri. Quae profecto res magni ipsi adiuumentum praestat, ut hominibus saeculi nostri (in quibus nimirum, ea, quam erga verbum Dei habent, fides, admodum frigida est, & languida: & ea opinio, quae ex naturali philosophia didicere, valida existit, & pertinax) facile persuadeant, quaecumque aduersus antiquorum patrum fidem ore maledico euomere lubuerit. Talibus adminiculis perfida nititur & iuuatur impietas. Maiores autem nostros, tantum verbo Dei honoris, ac reuerentiae semper detulisse certum est, ut ad illud contra omnem naturae ordinem, contra omnem philosophiam, contra omnes earum ratiocinationes ac sophismata, honorifice suscipiendum, credendumque, omnem intellectum, omnesq; vires naturales, in captiuitatem redigere magno conamine elaborarent: Quo factum est, ut cum subdolos ille serpens diabolus, omnem olim per satellitem suum Berengarium lapidem moueret, quo maioribus nostris de hoc augustissimo sacramento, aliud, nescio quid, quam illud quod diuinis literis continetur, persuadere conaretur, id non nisi apud paucissimos dumtaxat Christianos omni astu, ac molimine suo prestare potuerit. Quod non ex ipsa difficultate credendi ea, quae ille dicebat, accidit; sed ex eo potius, quod illis aliquid contra expressum Dei verbum

hum persuadere, fuerat difficillimum. Nostra verò causa longè aliter sese habet: Nam ea, quae de reali praesentia corporis Christi in hoc sacramento, Maiorum fidem tenentes hominibus astruenda suscepimus, tantae sublimitatis sunt, tam parum naturae vi eminentia, tam difficilia intellectu, atq; creditu, ut impossibile omnino nobis sit, ea hominibus aut persuadere, aut etiam comprobare, nisi ijs dumtaxat, qui eam verbo Dei obedientiam, honorem ac reuerentiam deserunt, ut in illius comparatione, naturam cum omnibus suis rationibus, atq; argumentis nihili faciant: sed omnibus, quae ijs verbo Dei credenda proponuntur, firmiter adherere parati sint, quantumuis ea, aut suis, aut quibuslibet etiam alijs humanis ingenijs incomprehensibilia esse videantur. Proinde qui erga Dei verbum ita non fuerint affecti, ne quae, à nobis expectent, ut naturalibus eos rationibus conuincamus, & ijs tanquam aranearum telis atque cassiculis implicatos, ad maiorum suorum de hoc sacramento, fidem approbandam recipendamq; cogamus. Nullum siquidem usq; adeò subtile est humanum ingenium, quod hoc vel experientia, vel rationibus è naturali philosophia ductis, hominibus queat persuadere, aut etiam comprobare. Quae cum ita sint, quis non videat, magnam & mihi & ei causam, quam ago, iniuriam fieri, si pro eius confirmatione, ac defensione, quam quae ex sacro diuinarum scripturarum fonte haurire, pro ingenij mei mediocritate potuero: aliae aut rationes exigantur aut argumenta? Neque verò Christianorum aut mortaliū ququam, qui fidei huius naturam probè perspectam habuerit, aliud pro eius confirmatione à me postulaturum arbitror. Quae propter eos dicta sint, qui ratione naturali mysteria haec scrutari praesumunt, non ad ecclesiae reiicienda testimonia, quae tanti apud pium quemque ponderis esse debent, quati est & scripturae. Quale enim esset si fonte veritatis omissio, rationis hic humanae atque opinionum riuulos confectaret? Quod absurdissimum esse quisquis intelliget, quantum momenti ad confirmationem huius nostrae, de hoc sanctissimo sacramento, fidei ratio naturalis habeat, & quae impossibile sit eam isto modo philo-

sophis persuadere, clarè perspiciet. Hic enim locum praclarum illa Leonis Papae sententia habet. Ratio, inquit, diuini consilij sapientibus mundi patere non potest; nisi humanae ignorantiae tenebras lux vera discussit. Non enim in solo opere virtutum, aut in sola obseruantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei angusta & arcta via est, quae ducit ad vitam, & magni laboris est magniq; discriminis, inter duas imperitorum opiniones, et verisimiles falsitates, per vnam sanam doctrinae temitam, in offensis gressibus ambulare, & cum vndiq; se laquei erroresque opponant, omne periculum deceptionis euadere. Haec magnus ille & sanctus orator Leo Papa, de difficultate persuadendi fidem nostram huius saeculi sapientibus, quae do fidei lumine à Deo coelitis non illustrantur. Et sane nisi fides, quam olim Apostoli praedicarunt, ea persuasionem, quae hodie contra diuinum hoc sacramentum, reluctanti mundo aduersarij obtundunt, creditu difficilior fuisset, quid erat facilis ac planius, quam eam hominibus persuadere? Nemo certè ijs se opposuisset, nemo eos persequutus fuisset, nemo eos aut odio habuisset, aut occidisset: sed omnes tam Iudaei, quam Ethnici, tam philosophi, quam oratores, ijs facillimè credidissent, si nihil amplius in hoc corporis & sanguinis Christi sacramento, quam in alio, quem quotidie manducamus, pane inesse docuissent. Nam ideo impugnantur, ideo irridebantur, ideo populi seductores, ac impostores appellabantur, ideo persecutionem patiebantur, & occidebantur, quod hominibus incredibilia, ac tam parum naturae ordine probabilia, vti est, verbi gratia, in altissimo huius sacramenti mysterio, praedicaret. Quod si dixissent, aliud se nihil, praeter nudum panem, ac purum vinum, vel etiam solum Dominicae carnis & sanguinis signum in coena Dominica hominibus porrigere: facile eos vera dicere, quilibet credidisset, & quod ita esset, oculis se meridiana luce clarius perspicere faterentur. Sed ibi nullum esset meritum, vbi nulla difficultas fuisset ad credendum. Quid enim Deus meriti Christianis ex eo imputaret, quod panem esse panem, vinum esse vinum, ignem esse ignem, ac niuem esse candidam crederent? Nonne & Pagani & Iudei tantundem faciunt?

Fidei enim materia res est nō apparens. Vnde cum Christus Apostolos in mundum, vt cœlestem doctrinā predicarent, mitteret, talia eis prædicanda in mandatis dedit, quæ à natura essent remotissima, & incredibilia, idq; tum vt huiusmodi doctrina intelligeretur profecta diuinitus, tum etiam vt eis credendo, homines plus mererentur: At hæretici, aut si lubet potius per eos diabolus, in contrarium planè nituntur, dum talem hodie mundo doctrinam inuere conantur, ex cuius professione, ac credulitate, nullū sequeretur meritum, nec vllus omnino per eiusmodi fidem Deo placendi relictus locus esset. Nam ad hoc oēs ingenij sui neruos intēdunt, vt articulorum fidei nostrę incomprehensibilitatem naturæ consonā esse persuadeant, & ita credibilem, vt quæ sensibus humanis percipiuntur. Cæterum, quod ad me attinet, quā nobis Deus habebit gratiā nō video, si credamus ipsum, nec substantiā panis in corpus suum, nec substantiam vini in sanguinem posse cōuertere, vel si in hoc sacramēto nihil præter nudū panem, ac merum vinum esse fateamur. Quę enim ea credendi quæ secundū naturā & sensum apparent, ijsq; assentiendi difficultas? Dicit hic aliquis. Si vt dicis, tā facilia sunt creditu, quæ illi prædicat, qui fit igitur, vt vos Catholici, sacerdotes, monachi, religiosi, illis fidem adhibere nolitis? Cur tantopere eos impugnat? Vnde tanta, vt vobis persuadeatur difficultas? Cui respondeo. Omnis difficultas, q̄ est hodie, quominus ad recipiēdas nouorū Berengarianorū opiniones Catholici persuadentur, ex magna, quam plurimi adhuc hodie Christiani verbo Dei deferūt, reuerentia nascitur. Quod sanè Dei verbum, si ipsi ita paruifacerēt, quemadmodum Iudæi, Ethnici, ac infideles alij, iam pridem toti Christiano orbi, vt eorū errores & veri crederentur, & susciperentur, illi persuasissent. Quæ cū ita sint, iniquissime profectō nobiscū agunt isti, dū nos apud discipulos suos traducētes, idēd nos asserunt, fidē ipsi adhibere nolle, quod Dei verbo credere nolimus, cum ē diuerso potius sese habeat: nempe quia verbo Dei firmissimè adhæremus, & ei non credere non possumus, idēd nobis persuaderi nō potest, vt falsis eorum opinionibus, quas ex diametro cum Dei

verbo pugnare cernimus, fidem habeamus. Deū enim testor vt eis credere moueri me facile potuissē, si Christus in totū hac de re tacuisset, & nisi toties replicasset, verum esse ipsum corpus, quod hominibus manducandum, & verum sanguinem, quem eis bibendum dedisset, licet etiam si nullum Dei verbum pro hac haberemus fide, Ecclesiæ nobis sufficere testimonium deberet. Aut si postea quā dixerat carnem suam verè esse cibum, & sanguinem suum verè esse potum: vel si postquam illa discipulis suis, in vltima cœna tradiderat, dicens: Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, si post hæc, inquam, verba, vltimam scripturarum disertè Christus enuntiaret se mentitum fuisse, cum hæc verba pronūciaret, & eius, quod dixerat, contrarium esse verum: dispeream ego nisi aduersariorum sententiæ mox adstipularer. Sed cum id nunquam Deus fecerit, quemlibet Christianum lectorem commonitum, velim, vt animaduertat, apertam esse calumniam, cum nobis impingitur nos Berengario eiusque discipulis credere nō posse, quod Deo credere nolimus. Quod ad me attinet, si Christus eiusmodi verba nunquam protulisset, Berengarij discipulorum, ac sectatorum catalogo iam pridem vt vercor, forsitan nomen dedissem. Nam vt ingenuè hic vobis veritatem fatear, nunquam tantas in iuuenili meâ çtate aduersus vllum fidei nostræ articulum, atque aduersus hunc de præsentia corporis Christi in hoc tremendo Eucharistiæ sacramento tentationes pertuli. Neque vero occultos huiusmodi mētis meæ assaultus, quos per ista, Quomodo & quare vt sacramēti huius fides dubia apud me fieret, meus mihi post veneficos auditos hæreticę disputationis sibilos ingerebat sensus, euincere vnquam potui: donec scripturas, quæ augustissimi sacramenti mentionem faciunt, & crebrius, & attentius reuoluissē. Nondum enim tunc adhuc quanta esset Ecclesiæ auctoritas respectum satis habebam. Tum vero tanti apud me verbi Dei auctoritas fuit: vt planè in animum induxerim, cum nunquā toties de carne & sanguine suo verba fuisse facturum, nisi nobis omnino persuasum esse voluisset, intelligeremus eum non de alia re, quàm de ipsis loqui.

*Authori vt apud populū inuidiam cōciliarent impendentes aduersarij assere solebant illis ideo eum resistere quod Dei verbis credere nollet. Ab hac calumnia purgat.*


Ex quo tempore adēd firmiter huic fidei adhæsi, vt ne vel tantillum quidem de illa vltius poterim tentari. Ex existimo impossibile esse, quemquam Christianum hac de veritate dubitare posse, qui tot Christi & Apostolorum eius verba, quæ de hoc sacramento dixerunt, legerit attentius: mihi sanè hac de veritate amplius sicut dubitare non licet: ita neque, si vellem, possem, nisi prius clarissima ista ex euangelio eradantur Christi verba, quibus hæc nostra innititur fides. Hoc quoque ad cæteras non leues animi mei curas, & æstus accedit, quod & ingenuè dicam, nimirum quotiescunq; ad tremendi huius sacramenti susceptionem conuenio, totus equidem, ne indignè, & ad extremum mihi supplicium sumam, timore ac tremore concutior. Quod si Dei verbum mihi concederet, & non per illud quantæ utilitatis, atque necessitatis sacramentum hoc sit intelligerem, libenter secundum carnis affectum, vt hoc metu liberarer. Berengarij forsitan consensissē errori. Nam nisi planè mihi persuasum esset, corpus Christi esse in hoc sacramento, non maioris apud me religionis esset, illud accipere, quàm aquæ cyphum exhaurire, cum siti vrgeor, vel panis buccellam manducare, cum fame stimulo. Denique hoc addo, si Christus non ita disertè, & clarè de hoc sacramento loqueretur, nunquā in cuiusquam mentem venire potuisset, vt quis vel semel cogitaret, nos rem tantæ dignitatis atque excellentiæ, sub sacramenti istius regimento possidere, quemadmodum possidēmus. Ita vt vobis assereare possum, quod si omnes Cicerones, ac Demosthenes, imo (quod maius est) omnes totius regni cœlestis angeli, atque omnes pariter sancti & sanctæ in eo omnes conatus suos intenderent, vt hoc mihi persuaderent, adēd infirmitati meæ difficile creditu mysterium hoc est, vix vnquam, vt existimo, nisi à parte ipsorum staret, Dei verbum id apud me consequi possent. Tanta apud me verbi Dei auctoritas, tanta vis est. Quocirca, obsecro te vehementer amice lector, atq; per omnia sacra obtestor, vt diligenter istud consideres, ac studiose perpendas, quid nam rei sit, quæ nos in fide maiorum, ita stabiles reddit & firmos, vt neq; minis, neque promissis, ne-

*Authorem dum hæc scriberet hinc promissis vt*

que ludibrijs, neq; persecutionibus vllis à quoquā adduci possimus, vt eā aut abnegemus, aut deseramus. Hoc namq; certo habe, ac indubitato, si Christus nō ita claris & apertis verbis de carne & sanguine suo loquutus fuisset, atq; locutus est, facile & absq; vllō negotio hæretici ad patrum nostrorum fidem deferendā, abiuradamq; nos impulissent. Vix enim ecclesiæ auctoritas, q̄ tanta tamen est atque scripturę, hic cuiquam sufficisset infirmo, nec opus fuisset, vt classicū canerent, sectaq; suæ Principes ac nobiles ad arma contra catholicos sumenda tāto pere sollicitarent: nihil, inquam, opus erat gladijs, nihil tormentario puluere, nihil illis æneis machinis, nihil deniq; vlla vi, qua nos ad erroneas suas opiniones suscipiendas complectendaq; compellerent. Nos etenim iam pridē vltro positis armis, dexteras eis dedissemus. Cæterū, cū totus iam Christianus orbis, Christi eiusmodi de carne & sanguine suo verba dixisse probe nouerit, nō autem illud quod vt credamus, aduersarij omnino studio ac diligentia, vi denique & armis efficere conantur, expende, quæso, diligentius, quantum Christianis fiat iniuriæ, dum isti ad hoc adigere eos volunt, vt Dei verbo fidem non adhibeant, cū absque graui conscientię suæ labe & macula, ei renuntiare nullo modo possint. In eo si quidem honore, ac reuerentia illud habent, vt in omnibus quæ facta esse pronunciat, ei non possint non credere, quantumlibet etiam intellectu difficilia esse videantur. Tanta profectō etiā hodie in pectoribus fidelium atque credētium, verbi Dei auctoritas & energia, tanta vis est. Nunc igitur attentius Christiani lectores, cum animis vestris expendite, quantum maioribus nostris iniurię fiat, cum hæreseos condemnatur. Quasi vero, Deo credere, sit hæreticū esse. Expendite, inquam, expendite, quantum Christianis omnibus detrimenti iacturæque adferatur, quando tam precioso corporis & sanguinis Christi thesauro, quem in animarum nostrarum cibum, & perpetuam eius rei memoriam, quod in finem vsque sæculi nobiscum futurus esset, eis reliquit, crudelissimè spoliantur, nefarieque priuantur. Nam quod seipsum sub tremendo hoc sacramento ecclesiæ suæ tradiderit, vt ipsa ad

*ad eos deficeret aduersarij sollicitabant, inde mihi ne contra eos stare deberet conabantur.*

*Sumperant armis hæretici minisque in omnes eos spirabant eades qui illorū non admittent erores.*



consummationem vsque sæculi dilecto suo sponso frueretur, & vt fieret os ex ossibus eius, & caro de carne eius, omnibus Dei verbo obedire volentibus, cum ipsius adiutorio, facile demonstrabimur. Hoc autem sacramentum magnum est, & ineffabile. Ego autem, inquit Apostolus, dico, in Christo & in eius Ecclesia.

*Cum quis corporea, aut aeterna morti adiudicandus est, criminum, quæ ei obijciuntur, probationes luce clariores esse oportet.*

## CAPVT II.

**I**n iudicio capitis, quemadmodum iura præscribunt, probationes luce meridiana clariores esse oportet. Itaque, si vllus est æquitati locus, iure postulo, ne maiorum fides ac religio ante damnetur, quam in eâ ad eò clara & aperta testimonia in medium proferantur, vt ea refelli ac reiici nullo modo possint. Nam si tum cum de temporali morte vltimoq; supplicio agitur, tantum æquitatis adhibetur, vt absque testimonijs fide dignis quemquam condemnare nefas sit, quanto magis vbi de aeterna morte agitur, maiori discretione, prudentia, æquitate vtendum est? Ita verò comparatum est, vt quemadmodum in ciuilibus controuersijs probatorum virorum testimonia adhibentur, ita vt ex duorum, aut trium testium denuntiatione ac relato, condemnatio ipsa expleatur: & in humanioribus scientijs certa proposita, veritatem comprobandi ex naturalibus rationibus & experiencijs, via est: ita sanè & in sublimi, ac in diuina fidei nostre scientia, procedendi ratio est, ex proprijs ipsius testimonijs, quæ ex verbi Dei scripti vel traditi (quod vtrique ad fidei nostre approbationem, omnium rationum ac experientiarum pondus ac momentum habere, credendum est) fonte hauriantur, atque promantur. De his nunc tantum ago, de quibus nobis cum aduersarijs conuenit, alioqui scio ego primum, in quod tãdem omnis de fide resoluenda disputatio est, principium, esse articulum illum fidei, quo Ecclesiam sanctam, Catholicam, & Apostolicam, credere nos profitemur. Nam quæ

alijs in disciplinis principia, ratiocinationes, ac demonstrationes nominantur, eadem apud nos sunt scripturarum sententiæ: ita vt quemadmodum alijs in artibus conclusionum certitudo ac veritas, ratiocinationum ac demonstrationum certitudini ac veritati innititur, sic fidei nostre veritas, ad testimoniorum verbi Dei lucè exigi debet. Quocirca eū, qui æquus causæ huius iudex esse voluerit, moneo, ne maiores suos, aeternæ morti adiudicet, antequam claris atque disertis scripturarum testimonijs de errore conuicti sint. Ad hæc peto, vt antequam pro nostra fide abneganda, in nos sententia feratur, doceamur non per aliquod quomodo, neque naturali aliqua ratione, sed expresso Dei verbo, nos in errore versari, quod maiorum fidem firmissimè retinemus. Præterea postulo, vt priusquam noui alicuius doctoris fidem, veteris illius loco recipere cogamur, vt huiusmodi doctor nouellus, suam, quam maiorum loco nobis obtrudere conatur, expresso Dei verbo probare teneatur. Peto, inquam, ab eo, qui vult vt credam, cum CHRISTVS diceret: Hoc est corpus meum, illum dicere voluisse, Hoc non est corpus meum; sed figura tantummodo corporis mei, vt expressum aliquod Dei verbum in medium adferat, quo clarè diserteque doceatur, hanc CHRISTI fuisse mentem atque sententiam, vt non de vero corpore & sanguine suo loqui, quemadmodum aperte ipsius verba præ se ferunt; sed aliquid aliud voluisse, perspicuè demonstratur. Rursus exigo ab eo, qui vult, vt per corpus, ipsius corporis effectum intelligam, vel signum, vt CHRISTVM ita dixisse doceat, & vt mihi scripturæ locum demonstrat, in quo Christus nō corpus suum, sed eius esse signum, vel effectum pronūciauerit, id quod nobis exhibere volebat. Sed nota metalia hic scripturæ loca exigere, quæ hisce de rebus disertè, & aperte loquantur. Nam de vno, altero uè obscuro loco, qui in diuersam sententiam detorqueri potest, sufficienter erroris cōuinci nequeo, quod alijs, ijsq; apertissimis, qui verum Christi corpus, in hoc augustissimo sacramento esse clarè doceant, fidem habeam. Quapropter necessarium fuerit, vt is, quē mihi adfert,

adfert, locus, admodum clarus sit & apertus, ipsiusque Christi ore, hoc aut simili modo prolatus. Ego Christus aio, quod cum de corpore meo loquerer ac dicerem, Hoc est corpus meum, dicere intendebam, Hoc non est corpus meum: sed eius dumtaxat figura & signum. Vel certè aliam eius generis propositionem in medium statuatur, quæ huic æquipollet. Hoc meum postulat iuxta leges, quas nobis aduersarij præscribunt, institui, qui ex omnibus, quæ eis dicimus, nihil, præter id quod expresso aliquo scripturæ loco probamus, credere volunt. Nōne igitur legitima erit mea ratio, si quas ipsi condiderunt leges exigo, vt obseruare teneantur, & quod nobis obtrudunt, expresso Dei verbo probent atque confirmet? Nōne belli conditiones iniquæ admodum forent, si quicquid illi nobis obtrudere volunt, absque vlla scripturæ probatione credere cogemur: contra illi, in nullo nobis præter ea, quæ expresso & claro verbi Dei testimonio confirmaremus, credere tenerentur? Videat proinde ac iudicet æquus lector, vtrum iusta sit, & rationi consentanea postulatio mea, ac etiam iuxta eas, quæ nobis exigunt aduersarij conditiones (vt paulo ante dixi) instituta. Proinde, si clara aliquot scripturæ loca, ijs, quibus fides nostra stabilitur, directè opposita proferre non possunt, patienter, quæso ferant, nos clarum atque apertum aliarum scripturarum sensum tenentes, pacificè maiorum fidem colere. Ego enim ex parte nostra amplius duodecim scripturarum testimonia producere me posse profiteor, quæ verissimum esse, quod dicimus, meridiana luce clariùs comprobent. Nam quod ad aduersarios attinet, nullo adhuc clarum ex scriptura testimonium eos protulisse comperio, quod ijs aduersetur, quibus fides nostra nititur. Nam in ijs quæ sequuntur, Caro non prodest quicquam. Spiritus est qui viuificat. Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et alibi, Caro mea verè est cibus. Et iterum. Hic est enim sanguis meus: nullam planè (sicut Deo dante in sequentibus libris demonstrabimus) repugnantiam animaduerto. Necessarium proinde fuerit, vt alia lōge clariora, quæ ex diametro pugnent, ijs,

quæ parti nostre adstipulantur, in medium adferant.

*Quod ex solo literali scripturarum sensu, ad conuincendos errores validum erunt argumentum, unde & ex eo solo maiores erroris legitime conuinci possunt.*

## CAPVT III.

**Q**um fides certa sit rerum diuinitus reuelatarum cognitio, diligenter notandum est, eius veritatem certitudinemque nulla alia re, quam aut æquè, aut longè profectò certiori, ac clariori posse probari. Cum igitur mysticus scripturæ sensus, quem pro suo quisque effingere potest ingenio, obscurus sit & incertus, hinc sanè consequitur, ex illo, nihil, quod ad fidei nostre articulos pertineat, efficaciter, ac necessario cōfirmari posse, nisi clariùs & certius ex literali sensu testimonium habeatur, ad efficiendum, quod mystico sensu cōcludere nitēbamur. Vnde August. Quis autem, inquit, non imprudentissimè nitatur aliquid in allegoria positū, pro se adducere, nisi etiam habeat manifesta testimonia, quorū lumine illustrentur obscura? Quibus sanè verbis clarè datur intelligi, ad eò obscuras esse mysticas interpretationes, vt permagna sit imprudentiæ, eas ad fidei confirmationem producere, nisi alia in promptu sint scripturæ loca, quibus disertè, & aperte id probari possit, quod mystico sensu probare conamur. Proinde confitemur necesse est, literalem sensum, veluti basin, ac fundamentum esse, cui soli inter omnes scripturæ sensus, totius fidei nostre ædificiū ad salutem necessarium innititur. Patet in super, cum vnicuique scripturam intellectu facile esse fabulantur hæretici, hoc de literali sensu accipi oportere. Sensus enim mysticus (vt iam diximus) frequenter subobscurus est & varius. Nūc igitur restat, vt quis verus literalis scripturæ sensus dici debeat, intelligamus, vt fecundum hūc, fidem maiorum ab aduersarijs oppugnatam, nos studiosè, vt æquum est, defendamus. Verus itaque literalis & hystoricus scripturæ sensus est, qui ex propria & natua verborū significatione desumitur, quibus scriptura vtitur, vt quæ deus hominibus nota esse

*August. epist. 48. que est ad Vincennes Donatistam.*

esse cupit, innotescant, aut is etiam, qui ex rebus ipsis per verba significatis, quando sententia fuerit parabolica, decerpitur. Id quod propter figuratas metaphoricas atque parabolicas scripturæ locutiones addimus, in quibus frequenter genuinus verborum sensus relinquatur, ut quod rebus ipsis designatur, intelligatur: veluti cum CHRISTVS, Petra, agnus, aut aliquid huiusmodi appellatur. Quocirca cautè videndum est, quando aliquis scripturæ locus *τροπικῶς* & parabolicè exponi debeat, & quando non. Idem enim fuerit periculum propriam locutionem *μεταφορικῶς* exponere, ac si metaphoram, velut propria foret locutio, interpreteris. Ceterum Diuus Augustinus, ut sciamus quando *τροπικῶς*, & quando propriè siue absolute tropo scriptura aliqua exponi debeat, generalem hanc tradit regulam. Et iste omnino modus est, inquit, ut quicquid in sermone diuino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem, propriè referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum & proximum pertinet. Hæc Augustinus. Quibus verbis manifestè docet, quod ubicumque scriptura, aut de cœlestibus præceptis, aut de fidei articulis loquitur: propriè et absolute tropis, hoc est iuxta literalem sensum, ex genuina verborum significatione desumptum, interpretari eam oporteat. Cuius profecto assertionis ac regulæ ratio est, quia alioqui omnino incertum esset, quid nobis per scripturam præciperetur, & quidnam credendum esset, semper dubij hæsitaremus. Scriptura proinde, cum de rebus, quarum notitia ad salutem necessaria est, loquitur, semper propriè & non *μεταφορικῶς* aut mysticè exponenda est. Mysticè autem exponitur, cum naturalem ac genuinam verborum significationem relinquentes, rerum significata, quæ verbis ipsis designantur, pro arbitrarij inuestigamus, vel cum ijs rebus, quicquid lubet nobis, intelligimus: verbi gratia, cum per has voces, Corpus Christi, non verum aliquod corpus ex ossibus & carne conflatum, sed eius effectum, vel ymbra accipimus. Eius generis, inquam, acceptio non propria, nec literalis, sed mystica & figu-

Li. 3. de doctr. Christiana cap. 10.

rata est. De huiusmodi autem figuratis ac mysticis locutionibus, nullum certum pro fidei nostræ confirmatione argumentum elici posse dicimus, quemadmodum diuus adnotauit Hieronymus. Numquam, inquit, parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere. Huic sententiæ fauet beatus Dionysius, qui in quadam epistola ad Polycarpum, ait, mysticam Theologiam non arguere, quod interpretantur sufficiens argumentum non præbere: mysticum autem sensum voco omnem illum, qui non est literalis, siue allegoricus fuerit, siue anagogicus, siue etiam tropologicus, qui omnes sensus mystici, id est, secreti & occulti sunt sub literæ cortice delitescentes, ideo ad arguendum efficaces non præbent probationes, quando ex alio scripturæ loco non constat, talem esse mysticum sententiæ, quam allegamus, sensum. Nam eius generis mysticas locutiones pro suo quisque ingenio huc, illucque torquet atque rerorquet. Ex quo sequeretur tot esse fidei articulos, quot sunt hominum capita atque deliramenta, quemadmodum huiusce tempestatis nostræ sacramentarijs accidit, qui propriam ac genuinam Christi verborum, Hoc est corpus meum, sententiam deserentes, in plures iam & varias multiplicati diuisique sunt sectas, dum quisque quod ex phantastico suo adinuenit cerebro, loco huius vocis, Corpus, reponendum esse iudicant. Vnde inter se pugnant, in octo contrarias iam disiecti sunt sectas. Ex quo liquet quemadmodum pro unitate fidei conseruanda, necesse sit, ut ipsa proprio, ac literali scripturæ sensui, quæ verba ipsa, in natia sua significatione accepta, statim humano intellectui ingerunt, innitatur. Alioqui nullum vniquam certum ac stabile, super quod, perpetuè, & absque vlla vniquam varietate, aut vicissitudine, ædificetur, habitura est fundamentum. Quisquis igitur hac de controuersia, quæ aduersus maiorum fidem de venerando hoc altaris sacramento agitur, rectè decernere voluerit ex scriptura, diligenter eum regulam hanc notare oportebit hoc modo. Quotiescumque scriptura sacra fidei enarrat articulos, aut mandata præscribit diuina, aliter quam iuxta literam, & secundum propriam

ver-

verborum significationem exponi omnino non potest, nec vero debet. Id quod nostri probè intelligunt aduersarij, cum omnes & singulos ad controuersiam huius cognitionem instigant, & ad literas sacras, quas vernacula ipsi lingua emittunt, passim legendas incitant. Tunc enim scripturam omnibus facilem, & claram esse pronuntiant, præsertim cum ijs de rebus loquitur, quæ ad salutem consequendam scire nos oporteat. Alioqui, si mysticè & aliter quam verba ipsa sonant, intelligi debeat, nequaquam nobis in tramite fidei ambulantibus, dux certa & sufficiens & tuta foret. Sic enim potius incerta, difficilis, ac supra modum obscura existeret: ita ut nemo, nisi qui à Deo edoceretur cœlitus, excogitare posset, quidnam illa nobis aut dicere, aut insinuare vellet. Quocirca palinodiam canere eorum oporteret, si in rebus fidei scripturam mysticè aut figuratè, & non iuxta literam exponendam esse assererent. In rebus enim fidei cum scripturæ de sancta Trinitate, de mundi creatione, de conceptione, incarnatione, natiuitate, circumcissione, morte, sepultura, resurrectione, ascensione Domini, & consimilibus loquuntur, eas propriè ac iuxta literalem sensum exponi, declararique oportere, nostris, ni vehementer cœcutiamus, oculis cernimus. Vnde Ecclesia, totius veritatis magistra, eos olim tanquam hæreticos damnauit, qui CHRISTVM verè & realiter de beata Virgine Maria natum impiè negauerunt. Ipsa Marcionem quoque hæreseos calculo notandum censuit, quod sententiam illam de Filij Dei incarnatione, Verbum caro factum est, per tropum exposuerit, dicens: Verbum caro factum est, id est, figura carnis, exponendo, nimirum, carnem pro figura carnis: quemadmodum Berengarius, Corpus, pro figura corporis. Quod si huiusmodi Marcionis commentationem reprobando minimè errauit, nec nunc profecto, cum expositionem, quam his verbis, Caro, sanguis, corpus, effingit Berengarius, condemnat, errare credenda est. Cur enim eadem licentia Marcioni permissum non fuerit, in his verbis, Verbum caro factum est, carnem pro figura carnis accipere, quemadmodum Berengario in istis, Caro mea

verè est cibus? Nam sacramenta non secus quam alia, quæ de Christo credimur, ad fidei articulos pertinent. Si igitur vbi de baptismo, circumcissione, poenitentia, mentio inciderit, scriptura iuxta literam, & absque tropo intelligenda est, cur non multo magis, cum de tremendo hoc agitur Eucharistiæ sacramento, à quo æterna hominis aut vita aut mors dependet, idem faciendum esse iudicabimus? Hoc igitur veluti præcipuo totius disputationis nostræ fundamentum rectè constituto, nihil aliud pro causa hac nostra sub quolibet æquo iudice euincenda, mihi restare videtur, quam ut verborum sacramenti huius, literalem sensum, fidei maiorum consonum esse, ac meritò eos ita credidisse, quemadmodum ipsi crediderunt, ac nos quoque iuste in eadem fide catechisasse, demonstrarem.

Hic præcipua scripturæ loca ponuntur, quibus aut Euangelistæ, aut Diuus Paulus, aliquid pro sacramenti huius elucidatione commemorant, quibus etiam maiorum fides innititur.

### CAPVT III.

HOC igitur ex aduersariorum præscriptione constituto, quod neque nos, neque maiores erroris redargui possumus, neque vero falsæ aduersariorum opiniones alio modo refelli queant, quam claro, & aperto scripturarum literalis sensu, lubet hic prius, quam eas ad literam exponere incipiamus, quibus maiorum fides innititur, scripturæ sententias in medium adducere. Ita enim faciendum existimamus, quod facilius quisque intelligat, quam copiosam pro fidei nostræ confirmatione, cœlestium verborum numerositatem habeamus. Primus itaque locus, vbi Christus sacramenti huius meminit, est Ioannis sexto capite; cum carnem suam hominibus manducandam, in eum qui sequitur promitteret modum; Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane (intellige viuus) viuet in æternum. Et panis (subintellige semper, viuus) quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad innicem dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducan-

ducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens pater, & ego uiuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum. Ecce prima ipsius Christi de hoc sacramento verba, cum carnem suam hominibus manducandam, & sanguinem suum bibendum polliceretur. Ea porro, quibus usus est, dum re ipsa hoc nobis exhiberet, quod hic pollicebatur, inferius subsequuntur, quemadmodum ea ex alijs tribus Euangelistis, & diuo Paulo fideliter collegimus. Sic igitur beatus in primis refert Matthæus: Cœnantibus illis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei. Iisdem propemodum verbis usus est & Marcus. Diuus autem Lucas sic ait: Et accipit panem, & gratias agens fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens. Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis effundetur. Hucusque sanctus Lucas. Diuus autem Paulus sacramenti huius institutionem hoc describit pacto: Ego, inquit, accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc fa-

Matth. 26.

Marc. 14.  
Luc. 22.

1. Cor. 11.

cite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem. Hæc sunt verba quibus usus est Dominus Iesus, cum sacramentum hoc institueret, ac hominibus abundè supeditaret, quod iam antea, se carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum daturum promiserat. Nota igitur diligenter, nobis sum aduersarios in hoc conuenire, quod Christus omnia, quæ supra posuimus verba dixerit, ac protulerit, ita vt omnis controuersia nostra, non in eo sita sit, vtrumne verba hæc scripta sint, necne: vel vtrumne & ea ex Deo sint. Nam vtraque pars, ea tanquam legitima Dei verba agnoscit, ac suscipit: sed circa scripti huius sententiam, atque intellectum nostram potissimè versatur controuersia, vt quo sensu, & qua mente ea Christus protulerit, intelligatur. Ita vt præcipuus controuersie huius status sit, vtrumne, cum Christus carnis ac sanguinis sui toties mentionem faceret, de sua ipsius carne, ac suo ipsius sanguine loqui, intenderet, necne. Rursus cum corporis sui mentionem faceret, dicens: se illud porrigere discipulis, vtrumne de proprio suo corpore loqui intenderet: vel vt paulo clarius dicam, controuersia nostra hæc est. Cum de carne & sanguine suo Christus loqueretur, vtrumne de eo ipso, de quo verba faciebat, loqui intenderet, aut de alia re quapiam, quæ nullo modo caro, & sanguis esset: vel denique, vt dialectico more terminis vtar infinitis, intenderet ipse loqui de carne, vel non carne, de sanguine, vel non sanguine, de corpore vel non corpore. Nam duo hic contradictoria præmanibus discutienda habemus, vt cuius pars vera sit, intelligatur. Et equidem, quod ad nos, ac maiores nostros attinet, nos inquam, Christi verba sequentes, affirmatiuam partem defendimus, dicentes: Cum Christus assereret esse corpus suum, quod discipulis porrigebat, cum diceret: Hoc est corpus meum: quod reuera id illis dare intēdebat, quemadmodum ipse aiebat. Aduersarij verò, negatiuam contradictorij huius partem sustinent, asserentes, quod cum Christus diceret, Hoc est corpus meum, dicere intēderet,

deret, Hoc non est corpus meum, sed eius tantummodo signum, aut effectus. Rursus cum diceret, Caro mea verè est cibus, asserunt eum dicere voluisse, carnem suam non vere esse cibum, sed falsum. Nam quomodo, inquam, potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Ac si dicant cum Iudæis, Hoc ei fuerit impossibile. Hic, amice lector, paulum, quæso, siste pedem, vt seridè ac maturè tecum cogites, quæ nam sit totius causæ nostræ summa, ac veluti caput, ex quo totius veritatis decisio dependeat. Hoc etenim, vt diligenter animaduertas, operæ pretium fuerit, quædo quidem aduersarij miris illud inuolucris, quoad possunt, obtegere, tibi que occultare conantur, quod nimirum vehementer eos pudeat, videri propositionem, Christi propositioni planè contradicentem, tutari, ac defendere. Vnde etsi huiuscemodi quas defendunt propositiones noui planis efferrant verbis, attamen si penitus res ipsa discutatur, planè comperiemus sic eos Christi verba exponere, ac si dicerent, dum Christus ait, Caro mea verè est cibus, quod carnem suam dicere intenderit, falsum esse cibum. Et cum ait: Hoc est corpus meum, dicere voluerit, Hoc non est corpus meum. Propterea ne huius generis ab ipsa veritate, ac Dei verbo, tam alienis propositionibus patrocinari velle videantur, quoad possunt, sese obtegunt. Cæterum nos, quemadmodum in huius rei declaratione sincerè ac fideliter procedere cupimus, ita etiam clarè & apertè loqui volumus, atque in ipso statim initio præcipuum totius controuersie caput, in quo velut totius difficultatis cardo vertitur, proponendum iudicamus, quo nimirum facilius quisque statim decernere possit, cuius potior atque iustior causa foret. Prima alicuius questionis veritatem indagandi, dissolucndique ratio est, vt duæ eius contradictoriæ enunciationes simul conferantur, ac veluti ad inuicem confricentur, quod ex mutua illa collatione collisioneque, vtra verisimilior sit, appareat, id quod hic faciendum iudicauimus. Nota igitur præcipuam questionem esse nostram, An cum Christus diceret, Hoc est, corpus meum, id adfirmare voluerit, an negare, vel an asserere intenderit, quod ipse dicebat, aut eius totius contrarium. Quæ

quidem quæstio in omnibus à nobis supra citatis Christi verbis locum habet. Maiores itaque nostri, simpliciter illi credentes, dictæ enunciationis affirmatiuam, pro vera tutandam susceperunt. Aduersarij verò eius negatiuam, quam Christus nunquam protulit, sustinent ac tuentur. Iam verò hic disputamus, vtri eorum propriis quique partibus tutandis potiores rationes, iustioresque causas habeant. Quocirca vehementer, obsecro te Christiane lector, vt hunc verum esse totius causæ nostræ statum, semper memineris. Neque verò frustra id admonuerim. Nam aduersarij, scio, ita illum falsis coloribus suis atque pigmentis fucare nituntur, vt iuxta faciem externam minus absurditatis habere videatur. Sed ita interim res se habet, vt si pressius ad alteram contradictoriam eligendam urgeantur, vt vtram voluerint, tueantur, negatiuam suscepturi sint. Neque porro id inficiari possunt. Quando quidem Christum cælo in sede, nescio qua, ita affixerit ac colligarunt, vt inde se non velit dimouere, neque porro ausit sub pœna (nescio qua) alio quam ibi inueniri loco. Hoc est, sub pœna confusibilis eiectionis, si in cœna forsân reperiretur Caluiniana. Imo quæ dictu quoque nefas est, impossibile ei esse asserunt, etiam si maximè velit, vt in alio quam ibi sit loco. Ex quibus profecto verbis, planè consequitur, negatiuas eos enunciationes tuendas suscepisse, quæ ex diametro sunt oppositæ omnibus Christi verbis, atque sententijs, quas paulo superius citauimus. Vnde mirum mihi semper visum fuit, quo modo ausi vnquam sint, expressum Dei verbum, pro sua in hac causa stare parte, asserere, neque, vt verum fatear, tantam demirari satis mentiendi impudētiam possum, aut eorum leuitarem ne dicam, an vero demētiam? qui tam manifesto mendacio adhibuere fidem. Neque vero ulterius in hac progrediendum disputatione esset, si seducti ab illis populi saltem vel micam sanæ mentis haberent. Quid enim eiusmodi non persuaserint hominibus, qui contradictorium verbi Dei, pro vero expressoque Dei verbo, sic recepere faciliter? Dispeream, si vllum vnquam fuit hominum genus hoc stupidius infanissime. Audiunt & sciunt Christum dixisse, Hoc est corpus meum: audiunt postea v-

B nam

nam bestiam, aut Bezam dicentem; Licet Christus dixerat, hoc est corpus meum, tamē purum eius verbum est istud: Hoc non est corpus meum, & credunt ei. Quæ reperiri insipientia maior, quæ stoliditas possit? Hoc quæso attentius pōderat lector. Hoc enim attente consideratum, totam subvertit aduersariōrum disputationem, omniaque eius cornua loco mouet. Adeo multum est statim ab initio ad ipsum peruenisse præcipuum controuersia caput. Sed ulterius progrediamur.

*Cum controuersia huius, uti aduersarij planctei, vera dissoluendi ratio sit ex literalis scripturarum sensu, restat, ut suprapositorum Christi verborum literalem sensum esse probemus, quem eis maiores indiderunt.*

CAPVT V.

MUltum iam profectō catise nostre luminis accessit inde, quod præcipuum eius statum enucleauerimus. Si quidem ut nostra ex parte sententia decernatur, nihil amplius superesse videtur, quam ut verborum Christi, de quibus rota hæc disceptatio nostra instituitur, literalem sensum, maiorum fidei consonum esse comprobemus. Nam cum tanta sit aduersariōrum pernicacia, ut in quæstionis huius decisione, neque Ecclesiā, neque Cōcilium vllum œcumenicum, neque veterum quemquam doctorum, p legitimo iudice admittere velint, nullum, quo ut nos ipsos propugnemus, aut illos oppugnemus, subsidium, quam Dei verbū in puro ac literalis sensu suo, expositum nobis relinquere videtur. Proinde peto, ut nec ipsi quoque alijs à Dei verbo in literalis sensu intellecto, atque declarato, armis uti permittantur, cum ex sensu mystico (ut superius ex diui Augustini ac Hieronymi testimonijs rationibusque ostendimus) nec vllus fidei articulus solidè firmari, nec error cōtrarius sufficienter reprobari, aut conuinci possit. Nam mysticum sensum, pro suo quisque ingenio, & prout visum cuique fuerit, haud difficulter fabricare potest: atque ita fieret, ut cōtrouersijs fidei nunquā ex scriptura adhiberi posset modus, nisi literalis eius sensui adhære-

tur. Quocirca prudentissimè Augustin⁹, cum scriptura diuinorū meminisset præceptorum, aut quæ fidei sunt edocet, eā iuxta literam, absq; vllō planè tropo, aut sensu mystico, exponendam esse cōsui, quemadmodū latius iam paulò ante declarauim⁹. Nullus proinde æquus lector, aut iudex aliud hic à me, siue pro maiorum fide approbanda, siue pro aduersis opinionibus refutandis, exigat, quàm ut hunc ipsum esse verborum Christi, quibus hoc sacramentum aut instituit, aut promisit, literalem sensum comprobē, quem maiores nostri & intellexerūt, & nobis tradiderūt. Quod mihi sanè factū haud fuerit difficile, maximè cum id aduersarij quoque nostri, etsi non verbo, ipso tamen opere confiteri cogantur. Nullis enim dictis iam Christi verbis, ut erroneas opiniones suas cōfirmet, uti possunt, nisi aliquid hinc inde immutando, aut detrahendo, ac eius quod immutauerint, vel detraxerint loco, alia neficiō quæ verba collocando. Nam loco illius verbi (est) vocem (significat) reponunt: & loco illius nominis (Corpus) alij signum, alij effectum collocant. Quare satis clarè demonstrant, se non ignorare prædicta Christi verba, in sensu literalis intellecta, falsis ipsorum opinionibus aduersari. Atqui hoc vnum ad ipsos planè refellendos, ac iustè condemnandos, abundè satis sufficere debuerat, si omnes hodiè lectores, ita verbo Dei, quæ admodum olim sancti illi, ac venerandi patres, afficerentur, utpote apud quos immane sacrilegium esset, aliquid verbo Dei vel detraxisse, vel addidisse. Nam qui id attentare præsumerent, periuri atque falsarij apud ipsos habebātur. Sed cum in tempora nunc vsque adedē deploranda incidimus, ut permultis Christianorum vix tandem persuaderi possit, eum esse literalem scripturæ sensum, quo aliquid ipsa à Deo factum asserit, quod sit vel à natura alienum, vel ab ipsorum intellectu utcumque remotum, ideo operam dabimus, obseruatis etiam quoad eius fieri poterit rectè interpretandi legibus, ut pro maiorum fide confirmāda, singula, quæ superius posuimus CHRISTI verba, fideliter iuxta literalem eorum sensum explicemus, ab ijs exordium sumentes, quæ ipse CHRISTVS tremendum hoc preciosi corporis &

san-

sanguinis sui sacramentum hominibus promittens commemoratit. Quemadmodum apud diuinum Ioannem discipulam eius prædilectum scripta sunt.

*Ratio obseruanda, ut facile intelligatur, quis sit verus ac literalis verbi Dei sensus.*

CAPVT VI.

VT probe intelligatur, quis legitimus, ac literalis scripturæ alicuius seu verbi Dei sensus haberi debeat, duo potissimum obseruanda sunt. Prius est, ut causam, ob quam huiusmodi verba à Deo prolata sint, cū animis nostris seridè consideremus, ac grauiter pondere-mus. Alterum est, ut quæ præcedant & quæ sequantur, ceterasque id genus circumstantias diligenter expendamus ac discutiamus. In hoc sexto Ioannis capite videre est, quemadmodum Dominus Iesus antequam sacramenti huius mentionem vllam faceret, insigne quoddam perpetrasset miraculum, puta, quod quinq; hominum millia, ad satietatem vsque; pauperit, nihilominus verò cum satiati fuissent vniuersi, duodecim reliquiarum cophinos sustulerunt eius discipuli, quantum ante Christi benedictionem, puer paruulus, quinque dictos panes, duosque pisciculos in canistro gestauerit. Iudæi autem cum tam stupendum viderēt miraculum, supra humanam modum admirati sunt, adedē etiam ut ipsum regem coronare cogitarent. Cæterum Christus eo vespere in montem ab eis sequestratum sese recepit. Altero autem die vnā cum discipulis Capharnaum profectus est. Quo quidem in loco & ipsi quoque Iudæi comparuerunt. Tunc inter cætera grauiter eos monuit, ut Dei opera studio se excquerentur. Dei autem opus esse asseruit, ut in eum crederēt, quem ille miserat. Exinde Iudæi cum eo disputationem instituire cœperunt, dicentes hoc eius miraculum, longè minus esse Moysi miraculo, cum eis coelitus manna præbisset, vnde cibum manna excellentiorem ab eo exigebant, si vellet, ut in ipsum crederent. Tunc aliò quodam de cibo, quem hominibus daturus erat, eo, quem ipsis antea dederat, ac ipso etiam manna, quod Moyses in deserto suppe-

ditauerat, longè excellentiori, verba facere cœpit. Et ut commodius hunc iam dictis cibis longè eminentiorem esse comprobaret, multis verbis, cuius conditionis cibus esset iste, explicare cœpit. At qui hæc est ratio, cur istius cibi celestis, quem nobis in hoc sacramento porrigere volebat, primo CHRISTVS mentionem fecerit. Sic & aliàs de magno resurrectionis suæ mysterio, adeoque stupendo miraculo, loquendi occasionem accepit, cum Iudæi vilipendentes, quod in terra fecerat miraculum, cum e corpore muti cuiusdam demone extruisset, maius quoddam è coelo prodigium peterent. Generatio mala & adultera, inquit, signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Si cut enim fuit Jonas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre ceti, sic erit filius hominis tribus diebus & tribus noctibus in corde terre. Magnum sanè fuit, hoc in Iona miraculū, sed longè maius in Christo, cum ipse, posteaquam tribus diebus & totidem noctibus in sepulchro iacuisset, de morte ad vitam immortalem excitatus apparuit. Sic & magnum proculdubio erat miraculum, quo singulis diebus filijs Israel in deserto manna pro cibo ministrabatur: at longè maius profectō est istud, quo quotidie Christus propriam carnem, atque sanguinem suum in vitæ æternæ cibum, hominibus è coelo copiosè largitur. Diligens hæc causa istius, quæ Christum mouit, ut de isto apud Iudæos sacramento loqueretur, cōsideratio eò nos ducit, ut quisnam fuerit præcipuus eius in hoc capite scopus atque intentio, clarissimè intelligamus. Eius siquidem scopus siue intentio erat, ut cibum, quem hominibus se daturum promittebat, longè excellentiorem, longè efficaciorē, longèque vtiliorem esse eo, quem antea vnquam vel ab ipso, vel à Moyse acceperant, comprobaret. Proinde in horum verborum explicatione quæ in isto capite, de hoc sacramento ponuntur, summopere cauendum est, ne quid dicatur, quod huic Christi scopo, atque intentioni aduersetur. Quod profectō non obseruant ij, qui non de alio, quàm de materiali, ac terreno pane ipsum in hoc capite locutum esse existimant, præsertim cum huius generis panis Mosaico manna longè sit inferior.



In eundem impingunt lapidem, qui Dominum hic de spiritali tantum cibo loqui asserunt: Nam & patres nostri aduersariorum etiam opinione, eandem escam spiritalē quam nōs, manducauerunt, & eundem potum biberunt: Ex quo iuxta eorum opinionem manifeste consequeretur, CHRISTVM nihil excellentius Christianis, quam Moyses Iudeis, pro cibo contulisse. Et manna equē corporis Christi signum, & figura erat, atque cœna Calviniana, si hæc, vt ipsi volunt, dicti corporis tantummodo signum & umbra. Argumentum siquidem quod ex præmissa consideratione eruimus, eiusmodi est. Nullum otiosum, nullum vnquam inane Christus protulit verbum: Sed omnia quæ hic de cibo, quem promittebat hominibus, longè præstantiore eo, quem patres manducauerunt, commemorauit, inania prorsus atque stulta forent, si carnis suæ signum & figuram solummodo, & non propriam carnem promittere intendere. Idem procedit argumentum aduersus eos, qui spiritualitatem tantum, & non ipsam veritatem carnis Christi, per hæc promitti verba obstinate contendunt, quandoquidem Christi carnem spiritaliter ipsum in se contineret manna. Ex quibus profecto conficitur, quod de vera, ac propria carne sua, & non de eius signo, spiritu, aut figura, loquebatur.

*Miraculum à Christo, prius quam de hoc sacramento loqueretur aditum, magni illius miraculi quod facturus erat, cum carnem suam toti orbi manducandam in hoc sacramento exhiberet, typus fuit.*

## CAPVT VII.

**H**AVD equidem stupendum istud Christi miraculum, quo quinque panibus, quinque hominum millia, antequam de hoc sacramento loqueretur, satiavit, leui brachio prætereundum putauit. Vsq̄ adeo enim præclaram pro sacramento huius elucidatione commentationem nobis suppeditat, vt haud sciam, vtrum clariorem facile quisquam inueniat. Ante omnia siquidem in hoc miraculo, discipulorum exemplo edo-

cti animaduertimus, qualis sit incredulitatis humanæ natura, ad iudicandum de operibus diuinis. Nam quamdiu nihil altius in CHRISTO, quam in alio quouis homine puro contemplabatur discipuli, omnino ei factu impossibile iudicabant, quod postmodum experientia ipsa, ab eo factum didicerunt. Diuinam etenim CHRISTI potentiam obliuiscunt, quam tamen non multo antè, aquam in vinum commutasse, mortuos resuscitasse, agros subito pristinae sanitati restituisse, & alia plurima id genus miracula ædidisse conspexerant, nihil præter panum paucitatem, ac copiosam hominum multitudinem cogitabant. Vnde quod Domino dicerent, habebant penitus nihil, nisi quod eorum vnus respondit, vix etiam ducentorum denariorum panes sufficere, vt vel modicam quisque buccellam acciperet. Et alius quidam ait paruulum nescio quem, quinque panes ac duos pisces contulisse. Sed hæc, inquit, quid sunt inter tantos? Nihilominus tamen ipse Dominus probè nouerat quidnam facturus esset. Sic etiam quandiu homines nihil præter naturalem difficultatem ad operandum, quod in tremendo hoc fit sacramento expendunt, & tam cum qui loquitur, quam incomprehensibilem eius potentiam obliuiscuntur, ignorant profecto quid respondeant, nisi quod cum Iudeis suo decipiantur. Quomodo? Nam qui carnalia tantum sapiunt, mirabilia Dei opera comprehendere nō possunt, non ideo tamen ea Deus operari desinit, quæ hominum salutem expedire nouerit, vt ijs vtatur quisquis voluerit. Vnde propter discipulorum incredulitatem, nec miraculum operari, nec de hoc sacramento loqui desistit. Cæterum multa in isto CHRISTI miraculo, quæ pro pleniore sacramento huius intelligentia, vehementer conducunt, nobis consideranda sunt. Nam videndum est in primis, an miraculum hoc per secretam aliorum panum angelico ministerio aliunde allatorum deportationem, factum fuerit, an verò per nouorum in tanto numero creationem, vt toti illi multitudini sufficere potuissent. Et certè non minus vnum quam alterum diuinæ scripturæ textus nos sentire prohibet. Is enim expressè habet, Christum

stum Dominum quinque illos panes in manibus accepisse, ac eisdem Apostolis tradidisse, similiter & duos illos pisces omnibus dispersitum fuisse. Insuper, quando collectæ sunt reliquæ, non aliorum quam illorum quinque panum & duorum piscium fit mentio, ac toto denique textu nullorum quam illorum quinque panum, ac duorum piscium, mentionem vllam fieri videmus. Vnde conijcitur, ex his ipsis quinque panibus, & non alijs, ac ex ipsis duobus piscibus, & non alijs, quinque illa hominum millia fuisse satiata. Sed dicit hic aliquis. Quomodo igitur cum vnusquisque tantum comedisset, ac lubebat, tantum adhuc reliquiarum, facto iam prandio, inueniri potuit, imò & multo plures quæ erant panis nondum cepto conuiuio. Nam pro vno cophino duodecim repti sunt. Quod si omnes illi de quinque illis panibus ac duobus piscibus, in rei veritate comederunt, etsi omnes satiati fuerunt, etsi duodecim postmodum cophini verè ac realiter, vt ita dixerim, superfuerunt, magna profecto hinc oritur difficultas, vt intelligatur, quomodo id fieri potuerit. Nemo tamen, vt opinor, dubitauerit, verum illud fuisse miraculum. Nam tantum ibi in rei veritate panis, atque etiam piscium aderat, quantum quisque comedere voluisset. Et omnes in rei veritate, vel, vt, rursus ita dicam, realiter comedeabant, & ex illis tantum quinque panibus, & duobus piscibus comedeabant, ex quibus duodecim postea cophini superfuerunt. Quomodo, mihi dicit hic philosophus nescio quis, si vera fuit illa comedendi digerendique actio, tanta panis substantia post comestionem atque antea remansit? Haud facile profecto ex naturali philosophia miraculi huius reddi ratio potest. Nam philosophus, seu etiam nescio quis hæreticus, hic eos fide tantum vel imaginatione comedisse contendet, quandoquidem tantum, imo longè plus eduliorum post, quam ante refectionem superfuit. Ita & Berengarius quispiam animaduertens, quod protutanda verbi DE I ad literam intellecti veritate, asserere oporteat, post veram ac realem corporis CHRISTI communionem, idem corpus Domini integrum, atque omnino illibatam per-

manere, statim excogitat, imaginatione, fide, ac spiritaliter, tantummodo CHRISTI corpus manducari ac comedi. Attamen certa fide tenendum est, tantum substantiæ ipsius panis, post istud miraculum, atque antea superfuisse. Quia igitur re facta est tantæ multitudinis nutritio, & ad satietatem vsque repletio? Cuiusnam rei substantia, in eorum carnem conuersa est, quandoquidem tantam, imo & longè maiorem panis quantitatem post, atque antè ipsorum refectionem collectam esse cernimus? Quemadmodum igitur sub miraculi istius magnitudine, omnes philosophicæ ratiocinationes deficiunt, ita & sacramenti huius longè excellentiori miraculo, omnis humana ratio deuicta succumbit. Nec mirum sanè, quandoquidem illud non aliò, quam ad huius declarationem tendebat. Nam quemadmodum priori illo miraculo illorum quinque panum substantia, in rei veritate fuit comesta, & tamen nihilominus ex illa tantum, imò longè plus quam antea remansit: sic negari non debet, in hoc sacramento, CHRISTVM nobis corporis sui substantiam re verè manducandam exhibere posse, ita vt postea, quam ab omnibus & singulis manducatum fuerit, integrum illibatamque permaneat. Et sicut illa quinque hominum millia, ex quinque illis & non alijs panibus comederunt, ita & nos omnes de vno pane viuo, qui est verum corpus CHRISTI, vnus quantum alius manducamus. Si à me perconteris, quomodo id fieri queat, percontabor & ego, quemadmodum & illud fieri potuerit? Si istius à me rationem exigas, & ego illius à te rationem petam. Nam his in omnibus magna vtrique apparet consonantia, quemadmodum in homilia quadam à nobis, de hoc ipso miraculo iam pridem adita, latius declarauimus. Id quod paucis hic repetendum esse iudicauit. Illic igitur vnus paruus patricorum panum calathus quinque hominum millibus sat erat, & hic vnicuique Domini corpus, toti mundo abundè satis est. Vti tibi omnes ex eisdem illis panibus comederunt, ita & hic omnes ex eodem Christi corpore manducant. Ibi tantum, imò longè plus, post veram ac plenam omnium refectionem, quam an-

4. tea fuisset, remansit: & hic tantū post actua-  
 ualem corporis Christi cōmunionem, quantum antea fuerat, superest. Quarto  
 5. ibi Christus panes accepit in manibus, subleuatq; in cœlū oculis, gratias agēs  
 Deo patri, benedixit, fregit, deditq; discipulis, tantundem verò & in sacramenti  
 huius institutione eū fecisse legimus. Hoc vnum deest, quòd hic post gratiarū  
 actionem, & benedictionem panis, non dixit, hoc est corp⁹ meū, sicut ibi fecit, licet  
 6. spiritualiter panes isti sanctificati, corporis sui signum essent & figura. Quod argumēto est, vt postea dicemus, Christi qui  
 semper in pondere, numero, loquebatur & mensura, non dicturum plus fuisse  
 7. de eo, quem in cœna benedixerat pane, quàm de istis quos hic benedixit, nisi plus ille  
 8. contineret quam isti. Quintò ibi panes illi apostolis primo, ac per eorum  
 deinde ministerium, omnibus alijs distributi sunt: ita & Dominus Iesus primo  
 sacramentum hoc apostolis suis, ac per eos deinde toti tradidit mundo. Sextò,  
 ibi quinque panes illi, tam potus, quam cibi, vt famem ac sitim pariter  
 extinguerent, naturam habebant. Hic autem sub specie panis tam C H R I S T I  
 caro, quam sanguis accipitur, non minus atque si sub vtraque specie sumeretur.  
 Septimò, ibi ignorabant apostoli quo modo C H R I S T V S miraculum  
 hoc operari potuisset. At nemo hic cōprehendere potest quo modo ipse carnem  
 suam hominibus manducandam præbeat. Octauò, ibi completa refectione  
 8. populus gratias Deo egit, similiter & Apostolos consummata sacramenti huius  
 institutione, gratias egisse cognoscimus, & in hodiernum vsque diem huius  
 benedictione, consecratione, oblatione, communionem, ceu manducatione,  
 in Dei laudem, & gratiarum actionem, populus erumpit fidelis, missæque  
 religione Deum deuotius colit. Missæ enim nostræ figura & forma (vt in nostro  
 de missa libro docem⁹) in hoc quoque præostensa miraculo fuit, in quo vti  
 sacerdos summus, C H R I S T V S cum suis ministris apostolis adest, qui omnium  
 nomine Deo gratias agit, & panem benedicit, diaconorum & subdiaconorum  
 vices apostoli gerunt, dum Christo assistunt attenti, benedictumque turbæ  
 distribuunt panem: omnes autem tum

apostoli, tum pastus miraculo populus, magnificant Deum, & iubilant exultantque  
 in Domino: sic quoque in nostra fit missa, & ante & post miraculum consecrationis  
 huius sacramenti. Ex his sanè liquet quanta sit in omnibus siue quæ  
 ad miraculi huius operationem, siue quæ ad sacramenti institutionem pertinent,  
 consonantia. Vnde & meritò antequam de hoc sacramento verba  
 Christus faceret, miraculum hoc ædedit, vt inde quanta eius esset  
 potentia, ipsius discipuli pariter ac Iudæi experientia discerent.  
 Proinde quisquis attentius miraculum hoc expendit, verissimum  
 esse comperiet, quod paulò superius illud esse dicebam, præclarissimam  
 videlicet diuini huius sacramenti elucidationem. Quocirca huc semper recursum  
 habeamus oportet, vt responsa ad Berengarianorum quæstiones, & illud  
 eorum, Quomodo, in promptu semper habeamus. Exempti gratia. Quæret Berengarianorū  
 quispiam, quinam fieri possit, vt Christi corpus simul & in cœlo sit  
 & in terra, ac pluribus alijs in locis? Et ego similiter ab eo  
 quæram, quinam fieri potuerit, vt illorum panum quantitates, colores,  
 sapores, aliaque id genus accidentia, in illis duodecim cophinis  
 existeret? Neque enim illi solis panum accidētibus satiati  
 fuere, neque vero solæ illorum panum quantitates, colores, sapores,  
 aliaque id genus accidentia, in illis duodecim cophinis, absque  
 eorum substantia extiterunt. Quemadmodum igitur diuina Christi  
 virtute ac potentia factum est, vt illorum substantia cum suo  
 etiam nutriendi vigore, vt manducantes alerent, pluribus  
 essent in locis, ita & nos quoque fideliter & piè credimus,  
 quod eadem omnino potestate Christus efficere possit, vt corpus  
 suum cum omni virtute ac effectu suo, in tot pariter  
 existat locis, in quot ipse illud pro suo beneplacito esse  
 voluerit. Non absque graui igitur causa, priusquam de  
 precioso corporis & sanguinis sui sacramento verba  
 faceret, miraculum hoc Christus ædedit, quo nimirū,  
 veluti præambulo quodam, auditores suos magis  
 præpararet ac disponeret, vt sublimia, atque profundissima  
 illa, quæ de cœlesti ac diuino hoc cibo dicturus erat  
 mysteria, commodius illi, & caperent,

&amp;

& crederent. Nam, vt ingenuè verum fateamur,  
 miraculi istius magnitudo, multum ad hoc  
 conducit, vt eorum quæ in nostro sacramento  
 fiunt miraculorum, ingentem multitudinem,  
 magnitudinemque capiamus. Magnum quoque  
 subsidium, ac ingens lumen nobis supeditabit,  
 vt eorum, quæ de hoc sacramento dicta sunt,  
 verborum, literalem consequamur sensum.

*Quòd loquendi modus quo in hoc sexto Ioannis capite  
 vsus est Christus, dum de sacramento loqueretur,  
 diligenter obseruari debeat, vt qualis ea res sit de qua agebat,  
 commodius intelligatur.*

## CAPVT VIII.

EX diligenti, quam supra posuimus, causæ illius  
 cōsideratione, quæ Christum mouit, vt tantum operaretur  
 miraculū, prius quàm de carne sua loqueretur,  
 haud paruum sanè fundamentum iecimus, vt  
 comprobemus, quinam verborum illorum, quibus  
 carnem suam hominibus manducandam se daturum  
 promissit, literalis sensus haberi debeat. Nunc  
 proximum est, vt & aliam quoque, quam & ipse  
 etiam Christus obseruauit, circumstantiam  
 consideremus, quando quidem & ipsa, vt eum  
 quoque finem siue scopum propius attingamus,  
 non parum nobis præsidij allatura sit. Ea vero  
 est, quòd eius loquendi ratio promissoria erat.  
 Nam eorum quæ dicebat, nihil tum temporis  
 hominibus exhibebat, sed in futurum tantummodo  
 cœlestem hunc cibum promittebat. Cæterum  
 notandum est, cum Deus hominibus aliquid  
 pollicetur, priusquam exhibeat, id antea homines  
 non habuisse. Deinde animaduertendum est,  
 rem magni esse ponderis, quæ ita longè ante  
 promittitur, quam exhibetur. Ideo siquidem  
 huiusmodi promissio fit, vt & magni momenti  
 homines beneficium à Deo præstolentur, & vt  
 ad illud omnium deuotione ac reuerentia accipiant,  
 sese præparent. Ita enim aliquando magnus ille  
 Messias, longo antequam veniret tempore,  
 promissus est. Ita & dominus Petro ecclesiæ  
 suæ clauem dedit, vt quicquid ligaretur super  
 terram, etc.

ues, antequam eas daret, diu antè promissit.  
 Ipse quoque Spiritum sanctum diu se apostolis  
 daturum promissit, antequam illum mitteret.  
 Cum ergo aliquid pollicetur Deus, haud parui  
 esse ponderis credere debemus, quod à tanto  
 promittitur principe; idque pro certo habeamus  
 etiam oportet, id quod se donaturum pollicetur,  
 homines ante numquam habuisse. Non enim  
 moris est, vt ea res promittatur, quæ iam  
 habetur, hoc siquidem non modo contra  
 promissionis naturam foret, verum etiam  
 ridiculum planè atque vanum prorsus  
 existeret, si alijs de rebus quam de futuris,  
 quæ nondum habentur, id fieret. Quod si  
 igitur (vt ad rem propius accedamus) verbis  
 iam dictis, nihil nisi corporis sui figuram  
 & signum, vel si terrenum solummodo  
 panem atque vinum C H R I S T V S pollicebatur,  
 nonne omnia illa iam longe antè homines  
 & habebant, & apud eos in vsu erant? Habebant  
 siquidem agnum paschalem, manna, panes  
 propositionis, aliaque id genus infinita  
 propemodum corporis sui signa, lege Moyfi  
 instituta. Tantum quoque panis ac vini  
 comederant ac biberant, & in tantum  
 ventrem suum repleuerant, vt sapiens dicere  
 ausus sit, longè plures crapula ac voracitate  
 periisse, quam gladio. Quid igitur, quæso,  
 magni per huiusmodi illis pollicebatur  
 verba, quando quidem & ante promissionem  
 suam, & priusquam in mundum veniret,  
 hisce rebus ipsi quotidie utebantur, imo  
 cum iam longo antè tempore, hæc Iudæis  
 ac fidelibus suis miraculosè in deserto  
 præstitisset? Sed & miraculum illud de  
 quo superius, quamquam permaximi esset  
 ponderis, antea tamen numquam se facturum  
 esse promissit, sicut nec illud cum in nuptijs,  
 aquam in vinum conuertit, sed id præter  
 omnium, qui aderant expectationem operatus  
 est. Nec mirum sanè. Nam vinum, & panis,  
 et si quæ sunt alia eius generis cū  
 miraculosè hominibus cōferuntur, non tanti  
 profecto sunt momēti, vt pollicitationibus  
 admonēdi sint homines, quo ad ea dignè  
 suscipiēda se præparent. Cæterū in hoc  
 capite luce clarius animaduertimus, quemadmodū  
 post admirabile illam quinque milium  
 hominum,

ex quinque panibus refectioem, alterius generis panem ac cibum, longè eoque iam prius ipsis dederat excellentiorem, longèque manna Mosaico digniorem, magnifica pollicitatione se daturum esse promissit. Ipsi proinde loquendi ratio, tantumdem valet, ac si aperte diceret: Vos magna inde admiratio tenet, o Iudæi, quod quinque panibus, quinque hominum milia satiauerim. Mosaicum quoque manna, supra humanum modum admiramini. At ego alterius generis panem & cibum vobis dare statui, qui omnes hos, quos tãto opere suspicitis, cibos, omnibus sane modis longè superabit. Atqui hoc planè est, quod sibi vult promissaria hæc formula, qua diligenter obseruata planius fit, cuiusmodi ea res sit, de qua hic agit Christus. Ne interim pigeat quæso, amice lector, si ita minutim singulas verborum Christi circumstantias, discutiam ac ponderem. Ea si quidem verissima est, genuinum ac natium verbi dei sensum expiscandi, inueniendi que, ratio. Nam quando quidem in tam angustum decertandi locum, aduersariorum nos redegit cõtumacia, vt solo literali diuinæ scripturæ sensu, eos conuincere possimus, nobis visum est quæstioni huic extremam manum apponere, vt eos conuincamus, & literalem verbi Dei sensum pro fide maiorum stare comprobemus. Quod profecto commode fieri non potest, nisi singulæ eius circumstantiæ, ita diligenter excutiantur, ac perscrutentur. Cæterum priusquam considerationi huic, quæ de promissoria verbi dei qualitate & natura est, finem imponamus, generalem quendam, quo omnia promissoria dei verba facillime intelligas, Canonem trademus, qui est huiusmodi: Quotiescumque Deus, aliquid hominibus daturum se pollicetur, vnde vita æterna dependeat, simpliciter quæcumque dicuntur, vti verba ipsa sonant, sine tropo aut sensu mystico intelligi debent: quando aliter ab ipso vel euangelistis non exponuntur, alioqui nimium profecto intolerabilis nostra foret miseria, si cum tam magnificas habeamus promissiones, & de re, agitur vnde vita pendet & salus, quæ ignorari citra certam harum iacturam, & grauissimo mortis æternæ malo nequit, in tantis nihilominus destitueremur tene-

bris, vt ex verbo Dei illas certo cognoscere nulla ratione possimus. Ideo si quando figurata locutione quippiam promittendo visus est, eius verba vel ipsemet, vel quispiam ex euangelistis eius statim interpretatus est. Quod nobis cõtingeret, si vt quid locutus est Deus, intelligamus, aliunde quam ex literali verborum eius sensu, nobis excogitandum foret, quod tum vti que sit, cum eius verba non in communi ac nativo sensu, sed pro re quapiam, ad quam designandam numquam fuerint instituta, accipiuntur. Atque hoc certe apertam fuerit Deo impingere calumniam. Hoc enim esset asserere, eum aliquid nobis ad salutem necessarium, & sine quo vitam consequi non possemus sempiternam, promississe, & nihilominus tamen quænam ea res sit, clare ac discretè noluisse nobis insinuare, sed in eo potius oblectatum fuisse, quod incertis quibusdam coniecturis, eam nobis excogitandam reliquerit. Quemadmodum fit, quando relicta naturali verborum ipsius significatione, conijcimus eum alia de re locutum fuisse, quam ipsius vti que significauerit verba. Et quid aliud est hoc, quæso, quam deum ipsum, & fidem nostram, paganorum irrisionibus ac ludibrijs exponere? Quapropter firma semper memoria vniuersalem hanc teneto regulam: Quotiescumque Deus aliquid ad salutem necessarium hominibus promittit, tunc eius verba communi locutionum vsu ac more, & non aliter accipienda sunt. Ex his iam profecto liquet, quantum nobis profuerit, circumstantiam hanc de modo ac loquendi formula, quæ in hoc euangelio Christus obseruauit, diligenter considerasse. Hinc si quidem necessarium, ac omnino irrefragabile quoddam argumentum inuenimus, quo verborum Christi in euangelio, natium ac literalem sensum eum esse comprobemus, quæ eis maiores nostri assignant. Nam tale quid hominibus hic promittitur, sine quo saluus fieri nemo potest. Magna proinde eis fieret iniuria, si ex sensu tropici, spiritualis ac mystici incertitudine, coniecturam facere deberet, quænam eiuscemodi res sit, quæ eis in hoc sexto Ioannis capite, ad salutem necessaria promittitur. Duo hic ex promissionis diuinæ circumstantia argumenta sumuntur, quæ verò demonstrationes videntur non probabiles

les tantum rationes, quæ syllogismi forma sic fieri possunt. Nullæ dei promissiones de rebus sunt paruis. At signa, ymbra, & figura parua res sunt, & dei indignæ promissione. Non ista igitur hic dei promittit filius. Altera demonstratio. Omnis promissio de rebus est, quas nondum homines habent. At dum Christus carnem promitteret suam in cibum, longè antea illam in signis & figuris, in spiritu & per fidem antiqui manducabant patres. Non igitur signa hic aut figuras carnis suæ, non spiritualitatem aliquam tantum aut perfideitatem, qualem heretici cogitant, sed ipsam carnis suæ, quam nondum homines habuerant, realitatem promittit. Et eæ duæ demonstrationes necessariò concludunt, quas in syllogismi formam, in rudium lectorum gratiam reduxisse libuit. Est alia quoque demonstratio hic, à causa finali ad medium incedens illationem, quæ talis est. Promissionum verba sine tropo & figura accipi debent, vt certo intelligatur quid sit id quod promittitur, aliàs finis non obtineretur ipsarum naturæ congruus: nam finis propter quem aliquid promittitur, antequam detur, est, vt intelligatur quid sit. Dicere enim alicui, ego tibi dabo, & non dicere quid, vel ita obscure dicere quid sit, quod ex promittentis verbis, quid sit certo scire non possit, idem est ac nihil dixisse vel promississe: ex verbis autem parabolicis non interpretatis nihil certi sciri potest. At Christi in hoc euangelio verba promissoria sunt. Sine tropo ergo & figura, omnique mystici sensus ambiguitate interpretanda sunt. Hæc igitur Christiane lector nota diligenter, quod rectius iudicare possis, non iure meritoque verba Christi promissoria, rei præsertim tanti ponderis, simpliciter ac iuxta literam maiores intellexerint nostri.

*Octo epistolæ huius, quæ in hoc euangelio, cibo illi, quem Christus promittebat, attribuntur, necessariò concluditur, cibum hunc, veram esse Christi carnem, de qua hic agitur.*

## CAPVT IX.

Quoties aduersariorum error animum meum subit, illorum profecto

cecitatem atque amentiam, satis equidem demirari nequeo, cum hoc in euangelio Christum alia de re, quam de carne ac sanguine suo loquutum esse contendit. Nam vt facillè nobis daretur intelligi, qua de re loqui vellet, tanta epithetorum, proprietatum, caterarumque qualitarum copia vsus est, vt nulli vnquam præterquam ei, de qua loquebatur, rei, & de qua nostri quoque intellexere maiores, hoc est, carni & sanguini suo, ea conuenire possint. Nos autem octo hic numero recensebimus, & aduersarijs nostris annos etiam centum (si voluerint) concedemus, vt si possint, rem quamquam fabricent, quærant, somnient, cui omnes diuinitates, congruant & competant, ea excepta, cui maiores nostri, clarum verbi dei sensum profectus, eas semper attribuerunt appropriantque. Atqui vt promptius lector eas memoria mandare possit, nos in certum quendam ordinem, quoad commodissimè fieri poterit, digeremus. Prima igitur panis huius proprietates & conditio est, quod sit cœlestis, ac plane talis, qui de cœlo descenderit, sicuti Christus manifestè testatur iniquens. Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Panis autem Berengarianus, panis est terrenus, vt pote de terra natus, & de terra editus. Sed & ille, quem in cana sua Caluinus suis porrigit discipulis, non est panis, qui de cœlo descendit. Nam ipsi dominico corpori verè non communicant, cum illud alibi iuxta eorum opinionem non sit quàm in cœlo, nec ipsi alibi, quàm in terra: ita vt quod habet in cana illa sua (si quid tamen præter vinum & panem habeant) non è cœlo veniat, sed nescio vnde, nisi fortè hoc in phanatico eorum cerebro dixeris procreari. Nam cum ab eis dominus cœlo concludatur, & ad extremum vsque iudicium ab ipsis ibi detineatur, nec eorum licentiam habens cathedra moueri, vel vsquam alibi, secundum eos, inueniri possit, quomodo vt in eorum cœna reperiretur, descendere cœlitus? Vnde cœnam suam alio nomine, atque dominicam, meritò nuncupare poterunt, quandoquidem nec apud eos dominus cœnet, imo nec possit quidem

- quidem (vtripsi aiunt) in cena eorum Caluiniana, ne dicam canina, inueniri.
2. Secundò, panis iste, de quo loquitur Christus, viuus est, sine viuens, hoc est, spiritu & vita plenus. At Berengarianorum panis, panis est mortuus, nihil penitus in se aut spiritus, aut vitæ cõtinens. Caluiniani quoq; cùm ita sit, quod verum Christi corpus in sua communione non habeant, vtpote contra quod in conciliabulo suo nescio quem corporum carcerem statuerunt, vt illud in cœlo ad finē vsque sæculi captiuum detineant, nullā penitus viam substantiam in sua habet cœna. Tertiò panis iste nostri Messia, non solum viuus est, sed etiam viuificās, & ijs, qui illum manducant, vitam conferens. Hic est, inquit, panis, qui de cœlo descendit, vt si quis ex eo manducauerit, non moriatur in æternum. At sacramentarium panis nequaquam profectò tam nobilem sortitur effectum, quādoquidem non nisi paucissimo tempore, mortalem hanc vitā conservare queat. Cæterum nota hic, quod scripturæ vsu, & suo loquendi more, panis nomine, omnis cibus comprehenditur. Vnde cū de sacramento hoc deinceps loquemur, nunc panis, nunc cibi nomine indifferenter vtemur.
4. Quartò panis iste, hominibus à Deo patre cœlesti præparatus est, ac dispositus, à quo profectò, non nisi & peculiaria, & præclara nobis expectanda sunt: imo longè præclariora ijs, quæ vel Moyles, vel priores alij prophætæ, Israelitis vnquam contulere. Hinc ipse Dominus ait, Non Moyles, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Berengarianorum verò panis, hominū manibus pistus est, ac compositus, eorumque adinventionibus fabricatus, atque in phantastica, adeoque incredula cerebri ipsorum fornace decoctus. Quin tò hic panis, pro ijs, qui illum comederint, connexam sibi vitæ æternæ promissionem habet: Si quis manducauerit ex hoc pane, inquit, viuet in æternum. Verum panis Berengarianus, aut Cereris arte inuentus, nequaquam profectò tantæ virtutis est. Eheu, quoties ante Christi aduentum, homines ventrem suum, panem, ac vino repleuerant, quoties Cereri & Baccho libauerant, cùm interea eorum nemo potuisset vitam consequi sempiternam? Panis proinde Cereris

& vinum Bacchi, nulla profectò ratione, diuino huic cibo, ac cœlesti illi poculo, conferenda sunt. Legi equidem nonnullos, qui nimio se potu ingurgitando mortem sibi comparauerint, ac sic vtramque vitam perdididerint: sed qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Sextò, panis hic Messia, terribilem in eos, qui illum sumere recusant, æternæ mortis comminationem adiunctam habet, ipso attestante, qui ait. Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. En quā periculosa, atque formidanda comminatio. Cæterum de pane Berengariano, aut Cereris, nihil tale vnquam dictum legimus. Non enim mortem æterpā cuiquam interminatur, nisi panem illum comedat. Qui nec iam temporanea hæc vita, nō solum triticeo pane, sed etiam alijs pluribus cibis sustentari potest. Septimò, Dominicus iste panis, illius virtutis est, vt nos vniat Christo, & Christus vniatur nobis, & ex consequenti nos vniatur Deo. Sic enim ipse ait. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sed ex vino & pane Berengariano, contrarium planè id quæ non rarò nobis accidit. Nam ob peccata, quæ eorum occasione perpetramus, frequenter à Deo disiungimur. Certè per illa deitati non vnimur. Octauò, hic panis Mosaico manna longè excellentior est, & efficacior. Non sicut patres vestri, inquit, manducauerunt manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. At materialis & triticeus panis non est manna, neque præclarior, neque efficacior. Consequitur itaque non de huiusmodi pane, in hoc euangelio Christum loqui. Ecce octo cibi huius, quem hominibus pollicebatur Dominus, excellentes magnique ponderis notæ, ac proprietates, quæ quidem omnium diligentia animaduertendæ sunt, vt deinceps panem, hic, non pro triticeo pane, sed pro realia longè excellentiori accipias. Cùm igitur res ita se habeat, vt CHRISTVS panem hunc suum, atque cibum, ab alio communi hominum pane, tanto circumstantiarum numero, ac pondere distinxerit, vehementer mirabor equidem, si quis adeò præsumptuosus fuerit, & pertinax, vt deinceps contendere audeat, ipsum non de alio, hic, atque de triticeo pane locutum esse. Quandoquidem triticeus iste panis, res sit mortua, corruptibilis, terrena, non viuificans, nec ad vitam beatam consequendam, villo modo necessaria. Quis enim iam non videat, quā disertè & clarè, & quanto (vt nunc dixi) circumstantiarum numero, vnum ab altero distinxerit? Quas sane circumstantias, si omnes in vno hic cathalogo congregare voluerimus, decem numero compeciemus.

6. Primò, miraculo quodam præparatur auditor, vt admirandas cœlestis huius panis proprietates audiant.

7. Secundò, promissoria loquendi formula intelligi datur, rem magni esse momenti, longèque amplius, atque cibus cõmunis, talemque, qualem numquam antea homines habuerant.

8. Tertiò, panis iste dicitur cœlestis, ac è cœlo trahens originem.

Quartò, dicitur viuus, aut viuens.

Quintò, dicitur à Deo patre cõfectus, & ab eo hominibus datus.

Sextò, non solum viuens est, sed etiā viuificans.

Septimo, vitæ æternæ pro ijs, qui illum sumperint, promissionem sibi adiunctam habet.

Octauò, æternæ mortis pro ijs, qui aut contempserint, aut recusauerint, cõminationem continet.

Nonò, virtutem habet, vt nos Deo vniat.

Decimò, Mosaico manna longè excellentior est.

Quæ omnes circumstantiæ vsque adeò clarè, & apertè Dominum, non de triticeo pane (vtpote in quem omnia hæc epitheta, seu notæ, nullatenus competere possint) hic locutū fuisse concludunt, vt mihi appareat, nunquam aut efficacior, aut magis necessariam conclusionem effici posse, atque hic cõficitur. Neque verò commodius rem vnam ab alia posse, aut distingui, aut separari, atque hac ratione, qua hic vsus est Christus, cū panem suum à communi hominum pane, atque ab omni alterius generis cibo, quem vnquam antea habuerant, distingueret, & discerneret.

*Qualis sit iste cibus, nemo melius Christo, nos docere potest: ipsius proinde, & non hominum verbis, ad hæc animus oportet.*

## CAPVT X.

Quisquis mortalium Christi verba, quæ in hoc ponuntur euangelio, attenta mente, vel legerit, vel audierit, ac omnes eius circumstantias maturè perpenderit, is duplici nomine (quantum equidem arbitrò) confiteri, ac etiam credere compelletur, magnificum prorsus longèque amplissimum fuisse illud donum, quod Christus ibi hominibus pollicebatur. Primò, quod cœlitus illud attulerit, è patria videlicet tam scælici, ac longè distita. Secundò, quod ex ei⁹ muneris acceptatione aut reiectione, hominum mors, atque vita dependet, Mors, inquam, & vita, non huius vitæ caduci corporis, sed animarū planè nostrarum, hoc est, mors & vita, quæ finem numquam habitura sunt, quandoquidem vtraque sempiterna sit. Quisquis ergo diligenter attenderit eum, qui loquitur, Deus quippe cœli, terræque cõditor, ipse est, qui loquitur, & quam amplæ sint promissiones, quas facit ijs, qui eas susceperint, & quam terribilibus minis illos terreat, qui ipsas reiecerint, continud inferet, pro certo credendum esse, rem de qua loquitur magni admodum esse momenti, eamque hominibus esse nō modo vtilem, ac frugiferam, verum etiam prorsus necessariam, vtpote sine qua (veritate ipsa attestante) vitam non possint consequi beatam.

Nolo, amice lector, vt huius generis summæ illius maiestatis verba, leui brachio, non secus ac si vanæ hominum ostentationes forent, transigas. Nam verba sunt planè viuæ, quæ præstant semper, quod pollicentur, quæ numquam vana sunt, nec ipsa veritate vnquam, nec suo carent effectu. Atqui istud sanè non abs re, tam seriò monuerim, cùm probè intelligam, in huiusmodi argumento, primā erroris causam esse, quod aures non arrigamus, vt & Deum loquentem audiamus, & ea, quæ nobis loquitur, animaduertamus. Nam diligens ca-

rum rerum, quæ de spiritali reali que hoc cibo dicuntur animaduersione, quemlibet mortalium (qui ut beatam illam, quam omnes desiderant, immortalitatem consequatur: & ut mortem, ac miseriam, à qua omnes abhorrent, enitet sempiternam, studiosus est) omnem operam nauare compellit, ut nosse ac intelligere possit, quænam ea res sit, de qua sublimis illa Dei sui maiestas, tam grandia loquitur. Id quod sanè ex ipsius verbo, & non aliunde, ipsum addiscere oportet. Nemo siquidem est, qui ipso melius nobis dicere, aut declarare nouerit, quid rei nobis loqui præferat. Quapropter ipse verbo, seposita omni disputatione, lite, murmure, ratiocinatione, ac (ut ita dixerim) quomodizatione, simplici mente credendum, planeque obediendum est. Tantæ siquidem maiestatis verba, eam prorsus ab vno quoque; subditorum reuerentiam, atque honorem exigunt, ut ipsis longè plus quam cuiusuis alterius orationi, fidem adhibeant, tamen hinc Iudæus suo iudicio subtilis & callidus, illud suum Quomodo, inde philosophus curiosus naturæ indagator, suum Quare, illinc sophista verbosus, argumentum quamlibet validum, humanæque rationi consentaneum, opponat. Deus etenim omnipotens, qui & in cælo & in terra, quæcunque voluit fecit, ipse est qui loquitur. Ipse, inquam, ad cuius verbum vastissima totius orbis machina contremiscit, nutat, & labascit. Ipse cuius verbo omnes naturæ leges conditæ sunt, & stabilitæ. Quæ cum ita sint diligenter expèdite, utrumne magis rationi consonum sit, ipsius vocem audire, ipsiusque verbo, quam aut naturæ rationibus, aut philosophorum argumentis, aut sophistarum argutijs credere. Nos proinde, ô Christiani, nos, inquam, qui eius creaturæ sumus & c subditi, nos, dico, ipsius discipuli, & oves pascuæ eius, Christum ipsum loquentem audiamus. Audiamus, inquam, ipsius creatoris nostri, Dei nostri, pastoris nostri, atque ad eum cœlestis doctoris nostri, arcana verba. Audiamus, inquam, ac ei quicquid nobis interim dixerit, firmissimè credamus. Neque enim, ut homines, mendax est; aut impostor; nec porro talis, qui rem quampiam polliceri velit, quam exhibere aut nolle, aut omnino non possit. Quid ais igitur Christo: Que-

nam est ea res, de qua tanta mirabilia, quæ modo legimus, pronunciafi? Omnes siquidem alios, præ te, doctores, atque magistros contempsimus, ut illam à te vno discam? Dicis igitur nobis quænam ea sit? Ego sum, inquit, panis viuus, qui de cælo descendi.

*Quod prima illa voce (ego) abundè satis Dominus explicauerit, quæ de re loqueretur, cum nobis panem vitæ promitteret.*

## CAPVT XI.

**N**VNC intelligo te ô Domine mihi scio enim quid tibi velit vox illa (ego): nam dictio (ego) apud Latinos, pronomen est primæ personæ, cum designans, qui loquitur. Quando itaque dicis: Ego sum panis viuus, intelligo te vel le dicere, quod tu ipse sis panis ille viuus, de quo scire cupiebam, quisnam, & qualis esset. Tu, inquam, tu ipse es ille panis, & non aliud. Sed quis tu? Tu Deus, & homo, diuina, & humana natura, atque ita duæ prorsus naturæ in vno supposito. Nam clarius omnino responderi non potest quærenti, quis ibi est, atque si respondeatur: Ego sum, maximè si ex voce respondens agnoscat. Cum igitur quæro, quis est ibi ô Domine Deus? Quidnam rei est, quod sub isto tenemus sacramento, quid nobis promittis? Mihi continud sit satis, & ego illius rei, quæ ibi est, firmissimus statim, atque certissimus efficior; cum te dicentem audio: Ego sum. Te enim ex voce agnosco. Tu ipse es, qui sic loqueris, & non alius quisquam tuo positus loco. Hoc igitur pronome (ego) Christus ita disertè, & clarè expressit, quisnam esset panis ille viuus, de quo loquebatur, ut nihil clarius vnquam dici potuerit: ita ut nemo qui nouerit, quid significet vox illa (ego) amplius dubitare queat, quæ de re loqueretur. Sic aliquando Samaritana illa cum ab eo quæreret, quisnam esset magnus ille Messias, suæ statim petitioni abundè satisfactum iudicauit, ubi Christus respondisset: Ego sum, qui loquor tecum. Sic & aliàs cum nocte quadam eius discipuli mare transfretarent Tyberiadis, nocte, inquam, diè illum immediatè præcedente, quo primum verba hæc de pane suo cœlesti locutus

Ioh. 4.

Mat. 14.

Mat. 6.

Ioh. 6.

cutus est, & valida tempestate exorta, ventis agitarentur contrarijs, videntes eum per medios vortices marinos sicco obambulante pede, extimuerunt valde, existimantes phantasma esse: at ipse ut de sua illos corporali, veraque presentia securos redderet, consimilia replicauit verba, dicēs. Ego sum, nolite timere: Iudæi quoque cum eum in horto quærent, & ille respondisset, Ego sum, vnico hoc verbo certissimi fuere, ipsum in propria esse persona, quem quærebant Iesum Nazarenum. Denique, cum post suam resurrectionem ianuis clausis in eam intrasset domum, ubi ob metum Iudæorum congregati erant discipuli, & illi timore perterriti, putarēt se spiritum videre (neque enim existimabant, Christi corpus posse ad eos obseratis ianuis ingredi, vnde & sibi omnino persuadere non poterant, illum in suo ipsius corpore, quod pro nobis morte subierat, ibi præsto adesse) ut ergo ipsis persuaderet, certioresque eos redderet, se ibi & in corpore & in anima presentem esse (ita ut ibi plane integer esset & verus Deus, ac verus homo) his vsus est verbis. Ego ipse sum, inquit, nolite timere. Hinc igitur liquet, quis legitimus sit vsus huius pronominis, ego, nimirum, ut totam, & non partem tantum, eius, qui loquitur, personam denotet. Vis igitur scire quisnam, & qualis sit panis iste viuus, quem nobis Christus promittit? Animaduerte quis & quæ sit ille, qui dicit, Ego sum. Quippe, suam ipsius nobis promittit personam, hoc est, pollicetur nobis seipsum presentem, siue quicquid ipse est, daturum in cibum vitæ æternæ. Nunc igitur diligenter expende, quot res in Christo existant, qui hoc pollicetur. Primò namque in eo ipsa cœlestis verbi diuinitas, quæ secunda est summæ illius Trinitatis persona. Secundò est ipsa humanitas, quæ ex corpore & anima rationali constituta est. Quæ omnia, sicut in vna sua existunt persona, hominibus in cibum vitæ daturum se pollicetur. Quapropter non diuinitatem solam, nec solum spiritum, nec animam solam, nec solum corpus, nec gratiam solam, sed seipsum totum, cum omnibus quæ in eo sunt bonis, donaturum se pollicetur. Vnde si quis vnam tantum Christi partem hic promissam intelligere vellet, vehementer erraret. Nam si ita

Ioh. 13.

Luc. 24.

esset, dicere non debuerat, ego, sed hæc vel illa mei pars, puta, solus meus spiritus, sola mea diuinitas, panis est viuus, de quo vobis loquor, quando quidem illud, ego, non nisi de tota eius qui loquitur persona, dici potest. Ego sum inquit, panis viuus, qui de cælo descendi. Quomodo de cælo? Primò si aduertis eum, qui loquitur, ipse est secunda sanctissimæ Trinitatis persona. Si in quo corporaliter continetur eius diuinitas humanum corpus attendis, & ipsum de cælo quodam modo descendit, quandoquidem cœlestem originem habet. Ac sic vtraque, quæ in eo est, natura, è cælo est, ac cœlestis: diuina quidem per naturalè inhabitationem: humana vero per originem. Non enim hæc terreni alicuius hominis actione aliquando genita est, sed Spiritus sancti operatione in vtero virginis concepta. Homo terra est: Christus autem numquam terrenum hominem pro patre habuit: quandoquidem ex Spiritu sancto illum virgo concepit. Non igitur è terra, sed è cælo, mirabilis iste cibus originem trahit. Ac sic proinde cœlestis est, non terrenus aut corruptibilis. Atqui hic verus est & literalis, primorum illorum Christi verborum sensus, ex natua ipsarum vocum, quibus ipse vsus est significatione desumptus. Nunc superest, ut quæ sequuntur, eadem commoditate explicemus.

*Sententia huius explicatio. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

## CAPVT XII.

**C**AETERUM orationem suam profequatur ipse Christus, ut quid per hunc panem viuum intelligat, latius nobis explicet. Si quis manducauerit, inquit, ex hoc pane (scilicet viuo) viuere in æternum. Et panis (subintellige semper, viuus) quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Sed quomodo panis iste viuus est? Ideo certè viuus dicitur, quia cum panis iste terrenus ante consecrationem benedictionemque diuinam, planè mortuus sit, & nihil prorsus vitæ in se continens, ipsius consecrationis vi ac potentia, in viuam Christi carnem conuertitur, ut eandem prorsus cum ipsa, vitæ rationem habeat. Nam quemadmodum

C

panis

panis quem comedimus, quando virtute naturalis digestionis in carnem nostram commutatur, ex substantia mortua & vita carente, in substantiam conuertitur viuam, ita vt non possit amplius appellari, nisi panis viuus siue viuus, sic etiam quando verbi Dei omnipotentia atque operatione, panis iste in CHRISTI carnem transmutatus est, deinceps panis viuus appellatur, qui antea mortuus erat, & absque vlla omnino vita, & sine illa, (quam per tam nobilem atque eximiam commutationem acquirit) viuificandi virtute. Nam post huiuscemodi in carnem CHRISTI conuersionem & commutationem, eius virtutis est, vt qui dignè illum manducauerit, victurus sit in æternum. Et qui manducat ex hoc pane (inquit) viuat in æternum; hoc est, viuat vitam planè foelicem & gloriosam, quæ à morte sempiterna in eo distinguitur, quod hæc miseria, atque infœlicitas sit perpetua. Vult ergo Saluator noster dicere, sempiternam quandam foelicitatem acquiri, viui huius panis manducatione. Sed istud exprime (quæso te CHRISTE) clarius: Quomodo panem hunc manducabimus? Nónne viuum te atque integrum esuri sumus? Hoc dico fiet, carnem eius fumendo. Audiamus enim ipsum loquentem. Et panis quem ego dabo, inquit, caro mea est pro mundi vita. Hic præuidens CHRISTVS multos fore incredulos, qui ob sua quæcumque ante fecisset verba, nihil amplius cogitarent, quàm ipsum de solo spiritu suo, aut de sola diuinitate, & non de carne sua loqui, vt falsæ eorum opinioni occurreret, voluit tandem de ea sui parte, ob quam grauiores excitatos controuersias homines esse præsciuit, id est, de carne sua quam clarissimè potuit, loqui. Proinde hæc eius verba tantumdem valent, ac si apertius dicat. Iure iurando assuecraui vobis, me esse panem viuum, de cuius manducatione, hæc mea ad vos habetur oratio, sed ne solo spiritu me ipsum vobis in cibum præbere velle putetis, hoc vobis confirmo, illum panem viuum de quo loquor, à vobis tunc verè sumendum esse, cum carnem meam manducaueritis.

Hanc ipsam dico carnem, quæ pro vobis in mortem tradenda est. Quocirca non nudum spiritum, sed & veram carnem meam, cum omni eo, qui sub ipsa regitur, cœlesti thesauro, vobis polliceor. Quibus sane verbis omnium nostrum animos præoccupauit, ne aut intelligeremus aut diceremus, ipsum carnem suam ab hoc sacramentali cibo separare voluisse. Nam nomen istud (caro) non nisi pro ea corporis sui substantia hic accipi potest, qua dicti iam corporis sui ossa teguntur: hoc est, in eo planè sensu, quo alias accipiebat, cum Apostolis diceret. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Deinde cum diceret, caro mea, clarè dabat intelligi, se de ea prorsus carne loqui, quam ex vtero virginis sumpserat. Siquidem aliam ab ea omnino non habebat, quàm verè, ac propriè carnem suam nuncupare potuisset. Atqui certè neminem vsque adeo desipere arbitror, cui si dixerit, quod carnem meam, aut inciderit, aut læserit, qui hac phrasi loquendi intelligere possit, me alia de carne loqui, quam de illa, quam vna mecum ex matris vtero attuli. Sic ergo & CHRISTI verba cum sint vsque adeo clara, omnino intelligi debent. Nam hoc pronomine, mea, cum ait, caro mea, omnino vetuit, ne hæc eius verba, alia de carne dicta intelligerentur, quam de ea, quæ cum ipso, de vtero virginis prodijt, & quæ pro nobis in cruce mortem subiit: quemadmodum ipsemet testatur, in quiens. Et panis quem ego dabo caro mea est, illa (inquam) ipsa caro, quam ego tradam pro mundi vita.

*Quod Christi verbis, superius explicatis, plures errores, maiorum fidei ex diametro repugnant, improbantur.*

## CAPVT XIII.

EX eo, quod saluator noster hunc panem suum, viuentem, seu viuum, appellat, duo inprimis haud parum absurdi refelluntur errores. Prior est eorum, qui existimant cum hic de

panc

panc mortuo loqui, puta, de pane triticeo. Quem quidem errorem, ante Berengarium, qui sustinere præsumperit, neminem me legisse meminisse. Siquidem nota ista (viuens aut viuus) ita omnium animos peruasferat, vt nemo ante ipsum intelligere auderet, Christum hic de pane materiali aut triticeo loqui. Et hoc idè, quod cum de pane viuo sermo habetur, nihil minus, quam de pane triticeo, qui totius vitæ expers est, cogitatur. Quem profecto errorem fatis abundè etiam refutat, quum hunc panem suum cœlestis descendisse pronuntiat. Quocirca ab ipsa domini in cœlum ascensione, ad Berengarij vsque tempora, per annos mille, nemo ita desipuit, vt putaret Christum per huiuscemodi verba, materialè panem hominibus, polliceri. Vsque ad eò sanè clara, & aperta omnibus erant, quæ huic pani affiguntur epitheta, vt maiores nostros omnino præpedirent, ne id aut dicerent, aut crederent. Et quamuis plures magno atque excellenti ingenio viri, tanto temporis spatio in ecclesia extiterint, quorum nonnulli etiam peruersissimi fuere hæretici, qui cum eo animo essent, vt & fidem & ecclesiæ pacem disturbare supra modum niterentur: attamen nemo eorum vnquam, eò impietatis amentia ve delapsus est, vt talè verbum Christi sensum adscribere audeat, qualem postmodum Berengario, cum suis sequacibus affinxit. Negro proinde flagitiosa hæc impietas, in perpetuum est notanda lapillo. Secundò, Capharnaitarum errorem his verbis Christus inprobauit, qui eius planè erant opinionis, vt, ipsum putarent carnem suam hominibus mortuam, ac vitæ expertem polliceri, ita vt non secus atque aliæ quæuis carnes, aut assata, aut elixa comederetur. Propterea non cibum mortuū, sed viuum se nuncupat: ex quo manifestè profectò dat intelligi, lōgè alio quàm communi aliarum modo carnem suam manducandam esse, sic nimirum vt nec occideretur, nec vita priuaretur, hoc est, tali prorsus modo, qui neque ei dum ederetur, dolorem vllum infligeret, neque manducanti pareret horrorem. Tertio, verbis iam dictis Berengarianorum pariter ac Caluinistarum errores, coniunctim reprobantur: nam Christi sententijs commodè apponi non possunt,

quæ ipsi harum dictionum loco, est, caro, panis viuus, appingunt, quin sententiam continuò absurdam, nugacem, insipidam, ac ab omni vero sensu reddideris alienā. Nam in primis experire, quæso, vt reponas vocem, significat, loco illius verbi, est, & ad eum profers modū, ac si Christus dicere voluisset, Ego significo panem viuum, qui de cœlo descendit. Quid hoc, quæso, absurdius? Experire similiter, vt & huic illud orationi appingas, Et panis viuus quem ego dabo, caro mea est, dicendo, Et panis viuus, quem ego dabo, significat carnem meam, Quo quid nugacius? Hoc enim tantumdem valet, ac si diceret. Caro mea significat carnem meam: nam panis viuus & caro, hic pro eodem penitus accipiuntur. Hoc idem facito in eisdem verbis, ponendo voces Signum vel Figura pro voce, caro, dicendo. Panis viuus quem dabo, est signum carnis meæ, & eandem prorsus absurditatem deprehendes. Denique periculum hic facito, vt methonimia vtaris Caluiniana, collocadoscilicet verba hæc, effectus carnis, loco, panis viui, ita dicendo, Ego sum panis viuus, id est, ego sum effectus panis viui, quod idem esset, ac si dixisset, Ego sum effectus meæ carnis. Item enunciationis huius loco, Panis què ego dabo, caro mea est, dicito. Effectus carnis meæ, quem ego dabo, caro mea est, & mox comperies nullo posse modo ita aptè verba illa loco carnis aut panis viui collocari, vt inde sensus aliquis eorum errori consonus elici possit, quin plurimum saltem absurditatis, aut nugacitatis habeat. Somnient proinde Berengariani, fabricent quoque, si lubet, Caluiniani, quascunque potuerint nouarū vocum nouitates, quibus vel suos tueantur errores, vel quas verborum Christi loco reponāt: scio tamè eos nihil, quod vel suis erroneis opinionibus tutandis patrocinari queat, vel quod verborum Christi loco, rectè, aptèq; collocari possit, allaturos. Quæ cum ita sint, necessarium planè fuerit, Christi verba, vt suo quæq; loco posita sunt relinquere, & quemadmodum ea significant, firmissimè credere. Nota igitur diligenter, Christiane lector, has omnium primas Christi sententias, quas maiorum nostrorum aduersarij nulla potuerunt ratione sic corrumpere, vt falsis ipsorum opinionibus tu-

4. tandis, aliquo modo potuerint accom-  
modari. Quod cum feceris, vehemen-  
ter, scio, eximiam illam maiorum no-  
strorum prudentiam, miraberis, qui ve-  
rum atque genuinum scripturæ huius  
sensum, tam diligenter, vt intelligerent  
examinarunt, atque intellectam sic te-  
nuerunt, vt non alia de re quam de car-  
ne sua, Christum locutum fuisse credi-  
derint. Atqui ita sanè Christi verba, &  
audiendo, & in natiuo sensu suo, absque  
vlla omnino contortione aut violentia  
explicando, in eius tandem rei cognitio-  
nem, cuius mädicationi tam insignem  
vitæ æternæ promissionem, & ad cuius  
contemptum, tam horribilem sempit-  
ernæ mortis comminationem Christi  
5. adiecerat, deuenimus. Ea siquidem  
res est, ipsissimus Dominus noster Iesus  
Christus, cum propria carne, cum pro-  
pria anima, ac diuinitate sua.

*Ex eo quod Iudæi audito Christi verbo de sua  
carne manducanda, non de sensu eius dispu-  
tauerint, sed de ipsius Christi potentia, con-  
cluditur verum illius sensum esse, quem  
maiores semper te-  
nere.*

## CAPVT XIII.

**H**IC quòque gestus, quo Iudæi ver-  
ba Christi audierunt, & modus quo  
ad ea responderunt, cum eis de mandu-  
canda carne sua loqueretur, studiosè à  
nobis obseruandus est, vt quis genuinus  
eorum sit sensus, planius intelligere pos-  
simus. Nam hæc vsque adè clarè & a-  
pertè de Christi carne manducanda lo-  
quuntur, vt nec ipsi quidem Iudæi, aliud  
quam cum de carne sua loqui, omnino  
potuerint suspicari. Id quod vel hinc  
sanè manifestum euadit, quod auditis e-  
ius verbis, disputare non cœperint, v-  
trum de carne sua loqueretur, necne, sed  
de eius potestate omnis eorum discepta-  
tio fuit: quomodo nimirum præstare  
posset quod pollicebatur. Aliam siqui-  
dem de Christo, atque de quouis alio ho-  
mine puro, opinionem non habebant:  
ideoque cum diuinam eius potentiam  
ignorarent, nec modum quo carnem  
sua hominibus manducandam præ-  
beret, capere possent, cœperunt super e-  
ius verbis contendere, & (vt ita dixerim)

Quomodoizare, dicentes. Quomodo  
potest hic nobis carnem suam dare ad  
manducandum? Quasi dicant. Hoc ei  
omnino fuerit impossibile. Quomodo  
enim homuncionis vnus toti terrarum  
orbi caro sufficeret? Atqui verò sit ita  
vt possit, nõnne hoc tamen abominan-  
dum foret scelus, carnem suam alijs di-  
laniandam, atque deuorandam exponere?  
Quomodo igitur aiunt, iste ex car-  
nis suæ esu, æternam dicit dependere vi-  
tam? Nescimus profectò, quid loquitur.  
Quis igitur est hic, qui tam abstru-  
sa mentibus nostris insonat verba? Nõn-  
ne hic est filius Ioseph & Mariæ, cuius &  
patrem & matrem probè nõuimus? At-  
que ita multa inter eos disceptatio, mur-  
mur, & quomodoizatio erat, non vt di-  
scerent an de carne sua loqueretur nec-  
ne. Nam ita disertè & clarè de ea locutus  
fuerat, vt nullus omnino apud eos hac  
de re dubitandi relictus esset locus: sed  
de eius potentia omnis eorum conten-  
tio erat: vt pote, quem non alium atque  
Ioseph & Mariæ filium arbitrarentur.  
Vnde ab omni prorsus honesto loquen-  
di genere, alienissimum esse reputabant,  
quod homo huiuscemodi vteretur ver-  
bis, quodque talia promittere præsume-  
ret. Et certè (vt ingenuè verum dicam)  
si quispiam homo purus, qui Deus quo-  
que non esset, huiuscemodi sermones si-  
bi usurparet, actalia de se præsumeret,  
nec mirum profectò apud me foret nec  
ingratum, si eum omnes exploderent.  
At vero quando Deus ipse loquitur, lõ-  
gè secus profectò res se habet. Quanto-  
petere enim magnà fuerint, quæ ille aut di-  
cit, aut promittit, & quantum cum-  
que sit, quod de eius aut dictis aut pro-  
missis adimplendis homo capere possit,  
tunc tamen quo minus credat, excusatur  
nemo. Quod si Iudæi præter id quod ex-  
trinsecus cernebant, Christum etiam ve-  
rum ac vngentum Dei filium esse co-  
gnouissent, numquam ausi fuissent (vt  
equidem arbitror) de eius verbis con-  
tendere. Quomodo igitur nos Christiani,  
qui pro certo scimus eum, qui talia  
loquutus est, verum esse omnipotentem  
Dei filium, qui que intelligimus eum,  
non dico longè plurima; sed etiam infi-  
nita omnem humani ingenij capacita-  
tem excedentia, efficere posse. Quomo-  
do inquam excusari poterimus si Caphar-

pharnaitarum more, nostris Quomo-  
doizationibus, aut philosophicis ratio-  
nibus eius verba oppugnare voluerim?  
Hic te interim, amice lector, commone-  
re cupio, quamobrem his vtar verbis,  
Quomodo, Quomodoizare, Quomo-  
dotista, Quare, Quarista. Id sanè facio,  
vt nouis istis hæreticis, qui omnium pri-  
mi de corporis Christi in Eucharistiæ sa-  
cramento reali præsentia, suis quæstion-  
culis, ac minutis veluti interrogatiuncu-  
lis contendere cœperunt, nomen pro-  
prium imponerem. Hi primitus Iudæo-  
rum aliquam multi erant, quorum in nu-  
mero nonnulli etiam ex Christi discipu-  
lis fuere, qui cum magnum istud myste-  
rium, neque comprehendere, neque cre-  
dere possent, ab eo tandem descuerunt,  
quemadmodum & hodiè (proh dolor)  
non paucos factitare videmus. Eos pro-  
inde Quomodotistas nuncupo, qui Caphar-  
naitarum exemplo, per suas Quo-  
modoizationes contra Dei verbum dis-  
ceptant. Quomodoizare verò est, con-  
tra illud per aliquod Quomodo disce-  
ptare; hoc est, quærere quomodo id fieri  
possit. Eos itidem Quaristas nomino,  
qui & ipsi aduersus Dei verbum, per ali-  
quod Quare contendunt, & cum eorum  
quæstionculis promptè responderi, & in-  
scrutabilem Dei operam, ac iudicio-  
rum eius, ratio reddi non potest, vt de-  
tur eis intelligi, quomodo D E V S ita  
facit quæ dicit, statim illud abnegant.  
Hæc tamen interim venia tua dixerim.  
Ita enim eos commodè appellari posse  
mihi visum fuit: nihilominus tamen  
quocumque eos nuncupare lubuerit no-  
mine; tibi per me quidem liberum fue-  
rit. At verò cum iam abundè satis decla-  
rauerimus, quam validum & forte argu-  
mentum ex gestu audiendi, & modo im-  
pugnandi verba Christi, quem Iudæi ob-  
seruarunt, desumamus ad confirmandū  
quis eorum verus & literalis sit sensus,  
proximum est, & vt argumentum illud  
in medium nunc proferamus, quod ex ip-  
sius Christi parte, ad eorū verba respon-  
dentis depromere possumus. Cæterum  
illud aliquantulum differemus, vt prius  
imperitioribus hic Christianis paru-  
lam quandam, qua ad Capharnaitarum  
& aliorum quorumcunque Quomodo-  
tistarum, & Quaristarum Quomodoiza-  
tiones & Quareizationes respondeant,

formulam suppeditemus. Nam id à no-  
stro nihil prorsus alienum fuerit institu-  
to: quinimo per istud auditor (vt confi-  
do) ad ea quæ sequuntur audienda, & do-  
cilio reddetur & paratio.

*Quemadmodum Christiani Iudæorum ac o-  
mnium Quomodotistarum quæstionibus,  
qui suis argutis fidem impugnant,  
respondere debeant.*

## CAPVT XV.

**O**Ptima ratio, qua Christiani nouis  
his Quomodotistis respondeant  
est, vt iuxta tritum illud vulgi ore pro-  
uerbium, Clauum clauo pellant; hoc est,  
vt quæstionem eorum, quæstione altera  
eludant, ac veluti extrudant. Cum enim  
Christiani probè intelligant, humanum  
ingenium opera Dei nec comprehendere,  
nec eorum rationes adinuenire posse,  
nequaquam in eo occupari ipsos de-  
cet, vt admirabilem Dei maiestatem, ni-  
mium vanè & curiosè, aut explorent aut  
scrutentur, sed eam potius cū diuo Pau-  
lo admirari debent, & exclamare, dicen-  
tes. O altitudo diuitiarum sapientiæ &  
scientiæ Dei: quam incomprehensibilia  
sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ e-  
ius: Quis enim nouit sensum dominii &  
quis consiliarius eius fuit? Ac si diceret,  
nemo prorsus mortalium. Cùm igitur  
à consilijs ei non fuerimus, quis (quæ-  
so) nostrum vsque adè insipiens est, vt  
operum eius rationem se reddere posse  
confidat? Vnde huiuscemodi Iudæos  
Quomodotistas, qui operum Dei ratio-  
nes à nobis postulant, aptior conuincen-  
di ratio non videtur nobis esse, quam vt  
per aliud, quomodo, hoc est, vt quæstio-  
ne alia, ipsos ad alia Dei opera, quorū si-  
milia ei possibilia esse pernegant, consi-  
deranda remittamus. Verbi gratia. Si  
Quomodotista quispiam Iudaizans, per  
aliquod, quomodo, fidem nostram im-  
pugnauerit, ego vt artem arte eludam, e-  
um in hunc modum aggrediar. Dic tu,  
inquam, o arrogans & ambitiosè Quo-  
modotista, quonam modo Deus vastissi-  
mam illam totius cœli terræque machi-  
nam, ac omnia quæ eorum ambitu con-  
tinentur, ex nihilo prorsus, idque vnico  
tantum verbo creauerit, produxerit, &  
condiderit? Ediffere nobis si potes, quo-  
modo

modo Moyles tuus virgam in serpen-  
tem, & rursus serpentem in virgam con-  
uerterit. Dicetiam, quomodo vt tibi po-  
tum præberet, aquam è saxo durissimo  
profilirefecerit. Enarra denique nobis,  
quomodo inter medias ipsas rubri mar-  
is vndas, & fluctus aquæ hinc & inde  
muri instar immobiliter fixos, vt sicco  
pedè pertransires, apertum iter expande-  
rit. Cum vos igitur ô subriles Quomo-  
dotista, quorum (vt mihi apparet) ver-  
ba sunt in pugnis, & syllogismi in calci-  
bus, cum vos, inquam, ad hæc respon-  
deritis, & tantorum Dei operû natura-  
les rationes reddideritis, nos quoque (v-  
bi per otium licuerit) vestris argutis,  
quibus quaritis, quomodo noster Deus  
( & velitis nolitis vester ) carnem suam  
( quod vobis stomachum mouet ) no-  
bis manducandam præbeat, respondebi-  
mus. Verum, vtinam ineffabile hoc Dei  
donum sciretis, ac cum intelligeretis, qui  
dicit: Caro mea verè est cibus, Et qui  
manducat hunc panem, viuert in æternû.  
Hoc enim si intelligeretis, celerrimè  
profectò ad eum properaretis, & flexis e-  
tiam genibus, hunc ab eò postularetis  
panem. Sed nõne vos, ô popule duræ  
ceruicis, hoc semper pro more habuistis,  
vt Spiritui sancto & Dei verbo obfistere-  
tis, accius dona & beneficia contemne-  
retis? Quoties preciosum illud manna,  
quod ille vobis in deserto coelitus mini-  
strabat, spreuistis? Quoties nimium  
(proh dolor) ingrati murmurastis, di-  
centes. Anima nostra nauseat super cibo  
isto leuissimo? Quoties A Egypti cœpe,  
allia, porra, & ollas carniuum, cœlesti illi  
cibo prætulistis? Quid mirum igitur si  
vos hunc quoque panem viuum, quem  
vobis è cœlo CHRISTVS attulit, nau-  
seatis, spernitis, contemnitis? Sed ad me-  
moriã, quæso, reuocate, quam nume-  
rosa patrum vestrorum multitudo, pro-  
pter suam murmuratiõem, ac manna  
illius ingratitudinem in deserto occu-  
buerit. Quod si hoc nihil vos commo-  
uet, at vel nunc tandem apertis oculis  
videte, quam longa vos captiuitate, &  
quam dura seruitute Romani premant,  
quod inter cætera vobis ob id euenit,  
quod nimirum cœlestem illum vestri  
Messiæ panem contempseritis, quod-  
que verbis eius credere nunquam vol-  
ueritis, sed illa semper contentiosis ve-

stris disputationibus oppugnaueritis. Ce-  
terum, quod ad nos attinet ne eandem,  
in quam vos propter ingratitudinem &  
pernicaciam vestram incidisse conspici-  
mus, Dei indignationem incurramus,  
piam Diui Pauli exhortationem sectan-  
tes, cum nunc temporis, Dei nostri vo-  
cem audiamus, libenter ei auscultare &  
credere parati sumus. Neque vero absq;  
grani causa id faciendum iudicamus,  
quando quidem magnopere ab eo peni-  
tus reiici ac reprobari metuimus, quem-  
admodum & vos, qui vt vobis ipse ira-  
scenteretur & indignaretur vestra eunt in-  
credulitate, vestris murmuratiõibus, &  
quomodoizationibus, quibus eius sem-  
per obstitistis verbo, prouocastis. Verus  
est enim apud poetas celebrata senten-  
tia, Felix quem faciunt aliena pericula  
cautum. Quapropter ira eius, quam iam  
tanto tempore in vos desauire animadu-  
uertimus, nobis profectò admonitioni  
est, ne vsque adeo vnquam curiosi simus?  
vt aut de diuina ipsius potètia Quomo-  
doizare, ac contendere præsumamus,  
aut inscrutabilia eius opera, cur hoc vel  
illo modo fiant, nimis anxie rationibus  
humanis peruestigare ausimus. Vestrum  
est, ô infideles Iudæi & pagani: vestrum  
est, inquam, vt cum filio Dei non creda-  
tis, ad iracundiam vestris eum contenti-  
õibus prouocetis. Verum longè absit à  
nobis Christianis, qui eius omnipotentiam  
& credimus & confitemur, vt tam  
grande vnquam facinus perpetremus.  
Scimus enim attestante Salomone, quo-  
niam qui scrutator fuerit maiestatis, op-  
primetur à gloria. Quare tẽpus deinceps  
amplius non cõteremus, vt vestris, quo-  
modo, & quare, respondeamus, sed re-  
linquentes vos per obscuras noeniarum  
vestrarum, quomodo, & quare, tenebras  
palpitando deuium iter sectari, & in per-  
tinaci incredulitate vestraperire, clarum  
nos verbi Dei lumen sequemur, ac ve-  
ritatem ipsam loquentem audiemus.  
Nam verbum eius iuxta Psalmographû,  
est lucerna pedibus nostris, & lumen se-  
mitis nostris. Et quoniam Christus quo-  
modoizationibus vestris respondere nõ  
est dignatus, nec nos profectò responde-  
re dignabimur, maximè cum eius exem-  
plo Dei verbum non derelinquere do-  
ceamur, vt curiosis respondeamus qua-  
stionibus. Procul igitur hinc faceffite ô  
Iudæi,

Iudæi, & vos quoque philosophi, & Quo-  
modotista omnes, qui vno animo ad-  
uersus Dei verbum coniuuastis. Hinc, in-  
quam, procul discedite. Ego enim deinceps  
non vobis, sed Christianis loquar.  
Illi sunt ad quos hæc mea habetur ora-  
tio. Illi sunt quibus verbum Dei expli-  
candum suscepimus. Illi sunt, qui illud  
& libenter audiunt, & libètius credunt.  
Illi sunt, qui pura eius veritate contenti,  
philosophicis rationibus illud non pe-  
tunt comprobari. Illi deniq; sunt, qui p-  
bè norunt, quanta maxima sit eius potè-  
tia. Et quemadmodum ex vestro & re-  
gio Dauide, vniuersas omnium rerum  
naturas, infinita hac Dei potentia con-  
ditas esse didicerunt: ita & nunc eam æ-  
que potentem esse atq; tunc erat, firmis-  
simè credunt. Ac sic planè credunt, vt in-  
uita totius etiam vniuersi natura, inuitis  
eius quibuscumque legibus, infinita hæc  
Dei potentia solidissimam totius terræ  
coeliq; machinam, ac vniuersas quæ in  
eo continentur creaturas, potius distur-  
bare, concuteret, dissiparet, sursumque  
ac deorsum euertetet, ac veluti in pristi-  
num sui non esse Chaos, & in nihilũ fun-  
ditus redigeret, quam vt vel minutissi-  
mum quid à sua veritate dissonũ, in ipso  
Dei verbo reperiat. Tãta siquidem est  
apud eos ipsius fidei vis ac robur, vt cœ-  
lum & terram penitus conterenda, ac in  
nihilum prorsus redigenda fore credant  
potius, quã vt vel vnicũ Dei verbi iota,  
aut falsum inueniri possit, aut suum nõ  
fortiatur effectum. Atqui tales profectò  
idonei sunt verbi Dei auditores, qui ni-  
mirum illud simpliciter audiunt, cre-  
dunt, obediunt, non quia vel ipsius na-  
tura rationibus, vel eorum opinionibus  
conforme est, sed ob hoc tantummodo,  
quia à Deo, qui est veritas infallibilis, p-  
fici scitur. Cuius sanè auctoritas apud ip-  
sos tanta est, vt valde alienum ipsis vi-  
deatur esse, quominus cuncti mortales  
superbã philosophicæ ceruicis suæ præ-  
sumptionem potenti ipsius verbo hu-  
militer subijciant. Et quemadmodum  
olim pythagorici eos à scholis suis arce-  
bant, qui præceptoris sui verbis simpli-  
citer credere nolebant, & doctrinæ suæ  
rationem postulari, aliam non redde-  
bant, quã illam, *ἀντὶς ἑσῶς*, hoc est, ipse  
dixit: ita & Christiani illam cœlesti ma-  
gistro suo C H R I S T O reuerentiã

exhibere didicerunt, vt omnes ab eius  
schola repellant, qui philosophicis ra-  
tionibus verbum illius confirmari po-  
stulant.

*Quibus verbis Christiani, Iudaicis hæreticis,  
alijsque similibus, quæ fidei eorum, Dei verbo  
innitenti, opponuntur questionibus &  
argutis respondere de-  
beant.*

## CAPVT XVI.

VNDÈ si à probo quoquam & fide-  
li Christiano quæras; Cur verum  
Christi corpus pro certo in Eucharistiã  
esse credat, vel si ab eo rursus petas, cur  
vnumquemque prius baptizari oportere  
credat, quam regnum cœlorum pos-  
sit ingredi, vt quæstionis huius nodum  
dissoluat, non Platonem, non Aristote-  
lem, non Plinium euoluet, vt rationes  
aliquas naturales inde proferat, sed sim-  
pliciter respondebit, se ita credere, &  
quod in rei veritate ita sit, solummodo  
quia *ἀντὶς ἑσῶς*, quia Christus cœlestis ma-  
gister eius, ita dixit. Quod si magis vr-  
geas, quærendo quomodo Deus id face-  
re possit, mox dicet, idoneum se geome-  
tram non esse, qui diuinam potèntiam  
emetiri queat, ingenijque sui apicẽ mul-  
to breuiorem esse, quam vt ad cœlum  
vsque pertingere valeat, quo rem infini-  
tam, cuiusmodi est Dei potentia, com-  
prehendere possit, cui tamen nihil pror-  
sus difficile, nedum impossibile esse fir-  
miter credit. Atqui hæc est sanè nunquã  
satis laudanda responsio illa, quæ non  
humano ingenio conficta est, sed quam  
beata illa virgo Dei mater Spiritu san-  
cto plena, nos edocuit, quæ in Cantico  
suo mirabilia, quæ in se experiebatur  
Dei opera concinens, nullam vt sua cõ-  
firmaret eloquia, rationem aliam adhi-  
buit, quam quoddã summã Dei potèntiam  
sanctitatemq; in medium protulerit. Fe-  
cit mihi magna, inquit, quia potes est, &  
sanctum nomen eius. Ac si clariõibus  
verbis diceret. Si à me quæras, quomodo  
fieri potuerit, vt saluo virginitatis meæ  
figillo, omnipotentis Dei filiũ concepe-  
rim: huius, inquit, ratio est, quia D E V S,  
& potens, & sanctus est, hoc est, in ver-  
bis, in promissis suis verax & fidelis est,





suæq; veritatis testis sit fidelissimus. Atque ita diem illum patienter expectet, in quo Deus (vbi aliquandiu in hoc exilio & peregrinatione nostra, ei simplici fide, ac prompta obedientia complacuerimus) seipsum nobis facie ad faciem, clarè & manifestè, sicuti est, reuelabit, atque amplissimam perfectissimamque eorum omnium cognitionem tribuet, quæ nunc in ænigmate tantum cognoscimus, ac veluti à longè aspicientes, fidei lumine intelligimus. Ita planè, ita inquam, gloriosius istis respondendum est, qui prius quam cœlum conscenderint, omnia Dei arcana penetrare volunt. At pius quisque Christianus, simplici eorum cognitione contentus, quæ nobis sunt reuelata diuinitus, patienter expectat, donec ex misero hoc sæculo euocatus, in cœlum transferatur, vbi pleniorum diuinorum mysteriorum notitiam se habiturum, certò intelligit. Interea verò, Quomodotistas istos, qui vsquedè impatientes sunt & cholericis, vt argutiarum suarum responsa tamdiu expectare nolint, ad cœlos remittit. Cæterum, de his verbosius fortasse, quam deceat, loquuti sumus. Nunc igitur missos illos faciamus, vt Christianis, qui verbum Dei & libenter audiunt, & simpliciter credunt, loquamur. Hos enim idoneos verbi Dei auditores esse, quis non videat? Cum igitur ad eos nostra hæc habeatur oratio, Iudæis, aliorumque Quomodotistarum argutis, amplius non immorabimur, idq; ita faciendum iudicauimus, vt simplices hi Christiani Deum optimum, maximè cœli terræq; conditorem, iam loquentem audiant, vt quemadmodum ipse Iudæis Quomodoizationibus responderit, intelligant, & vt etiam norint quodnam ex responsionis suæ circumstantijs argumentum desumamus, vt probemus, ac etiam cōuincamus, verborum eius literalem sensum esse eum, quæ semper maiores nostri tenuerunt & crediderunt.

*Quod respondendi formula, qua usus est Christus, vt Iudæorum argutis responderet, argumentum sit certissimum, ipsum reuera de sua carne loqui voluisse, sicuti maiores nostri probe intellexerunt.*

## CAPVT XVII.

**Q**UID ergo Iudæis Christus dixit? Et quænam est eius ad istos Quo-

modotistas responsio? Accipite paucis. Amen amen dico vobis, inquit, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. En terribilis & supra modum stupenda comminatio. Quomodo igitur, si aut non nisi de buccella panis, aut vini scypho loqui voluisset, tam terribilem comminationem, ob eius quam promittebat rei contemptum, ac reiectionem, hic addidisset? Cæterum videamus, quidnam hic dicere velit, hoc certè tantumdem est, ac si Iudæis diceret: Vos Iudæi, non parum acriter (vt video) de verbis meis contenditis, & quæ dico impossibilia factu arbitramini, verum contendite quantum vobis liberit, ego interim quod rei veritas habet, vobis ingenue contestor, vos scilicet vitam aternam numquam habituros, nisi carnem filij hominis manducaueritis, ac sanguinem eius biberitis. Verbis proinde meis credite, si vultis, quod si nolueritis, id vestro sit periculo. Interea tamè patris mei cœlestis voluntas eiusmodi est, vt in suo arcano ac penitus incomprehensibili consilio, planè firmiterq; statuerit ac decreuerit, nemini vnquam vitam illam cœlestem ac sempiternam se donaturum, nisi ijs tantummodo, qui cum carne filij hominis societatem, communionemque habuerint. Cæterum quis hic nō videat, quàm clarè atque disertè de sua ipsius carne locutus sit, quum eam filij hominis manducauerit? Nam vt plurimum, quoties Christus de se ipso verba locutus, ad nomine filij hominis, id facit. Vt patet, cum ab apostolis, quænam de se populi esset opinio, quaereret, eiusmodi verbis usus est. Quem dicunt homines esse filium hominis? Sic & cum alijs apostolis secretò prædiceret, se debere illudi, flagellis cædi, ac in crucem suffigi, vt ipsos certos faceret, se non de alio, atque de se ipso loqui, ita eos affatus est. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabit eum morte. Rursum cum in vltima cœna, mortis suæ mentionem discipulis faceret, iisdem planè verbis usus est, inquit. Et quidem filius hominis vadit sicut de eo scriptum est. Verum tamè vè homini illi, per quem filius hominis traderetur. Hinc igitur liquet, quæ admodum Christus, cum de se loqueretur,

tur, hoc nomine (filij hominis) vti consueuerit. Ex quo haud difficulter intelligi potest, quænam de carne loqui vellet, cum diceret. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, nimirum de sua ipsius propria carne. Vnde etiam luce clarius patet, quæ eius sententia fuerit, cum diceret filium hominis oportere flagellis cædi, ludibrio haberi, ac in crucem suffigi, nimirum quod non de alia, quàm de sua ipsius carne, hæc dicta esse, intelligere voluerit. Neq; enim panis materialis, neque carnis eius signum aliquod, aut effectus, sed propria ipsius caro, hæc quæ apostolis prædicebat, pro salute humani generis permissa est. Quæ cum ita sint, demirari satis nequeo, cur maiorum nostrorum aduersarij, nomine carnis hic spiritum intelligant. Quid enim hoc fuerit, nisi prorsus delirare, & noua nescio quæ somnia excogitare? Imo vero neminem vsq; adeo delirum puto, qui his verbis (caro filij hominis) aliud, quam propriam ac genuinam domini carnem, intelligere possit, nisi etiam existimet, cum Christus diceret filium hominis debere cruci affigi, eius fuisse sententiam, vt de Iuda, aut de re alia quapiam, quæ ipsemet non esset, loqueretur. Sed hoc ab omni prorsus ratione alienissimum est. Nam hic filius hominis idem prorsus est, atq; ipse Christus filius Dei viui. Ac sic proinde caro filij hominis, non alia, quàm ipsius Christi filij Dei viui caro est. Præterea quæ carnis nomine, ipsum de spiritu suo loquutum fuisse intelligunt, commentatione verbis eius longè ineptissimam, atque alienissimam comminiscuntur. Nunquã enim scriptura ad denotandum spiritum, carnis nomine vtitur, sed hæc sibi inuicem tanquam duo maximè repugnantia semper opponit, ita vt carnem pro spiritu explicare, sit candidum pro nigro, frigidum pro calido, diem pro nocte, hoc est, vnum oppositum pro altero accipere. An verò absurdior vnquam, vel quæ textum magis quàm ista euertat, interpretatio excogitari possit? Ecquis tandem textus à corruptione immunis fuerit, si belli isti commentatores, tanta interpretandi libertate, imò licentia fruantur? Nam non minus spiritum pro carne, quàm carnem pro spiritu, & vmbra pro corpore, atque corpus pro vmbra explicabit. Et cum in Genesi le-

gerint, tenebras fuisse super faciem abyssi, tenebras pro lumine exposuerint, quæ admodum ipsi carnem pro spiritu accipiunt? Non enim minus repugnantia inter carnem & spiritum est, quam inter lumen & tenebras. Satis equidem demirari nequeo, quo tandem spiritu ducantur, vt tam illustrem ac præclaram verbo dei commentationem affingant. Expende igitur diligenter amice lector, horum verborum significandi usum, quod cum feceris, maiores nostros optimè illa explicuisse comperies, dum per carnem filij hominis, propriam ipsius filij Dei carnem intelligerent, qui cum hominem mortalem patrem non haberet, sed ex sola virgine matre, idq; Spiritus sancti operatione creatus sit, iuste ac merito filium hominis se appellat.

*Quod ex ipsa iurandi formula, qua usus est Christus, cum de carne sua loqueretur, inuincibile quoddam argumentum maiores nostri deduxerint, vt comprobarent ipsum non alia de re, quàm de propria carne, & sanguine suo fuisse loquutum.*

## CAPVT XVIII.

**Q**uoties ad memoriam reuoco, quã oscitanter patrum nostrorum aduersarij, verborum Christi circumstantias discusserint, satis equidem præcipitè eorum errorem admirari nequeo. Vix enim vel vnicum in hoc euangelio verbum reperias, ex quo validum Achilleumque (si singula per otium prosequi liceret) argumentum elici non possit, quo aduersarij quàm facillimè conuincantur. Cæterum nos præcipuas tantum, ac magis eminentes verborum Christi circumstantias, nunc colligemus, quas sedulus lector, attentusque auditor, facile ab ipso, cum de sacramento hoc loqueretur, ideo vsurpatas animaduertat, vt omnibus, qui suã loquendi rationem propius intueri voluerint; omnè penitè de corporis sui in hoc sacramento reali præsentia ambigendi occasionè medio tolleret. Tali siquidem loquendi genere Christus hic usus est, quæ & ad plenã causæ istius elucidationè, & ad cōtrouersia totius decisionè plurimū pōderis habeat,

modo aduersarij, rationi ipsi aliquid tribuere velint. Illud autem est, quod iure iurando Christus hic vsus est, cum diceret. Amen amen, id siquidem tantum est, ac si planius diceret: Ego vobis iuro, vobis, inquam, iuro: Nam semel, ac iterum vocem illam (Amen) repetit, quæ ad verbum sonat, in rei veritate, aut pro certo. Vnde duplex hic subest iuramentum. Omne autem iuramentum (vti pulchre Apostolus docet) in hoc adhibetur, vt hominum controuersia dirimatur. Homines enim, inquit, per maiorem sui iurant, & omnis controuersia eorum finis, ad confirmationem iuramentum est. Cæterum Deus, quoniam maiorem se habet neminem, ideo cum iurat, per seipsum iurat: sicut idem apostolus etiam docet. Christus itaque cum iurare voluisset, per semetipsum iurauit, inquit. Amen, amen, dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Cum ergo dicit, Amen amen, hoc est, in veritate, in veritate; per seipsum iurat: nam quemadmodum ipsemet testatur, ipse est via, veritas, & vita. Et cum omnis iuramenti ratio sit, vt hominum controuersias dirimat, optime profectò sequitur, vt quisquis Christum, cum de carne sua loquitur, iurare audiat, quin de illa ipsa loquatur, amplius hæsitare non debeat. Tanti siquidem viri iurandū, omnem prorsus animi hæsitationem è medio tollere, totamque litem merito componere debet. Si enim hominum iuramento, causæ ac lites eorum transiguntur, quanto magis apud eos ipsius filij Dei iurandum, illius auctoritatis esse debet, vt de ea re amplius non disputent, nec omnino in dubium reuocent, quam ipsemet Deus iureiurando asseuerauit? Ecquid putatis charissimi, quando Deum ipsum iurantem auditis? Putatisne quod ille, qui omne prorsus vanum iuramentum prohibuit, imo qui & dixerat omnino iurandum non esse: sed tantum vt diceretur, est est, non non, absque vrgenti causa, & extrema omnino necessitate iurauerit? Ipse probè nouerat, quam alioqui difficile hominibus persuadere fuerat, suam hanc carnem esse, de qua locutus fuerat. Cum igitur prius simpliciter, & absque vlllo prorsus iuramento, panem, quem hominibus dare

Heb. 6.

Math. 5. 14. 5.

vellet, carnem suam esse dixisset, eam ipsam dico carnem, quam pro seculi vita donare decreuerat, simplici hoc loquendi genere non contentus, hoc iterum iuramento, etiam bis repetito, astruit, inquit. Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius, & cæc. Ecquid amplius, quæso, præstare potuisset? Nam si Domino Iesu per veritatem suam iuranti non creditur, cuiam credendum erit? Cuius iuramento nostra tandem controuersia dirimetur? Ecquid verò apud probos deinceps Christianos mirum fuerit, si maioribus nostris aduersarij fidem non adhibeant, quãdo quidem nec ipsi Christo, per veritatem suam iuranti, credere velint? Cæterum, vt planius argumenti huius vim intelligamus, notandum est, quòd cum Deus iurat, de re quapiam loquatur oportet singulari, eximia, ac creditu persuasivæque difficili, ac tali planè, cui similem homines antea numquam habuerint. Sic Abraham Messiam ex posteritate sua nasciturum contestatus est. Idem & regio Prophetæ Dauidi, iuramento pollicitus est. Populo quoque Iudæico terram promissionis, sub iuramento donaturum se perhibuit. Denique cum peccatorem scelerum suorum poenitentem, in gratiam se recepturum pollicetur, quia id supra modum difficile fuerat creditu, maximè cum homines Deum, non minus atque ipsi iniuriarum memorem, vltorem ac vindicem esse cogitant, iuramentum suum interposuit, dicens. *Exec. 33.* Viuo ego, nolo mortem peccatoris &c. hoc est, per meam ipsius vitam vobis assero, me non cupere peccatoris cuiusquam perditionem, aut interitum. At qui hic verus, ac genuinus iuramenti usus est, cum eo Deus hominibus loquens utitur. Hinc autem argumentum, quòd causæ nostræ plurimum faueat, colligimus in hunc modum. Deus cum hominibus aliquid pollicetur, iuramento non utitur, nisi de re aliqua graui, magnifica, excellenti, ac omnino tali loquatur, quã ipsi antea ab eo habuerint nunquam. At qui verò, cum hominibus carnem suam manducandam polliceretur, iuramento vsus est, ex quo planè conficitur, cum alia de re, quã de nudopane & vino, aut quã de corporis & sanguinis sui signo vel figura loqui. Nam signa ipsa, vmbrae,

&amp;

& figuræ, non tanti profectò sunt ponderis, vt, cum promittuntur, iuramento vti oporteat. Quò sit, vt Deum nunquam iurasse legamus, cum de corporis, & sanguinis sui signis, vmbrae, ac figuris loqueretur. Verbi gratia, cum de manna, aut agno paschali loquitur, nunquam cum iurasse legimus. Præterea, tum demum Deus ipse iurat, cum de re aliqua creditu perdifficili loquitur: nequaquam vero creditu difficile fuerit, quòd sacramentarij eum hic se donaturum iurasse contendunt, vnde planè consequens fuerit, cum alia quapiam de re, longèque persuasiva difficillima, locutum fuisse. Viden igitur amice lector, quam fecunda, quã argumentis plena sit hæc circumstantia, vt maiorum nostrorum fidem stabiliamus? Verum reliqua prosequamur, superest enim & aliud non parui ponderis argumentum, quo iam sapius dicta Christi verba iuxta literam, absque vlla omnino tropi ambiguitate explicanda esse comprobemus, quemadmodum probè etiam maiores nostri ea semper & intellexere, & exposuere. Argumentum autè illud, eiuscemodi erit. Cum aliquòd præstatur iuramentum, illud vsque ad eò claris ac disertis verbis fieri debet, vt vniuersi, quanam de re iuret, clarè, & manifestè intelligant: & propterea iurandi verba, neque ambigua, neque amphibologica esse debent, eò quòd illa, iuxta literam, & secundum communem significandi modum, exponere oporteat. Quòd necessariò, duabus maximè de causis fieri debet. Prior est, quòd iuramentum fiat, vt hominum controuersijs finis vltimus imponatur. At nullus vnquam eorum controuersijs per iuramentum finis adhiberi posset, si ex ipsis verbis, quibus illud præstitum fuerat, noua rursus controuersia suscitaretur, sicut haud dubiè accideret, si aut tropicè, aut mysticè, illa interpretari oporteret, ea videlicet accipièdo pro re, ad quã propriè designandam, nunquam fuerint instituta. Ex quo efficitur iuxta literam, communi, ac nativæ, quã habent, significationi insistendo, illa oportere accipi. Cum igitur magna inter Iudæos, de Christi carne manducanda, controuersia ageretur, ita vt inter se litigantes, dicerent. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? &

ille respondens eis iurasset, quòd nunquam vitam beatam habituri essent, nisi carnem manducarent suam, & sanguinem biberent: si quis dixerit, eum alia de re, quã de carne sua tunc loquitum esse, ipsius iuramentum planè vanum, ac inuile reddiderit, vtpote, quo nullus controuersia huic finis commode adhiberi potuerit. Quis verò Christianorum vsque ad eò insanus fuerit, vt id affirmare audeat? Proinde, si nemo id dicere ausus fuerit, rectè profectò consequitur, iuxta literam verba hæc explicari oportere. Posterior ratio est, quòd iuramentum ideo (iuxta beati Pauli doctrinam) fiat, vt ij, qui de re promissa hæsitare possunt, eius rei obtinendæ certiores reddantur, magis confirmentur, & corroborentur. Vnde cum de eo, quòd Abraham fecerat iureiurando loqueretur, ita ait. In quò abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iurandū, vt per duas res immobiles (quibus impossibile est mentiri Deum) fortissimum solatiū habeamus. Quibus sanè verbis alteram, cur Deus iuret, rationem, præclare enucleat. Ea est, inquit, vt Deus Christianis consilij sui certitudinem abundantius explicet, ac firmiter eis consolationem præbeat. Verum, si ipsa iurandi verba ambigua forent (sicut profectò essent si alio quã significant modo, ea explicari oporteret) tunc quominus per huiuscemodi iuramentum ampliores diuini consilij certitudinem, securitatemque haberemus, prorsus obstitent. Ex quò rectè sanè conficitur, quòd cum Christus iuraret, necessarium esse ad beatam vitam consequendam carnem suam manducari, ipsius verba secundum literam, absque vlla prorsus aut troporū ambiguitate, aut sensus mystici varietate, debere intelligi. Nam secundum leges, iurandum conformiter iuxta earum rerum conceptiones, quas habent illi, propter quos confirmandos iuratur, interpretari debet. Neque enim sic de re aliqua iurare licuerit, vt interim tacita cogitatione oppositā intelligas. Id enim quisquis fecerit, per iurium committit, ac eos, quibus iuramentum præstat, decipit. Vnde lex ipsa sic ait 2. quæstione 5. cap. Quacunque

Ihmoe cap. 2. Veniens de iureiur.

Istorum.

D Deus

Deus ramen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit: dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum accipit, & proximum dolo capit. Et huius ratio est, quia iuramentum fit propter proximum, non propter eum, qui iurat. Quo fit, ut loqui oporteat, quemadmodum proximus intelligit, & non quemadmodum iurans sua arte detorqueat possit, Atqui hæc vna quoque eaque præcipua causa est, cur idolorum oracula detestemur, quod nimirum ambigua semper, & amphibologica, vnde homines deciperent, responsa darent. Cæterum, Iudæi, quorum causa iurabat C H R I S T V S, de carne sua ipsum loqui omnino excogitabant, cum diceret: Et panis, quem ego dabo, caro mea est. Vnde, ut huiusmodi eorum cogitationes magis confirmaret, ac corroboraret, prioribus verbis suis iuramentum adiecit. Et ego certè non satis (vt ingenuè fatear) quid peierare tandem sit, intelligo; si periurium non sit, hominibus iurare, quod nunquam vitam beatam consecuturi sint, nisi carnem filij hominis manducauerint; ac per hoc aliud quippiam intelligere, quod huiusmodi verbis commode significari non possit. Cum proinde C H R I S T V S vsque adeo & iustus, & æquus sit, vt nullo vnquam modo peierare, nec quemquam fallere, aut in erronea aliqua opinione magis confirmare possit: hac re nostri antecessores permoti, nunquam prædicta Christi verba (quæ non de alia re, quam de carnis eius manducatione apertissimè loquuntur) aliter, quàm in suo literalis sensu accipere ausi fuerint. Hinc utique vniuersalem interpretandi scripturas canonem elicere possumus, qui eiusmodi erit. Quotiescumque Deus iuramentum aliquod præstat, verba eius in sensu literalis accipi debent: hoc est, simpliciter, ac in eo planè sensu, quem ipsa verborum significatio, intellectui humano prima fronte repræsentat. Omnia, si voles, scripturarum loca, vbi Deus iurandum aliquod facit, percurrito, ac tum demum, istud esse verissimum comperies.

*Aliam verborum Christi circumstantiam, qua comminatoria est, iuxta literalem sensum Christi verba accipienda esse, convincere.*

## CAPVT XIX.

**N**VLLA (meo quidem iudicio) commodiori ratione, verus, ac genuinus diuinarum literarum sensus inueniri potest, quàm, vt in eis, tanquam in amœnissimis quibusdam pratis, frequentissimè spatiemur, easque sapius volumus, ac reuoluamus, & quid dicant, & quomodo loquantur, diu, noctuque ruminemus, varia inter se loca conferendo, maximè vero ea, in quibus idem locutionis genus deprehenditur: hac enim ratione, ad verum earum sensum, tandè perueniemus. Qua sanè in re, quantum maiores nostri laborauerint, licet interrim gloriosuli isti eorum nepotes debilerent, quis nõ videat? Nam prius, quam nobis, eorum Christi verborum, quæ nunc tractamus, veram, quam ab ipsis retinemus, intelligentiam traderent, quis nesciat, quàm studiosè ipsi singulas eorum circumstantias, ac loquendi formulas perscrutarint, vt verum eorum, ac genuinè sensum consequerentur? Id profectò abudè satis testari possunt, quæ superius diximus, sed & longè amplius testabitur, quæ mox dicturi sumus. hic siquidem aliud validissimum adhuc, pro eorum fide confirmanda, argumentum habemus, quod ex eo locutionis genere deducitur, quod sub his Christi verbis legitur, cum ait: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis. hoc enim locutionis genus comminatorium est; ac sic comminatorium, vt grauissimas, ac terribiles minas contineat. Quis enim non continuo totus timore contremiscat, vbi Dei filium (nisi cito eius verbis obtemperet) mortem sibi minantem, & vitam (qua nihil dulcius) priuare volentem audierit? Terribilis sanè comminatio est, cum dicitur, mors aut vita tibi proponitur, nisi hoc vel illud exequaris. Deinde vero, cum sub poena mortis, rex aliquid aut inhihet, aut mandat, quis nesciat quanto metu omnes trepidant, ne eius præcepti præuari-

uaricatores efficiantur? Quoties igitur magis timere nos, pauere, ac contremiscere conuenit, cum ipsemet Deus mortem sempiternam nobis comminatur? Cæterum, ex his, quæ modò diximus, hoc pro certa, atque infallibili tegula tenere non dubitauerim: Quoties Deus nobis mortem æternam in scripturis comminatur, eius verba in sensu literalis intelligenda sunt. Quod quidem sic probò. Seuerissima præcipendi ratio est, cū grauissimæ præceptis ipsis adhibentur minæ. Atqui istud hic fieri, nemo, qui Christi verba legerit, dubitare vnquam poterit. Eius siquidem verba tantumde valent, ac si manifestius dicat. Sub poena mortis æternæ vobis præcipio, vt carnem filij hominis manducetis. Nimis autem (proh dolor) hominum conditio deploranda foret, siquid eis sub poena mortis æternæ præciperetur, & ita nihilominus obscure & ambigè id ipsis proponeretur, vt ex ipsius præcipientis verbis quidnam illud esset, quod vt tantum euitarent periculum, agere deberent, intelligere non possent. Fingamus autem aliquem in suos ita crudelem esse, vt id faciat, nemo tamè Christianus de magno illo hominum zelote Domino Iesu, tale quid vnquam poterit suspicari. Absit enim, vt in nos, quos tantopere diligit, ea vnquam crudelitate eum vti velle suspicemur. Neque enim in sacra scriptura istius formæ vllam inueniri sententiã existimaui, vt pote qua dicitur. Nisi tale quid feceritis, moriemini, vel non habebitis tale bonum, aut qua dicitur, Si tale vel tale quid feceritis, viuetis: Si rem istam feceritis, moriemini, quæ non secundum literam intelligi debeant, absque tropo vllò, aut mystico sensu. Vnde (vt ingenuè quod sentio dicam) ratio ista omninò mihi persuadet, & tantum quantum maximè in maiorum fide me continet, stabilit, roborat. Neque verò vllatenus dubitauerim, quin omnibus facile persuaserit, qui penitus eam digere voluerint. Nos eam nihilominus verbi Dei auctoritate confirmabimus, varijs scripturæ testimonijs ostendentes, Dei verba omninò iuxta literam accipienda esse, vbi cumque præceptis suis comminationes æternæ mortis annexit. Atqui istud vtilissimum fuerit, quando quidem optimum interpretandi genus esse

volunt, cum scripturas scripturis conferendo, maximè in quibus eadem est similitudo, vna per aliam exponitur. In primis igitur, cum Deus parenti nostro Adæ inhiberet, ne de fructu arboris, quæ in medio paradisi constituta erat, comederet: sic comminatus est; De ligno scientiæ, inquit, boni & mali, ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Hic scripturæ locus spiritualiter quidem intelligi potest, sed non tantum. Nam quemadmodum ipse etiam textus exigit, de corporea & reali morte, & de vera, atque reali cibi illius manducatione, intelligi debet: ita vt si spiritualiter tantummodo de fructu illo Adam comedisset, corporeæ morti obnoxius non fuisset, nisi realis quoque manducatio subsecuta fuisset. Sic & in huius fructus vitæ (quæ C H R I S T I caro est) manducatione, quæ nobis sub poena mortis æternæ præcepta est, vt vitam illam, quam vero ac reali cibi illius vetiti esu perdidimus, recuperare valcamus, Christi verba non tropicos aut mysticos, sed ad literam, de vera & reali manducatione intelligenda erunt. Remedium enim malo, cui abhibetur, proportionari debet. Vnde quemadmodum primus Adam spiritualiter, ac re ipsa fructum vetitum comedendo, duplicem mortem, spiritualem scilicet, & corpoream incurrit: ita & secundus Adam, vt duplicem nobis vitam, spiritualemente nimirum, & corpoream repararet, duplicem carnis suæ manducationem, quarum vna spiritualis, altera vero realis est, instituit. Ac sic planè instituit, vt, hac sine altera nihil omnino profuerit, vti latius, Deo duce, alias declarabimus. Certè quemadmodum Adam propter solam spiritualemente cibi illius vetiti manducationem, mortem corpoream non obiisset, nisi etiã re ipsa comedisset: ita & nos per spiritualemente coelestis cibi huius manducationem, vitam non recuperabim, si reuera, & sacramentaliter, illum manducare contempserimus. Plura huiusmodi exempla, facile huc adducere possemus, cuiusmodi sunt illa, quibus DEVS famem, bellum, pestem, gladium, & alia id genus mala propemodum infinita, Iudæis comminatur: nisi sanctissimis eius legibus obtemperent, quæ omnia secundum literalè sensum intel-

40  
 ligenda sunt. Sic & in euangelijs pluri-  
 ma sunt, quæ huic negotio accommo-  
 dari possunt. Veluti cum Saluator nos-  
 ter diceret: Nisi abundauerit iustitia ve-  
 stra, plus quàm iustitia scribarum, & pha-  
 risæorum, non intrabitis in regnum cæ-  
 lorum. Et illud. Nisi poenitentiam e-  
 geritis, omnes similiter peribitis. Cæte-  
 rum, nos duo præcipua tantum, quæ  
 huic instituto maximè congruunt, testi-  
 monia recitabimus. Prius erit illud;  
 quod CHRISTVS de necessitate bap-  
 tismatis Nicodemo loquens, ait: A-  
 men, amen dico tibi, nisi quis renatus  
 fuerit denuò, non potest videre regnum  
 dei. & cæt. Alterum verò erit, quod i-  
 dem Dominus noster, Petro, corporeos  
 pedes sibi re vera lauari permittere nõ-  
 lenti, ait. Nisi lauero te, non habebis  
 partem mecum. In his duobus scripturæ  
 locis, qui & comminatorij sunt, similes  
 omnino loquendi formulæ, cum eo,  
 quem nunc versamus ( siquidem vter-  
 que mortem comminatur æternam )  
 CHRISTI verba non de spiritali  
 tantum baptismate, nec de spiritali solummodo pedum ablutione, sed etiam reuera de corporeo baptismate, corporea quæ & reali pedum ablutione intelligenda sunt. Quæ cum ita sint, nec vilo modo negari possint, quis non videat ipsum quoque & huius Eucharistiæ sacramenti institutione, cum mortem æternam his comminaretur, qui carnem suam manducare, & sanguinem bibere noluerint, non de spiritali duntaxat, quæ fit per fidem, sed reuera de corporea quoque & reali manducatione, quæ fit per sacramentum, loqui? Argumentum istud tantum apud me ponderis habet, vt planè necessariò mihi concludere videatur. Cæterum, iam vides, quemadmodum alia eiusdem conditionis loca, cum isto, quem nunc tractamus, conferendo, in verum ac natium ipsius sensum, tandem peruenerimus. Qui profectò sensus alius non est, quam is, quem patres nostri semper tenuerunt. Plura quidem ex his CHRISTI verbis argumenta deducere possemus, sed hæc ad rectam eorum intelligentiam, modo sufficere arbitramur. Nam & ad aliorum eiusdem Christi verborum explanationem, iam festinat oratio.

*Quis sit horum Christi verborum sensus: Et qui manducat meam carnem &c. Et de argumento, quod ad maiorum fidem comprobandam, inde sumitur.*

## CAPVT XX.

41  
 QVemadmodum Deus non modo iustus, sed & misericors est, ira etiam, vt sanctissimæ voluntati suæ homines pareant, non solum minarum atrocitate eos grauius admonet, verum etiam promissionum suarum magnitudine, dulciter attrahit. Vnde, hic animaduertimus, quemadmodum posteaquam declarauit, quantam indignationem in eos concipiat, qui cœlestem cibum suum contempserint, nunc ostendat, quã gratiam his habiturus sit, & quantum boni illis conferet, qui eum, quem ipse nobis offert, cibum ab ipso acceperint. Qui manducat, inquit, meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hæc sanè largissima ipsius promissio est, quæ, vt commodius intelligatur, notandum est, duplicem esse mortem, vnã spiritualem, quæ pessima est, alteram vero corpoream. Contra vtramque ergò CHRISTVS medelam pollicetur. Et primo quidem aduersus spiritualem, quæ ex peccato orta est, & quæ nos iræ, ac damnationis perpetuæ filios constituit. Aduersus hanc enim dicit, eum, qui carnem suam manducauerit, beatam vitam illam consecuturum, quæ hic per gratiam incipit, atque in futuro seculo, per gloriam consummata, numquam desinit. Deinde verò aduersus corpoream, quæ cum ad eò amplum in corpora nostra dominium habeat, vt etiam in cineres ea redigat, nobis magnopere terrori est. Aduersus hunc ergò terrorem Christus nos hic cõsolatur, asserens, eos se in vltimo die, à morte ad beatam, ac immortalem vitam excitaturum, qui carnem suam manducauerint, & sanguinem biberint. Licet enim omnes planè mortui, in illo die excitandi sint, non omnes tamen ad beatam ac impassibile illam gloriæ cœlestis conditionem transferentur. Omnes quidem resurgemus, inquit Paulus, sed

## IN SACRAMENTARIOS ACTIO I.

sed non omnes immutabimur. Verissima enim est illa Christi saluatoris nostri sententia: Qui filio Dei incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Duo siquidem in extremo illo die, humanorum corporum genera futura sunt. Quorundam enim corpora in longè meliorem statum transferentur, ita vt ij omnino spiritalia, impassibilia, atque immortalia corpora habituri sint. Alij autem vitam quoque, & verè quidè habebunt; sed ea morte qualibet longè peior erit. Nam eorum corpora planè animalia & fami, siti, calori, frigori, cæterisque cruciatibus, ac miserijs obnoxia remanebunt. Atqui hæc secunda mors est. Saluator ergò noster, aduersus hanc secundam mortem præsentissimum remedium esse dicit, corpori suo immortalitati, ac glorioso sociari, cuius receptione & perceptione, nouum quoddã beatæ immortalitatis semen corporibus nostris inseretur, ratione cuius corpora nostra, quæ cum in terra seminantur, animalia atque corruptioni obnoxia sunt: sceleriter postmodum immutata, spiritalia planè, atque ab omni penitus corruptione aliena excitabuntur. Cæterum, qui huiuscemodi societatem cum ipso inire contempserint, vt corpora sua per sacramentum, eius corpori vniant & copulent, in extremo illo die, corpora sua absque gloriosa vlla immutatione recipient. Omnes quidem resurgemus, sed soli illi immutabuntur, qui Christi carni communicauerint & sanguini. Omnium igitur sceleres, ò terque quaterque; beati, qui in mortali hac vita pretiosum illud Christi corpus, piè, ac reuerenter susceperint: Ipsi enim beata immortalitate perfuerunt. Ipsi vitam illam, quæ omnibus plena est delitijs, consequentur. Sed dices: Quid tum de paruulis fiet, qui illud non receperunt? Ad hoc respondeo, nonnullas nationes, quemadmodum publico rumore percepimus statim à baptismo, Domini corpus (quod tamen faciendum non est) paruulis tradere. Sed & Franciscus Aluarez morè apud Christianos Aethiopes sub præstanti Ioanne esse refert, vt mulieribus prægnantibus Domini corpus administretur, credentes paruulos (si fortè antequam baptismo inicientur, mori eos contingeret) vi societatis illius, quam in vteris adhuc

maternis, cum carne dominica habuissent, beatam salutem consequi posse. Quod ea nimirum ratione dicunt, vt quemadmodum Domini præsentiam, diuinum Ioannem Baptistam in materno adhuc vtero sanctificasse credimus: ita & Domini corporis, grauida mulieris vterum subeuntis præsentiam, illius prolem sanctificare credant: Quod solum de ijs, qui nasci non potuerunt, credendum esset: nam natos, renasci omnino oportet. Quin & adhuc hodiè Christianas mulieres morem huc obseruare videas, vt prius, quam parturiant, corpori Domini communicent: quamquam alia id ratione ab eis fieri satis intelligam. Cæterum Dominus Rupertus abbas Tuiçensis, nõ paruæ eruditionis author, quaestionem hæc alio modo enucleat. Non iudicantur, inquit, apud Deum non manducasse, nisi qui manducare nolunt, qui non curant, qui negligunt. Et huius ratio est, quia Deus internas magis hominum voluntates, quam actus externos attendit, respicit, & iudicat. Et ideo cum paruuli malæ voluntatis non fuerint, cumque martyres ac Christi confessores, qui propter tyrannorum persecutiones illud suscipere non potuerunt, bonæ voluntatis essent, vtroque ex æquo salutem consecuturos esse pronuntiat. Sed præstat eius hæc dicam<sup>9</sup> verbis. Sanè, inquit, qui vel tenerrima cohibentur infantia, prius ex hac luce migrant, quam manducare, vel bibere possint, vel qui articulo temporis constringuntur, sicut nonnulli confessores, quos nec baptizati aqua, persecutionis & mortis instantia nõ permisit, non præiudicantur hac sententia veritatis. Nec enim iudicatur apud Deum non manducasse, nisi qui manducare noluit, qui non curauit, qui neglexit. De sensibus enim & de voluntatibus iudicat Deus, quæ in infantibus edetulis malè esse non possunt, & in eiusmodi confessoribus cum bonæ sint, non fraudantur effectu, quia manifestè Christi communicant passionibus. Proinde nec paruulos, quos ætatis impotentia manducare vetat, qui mox, vt baptizati fuerint è vita migrant, æternæ vitæ exortes arbitramur, nec præuentos à persecutore cõfessores pios, in sanguine suo baptizatos corpori Christi communicasse, vel calicem Domini bibisse, quod ad vitam æ-

renam proficiat, dubitamus. Hæc ille. In istis certè confessoribus, bona voluntas apud Deum, pro effectu habetur. Id quod profectò & de sanctis illis patribus, qui antè sacramenti huius institutionem fuere, haud immeritò asserere possemus. Nam si tùm, cum sacramenti huius institutio vim habere cœpit, in vita fuisset, tanta in Christum dilectione, tantaque pietate flagrabant, ut nunquam beatus ille Symeon, tanto gaudio tripudiasse legatur, quanto isti tripudiasent, si Christum non solum inter brachia sua, verum etiam in intimis visceribus re ipsa excipere potuissent. Huius igitur bonæ voluntatis merito, sempiternam salutem consecuti sunt. Verum illi, quibus ratio, & facultas, tam spiritualiter, quam corporaliter, hoc Christi corpus suscipiendi in promptu est, sed voluntas deest, qua fit, ut contemnant, & dedignentur potius, quam illud sumere velint, illi, inquam, sunt, qui apud Deum non manducasse iudicantur, & qui in seipsis, nec æternam, nec corporalem vitam habituri sunt. Corporalem autem vitam intelligo, non quamlibet, sed gloriosam, utpote, quæ sola inter vitas corporeas, hoc nomine dici, nuncuparique mereatur. Nam corporale damnatorum vita post resurrectionem, quavis morte longè grauior erit. Hinc igitur clarè admodum liquet, quantà sit Christi promissio ijs, qui carnem suam manducauerint, quanti que apud Deum meriti sit, huiusmodi carnis illius perceptio. Verum nunc superest, ut ex isto locutionis genere, argumentum more nostro eruamus, quo maiorum nostrorum fidem comprobemus. Illud proinde huiusmodi erit. Quum Deus insigne, & eximium quoddam boni alicuius operis premium, atque mercedem hominibus pollicetur, æquè clarè, & apertè de medio ipso, ad talem mercedem consequendam necessario, atque de ipso premio loqui debet. Non enim minus clarè de ipso medio, quo ad finem pertingitur, quam de ipso sine loquendum est. Quid enim mihi profuerit, quòd manifestè intelligam, quam eximia res sit, æterna vita sanctorum, gloriosaque corporum nostrorum resurrectio: nisi viam quoque, qua ad tanti boni fructum pervenire queam, clarè, & apertè cognoverim? Atqui Christus in euangelio, ita di-

Luc. 2.

festè, & clarè de immortalis corporum resurrectione, deque vita æterna loquitur, ut nemo non intelligat, ipsum omnes eos in rei veritate excitaturum, cumque beatam illam vitam re ipsa donaturum, qui iussis suis obtemperaverint. Hinc itaque sequitur illius mentem esse, ut re ipsa fiat, quod efficiendum est, quatenus ad tanti boni possessionem perveniatur. Nam unusquisque iuxta illud ipsum, quod gesserit, remunerationem obtinebit. Paribus enim, paria referenda sunt. Unde si sola fide, solaque cogitatione, Christo obtemperare velimus, illud quod ipse nobis pollicetur, hoc est, vita æterna, sola quoque fide, solaque cogitatione nobis rependetur. Ex quibus planè conficitur, omnes istos (ut ita loquar) fideitas, hoc est, qui nihil re ipsa præstare volunt: sed fide tantum, & cogitatione Deo servire se dicunt, nihil eorum, quæ ille promittit, in rei veritate, aut effectu, sed fide tantum, atque imaginatione conficiuntur. Hoc est (ut clarius dicam) quemadmodum ipsi imaginatione tantum, CHRISTVM hic suscipiunt: ita non nisi imaginatione, & cogitatione tantum regnum cœlorum ingrediuntur. Verè igitur, ac re ipsa foris, apud nescio quem non hæc seos suæ doctorè, dicere debueram apud Luciferum, apud quem sunt, & eorum magistri, remanebunt. At qui profectò hæc iustissima eorum retributio esse videtur, ut qui Christo re ipsa hic fociari noluerint, ab æterno eius consortio ibi remoucantur. Nunc reliquum est, ut rationem hæc nostram, scripturarum testimonijs, atque exemplis declaremus, stabiliamus, muniamus. Cum ergo Deus olim æternam hominibus vitam, magni illius Messiae merito promitteret, illum non spiritualiter tantum, per gratiam, sicut Abraham eum viderat, sed re ipsa miserum se pollicitus est, quemadmodum & postea fecit. Deinde verò cum apostolis plenioris sui cognitionem per Spiritum sancti aduentum promitteret, quid sibi tunc volebat? quæ eius mens erat? nonne ut re ipsa Spiritum sanctum mitteret? hoc profectò ita esse, res ipsa postmodum, omnines clarè satis edocuit. Sic & cum in euangelio, salutem æternam ijs pollicetur, qui sacro baptismate tincti fuerint, quis, non clarè videat, eius mentem esse,

Fiditas

Geno. 22. Galat. 3.

Heb. 6. om. 8.

Ioan. 14.

Mat. 1. Marc. 16.

vt

vt spirituali baptismò corporeus re ipsa copuletur? Et hoc ideo sanè, ut quem admodum ex animo constamus & corpore, ac in vtroque Adæ peccato vitiatum sumus, ita & remedia vtrique communita sint. Spirituales proinde homines isti, mihi omnino obliti videntur, se ex corpore, quemadmodum & cætera bestia, esse compositos. Sed recordentur, quæso, nos nequaquam angelos esse, quando quidem dimidia nostri pars corporea est, cui non secus atque alteri parti, quæ spiritualis est, medicinam cœlestem adhiberi necesse est, ut non ex parte, sed ex toto homo saluus fiat. Nā Christus totum hominem in sabbato sanum fecit. Sed hæc hæc tenent. Ut igitur finem faciam, si & locutionis genus, quo Christus hic usus est, & promissionum magnitudinem, quam verbis suis adhibuit, serio expenderit, facile deprehendemus, non ideo tam magnifica nobis promitti, ut aut nudum panem comedam, aut merum vinum bibamus. Hoc profectò maiores nostri probè animaduertunt; & ideo nunquam aliud sibi persuadere potuerunt, quam de carne sua Christum loqui, cum diceret: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam &c.

Ioan. 7.

Explicatio dominice huius sententiae, Caro mea verè est cibus &c.

## CAPVT XXI.

Quanto profundius verborum Christi declarationem penetramus, tanto clarius eum de carne sua loqui, & ea, quæ iam ante diximus, cum prima eius verba explicarem, stabilire comperimus. Hac etenim sententia, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; adeo clarè confirmat quod maiores nostri crediderunt, quodque nos, eorum vestigia insequeutes, verum esse credimus, ut clarioribus verbis ad huiusmodi rem astruendam, uti non potuissent. Lectorem igitur, quod equidem possum vehementer obtestor, ut eius verba, ipsiusque loquendi rationem, accuratè discutiat, ac ponderet. Id enim si fecerit, verissimum sentiet esse, quod dicimus. Primò enim hoc nomine (caro) utitur, atque aliàs, quid nomen

istud significet, prout à spiritu distinguitur, manifestius explicat, dicens. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Cum itaque dicit (caro mea) nihil minus, quam de solo spiritu suo, & non de vera sua carne loqui, intelligi potest. Secundò, aduerbio hoc (verè) usus est, quod perinde est, ac si diceret, re ipsa, aut in rei veritate. Probè enim metaphysici norunt, quemadmodum voces illæ, quæ transcendentes vocantur, res, verum, bonum, conuertibiles sint, ita ut quicquid de eorum una verè dicitur, de reliquis quoque tribus enuncietur. Unde aduerbium eorum (realiter) uti ipsi loquuntur, & verè idem prorsus significant, ita ut quicquid verè alicubi existit, ibi & realiter existat, necesse sit. Latini autem hoc aduerbio (verè) ita utuntur, ut ei, quod est esse falsò & fictè, opponatur, quo planè sensu, atque usu, in scripturis non rarò usurpatum inuenitur. Sepissimè autem sic accipitur, ut ei, quod est esse per figuram, aut typum, opponatur; ita ut nusquam scripturarum (quod equidem sciam) aduerbium hoc (verè) nisi pro realiter usurpatum, tanquam falsò, fictoque, aut ei, quod est esse per figuram, oppositum reperiri possit. Nam illud, quod fictè, aut tantum figuratiuè esse dicitur, verè, ac realiter existere dici non potest. Scripturam proinde scripturis explicemus, & ex usu ipso, quem alijs in scripturæ locis aduerbium hoc (verè) obtinet, conclusionem colligamus, ut qua in significantia hic accipi debeat, comprobemus. Igitur in Gen. 24. nesci, cum Abraham Abimelech Saram sororè suam esse diceret, hoc aduerbio (verè) usus est, inquit: Et verè soror mea est, filia patris mei. Hic Abraham (verè) pro eo, quod falsò opponitur, accipit. Nam Abimelech durissimè Abrahamum reprehendebat, ac etiam increpabat, quasi eum decepisset, eò quòd Saram sororem suam esse diceret. Cui Abrahamus respondit, verè sororem suam esse, utpote quæ patris sui, etsi non matris, filia erat. Rursus cum Achan Iosue diceret, Verè peccavi Domino Deo Israel, eius mens erat peccatum suum, quod partè spoliatorum Hiericuntinè vrbis clam auferendo perpetraverat, in rei se veritate commississe cõfiteri. Item, 4. Reg. 5. cum Naaman Syrus Heliseo diceret, Ve-

Luc. 24.

Gen. 24.

Iosue 7.

4. Reg. 5.

## CHRISTO. DE CAPITE FONTIVM

44

rè scio, quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi Deus Israel, dicere volebat, alium verum reuera non esse, nisi Deum Israel, ceteros autem non nisi falsos deos esse. Sic & Matthæi 14. facta maris tranquillitate, quidam ad Christum, vt eum adorarent, venientes, dicebant: *Matth. 14.* Verè filius Dei est. Et cū Petrus in atrio esset Pontificis, sic eum quidam allocutus est. Verè & tu ex discipulis eius es. *Matth. 26.* Cetero etiam Christo in cruce iā mortuo: Verè, inquit, hic filius Dei erat. Et post resurrectionem discipuli: Surrexit (aiunt) Dominus verè. Petrus insuper, cū ministerio angelico ex carcere educeretur, hac dictione (verè) pro eo quod est, in rei veritate, vsus est. Nunc scio verè, inquit, quia misit Deus angelum suum &c. Atqui ita ceteri, qui hoc vocabulo (verè) vsi sunt, in eo significato acciperunt, vt certò, vel (vt ita loquar) realiter verum esse ostenderent, atque ita factum, quemadmodum ipsi assererent. Vnde scriptura sacra hoc aduerbio (verè) numquam in alio, quàm in communi sensu, vt falsò, & ei, quod est esse per figuram, aut imaginariè tantum, & non existit re ipsa, vsurpare consuevit. Iam uerò quoad illud, quod ipsi nobis ex Euangelio obijciunt, vbi Christus ait, Ego sum vitis vera, respondeo, longè aliud id esse: Nam, vera, & verè, non eandem significationem habent. Vnde Saluator noster, ne quis putaret eum dicere velle, se in rei veritate vitem esse, non ait, Ego verè sum vitis, sed ego sum vitis vera. Et vt hoc adijciam, nomen istud (vera) sic hoc loco accipitur, vt falsò contrarietur; quo fit, vt methaphora hic posita, non in nomine (vera) sed in dictione (vitis) consistat, qua etiam ad homines designandos, sæpenumero litera sacra vtuntur. Atqui, tum huiusmodi inter duas vites, discrimen ponere consueverunt, vt homines qui bona opera exequuntur, veram vitem, qui vero mala, falsam appellent. Nam quemadmodum vitis, quæ gemmis pulchrè erumpentibus, copiosos, atque vberes racemos hominibus pollicetur, si labruscas tantummodo produxerit, illos decipit: ita & homo, à quo bonos fructus, id est, bona opera Deus præstolatur, si mala fecerit, ipsum fallit, ac decipit: ideoque vitis falsa ab eo nominatur: de qua ipse per Pro-

phetam suum Esaiam cõqueritur. Quid est, inquit, quod vltra facere debui vineæ meæ, & non feci? An quod expectaui vt faceret uvas, & fecit labruscas? Et alibi quoque vineæ huic loquitur: Ego, inquit, plantaui te vineam electam, & omne semen verum, quomodo ergo conuersa es mihi in prauum, vinea aliena? Ex falsa igitur vineæ huius opposito, Christus propter bonos fructus quos tulit, vera vitis dicitur. Idque non immeritò sanè, quandoquidem longè abundantiùs, quam ab eo expectaretur, fructum attulcrit. Ac propterea, in quâ, hæc dicitio (vera) in verbis Dominicis, vbi se veram vitem nominat, pro eo accipi debet, quod falsò opponitur. Tota igitur similitudo non in dictione (vera) sed in nomine vitis constituta est. Vnde cū nomen istud vitis, ad homines transfertur, duo hæc epitheta, scilicet vera, & falsa, ei attribuantur, vt inter eos, qui verè boni sunt, & qui non, discrimen habeatur. Cum ergo Christus veram vitam se esse pronunciat, perinde est, ac si dicat, verè vitis proprietates in rei veritate ei competere. Vel sic, Ego sum vitis vera, id est, similis sum veræ viti, eò quod nobilis, ac veræ vitis cõditiones, in rei veritate habeam. Aut cū Diuo etiã Cyrillo, veram eum vitem, merito nūcupatum dixerim, quòd vinum, quod delectat Deum & homines, & quo fidelium animæ iucundantur, hoc est, preciosum sanguinem suum, hominibus in rei veritate administrat; quemadmodum & alibi verum panem, propter nobilem carnis suæ effectum se nūcupat. Pater meus, inquit, dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Hoc etiam modo vitis vera dici potest. Ceterum, quicquid tandem sit, aliud colligi non potest, quàm vt dicitio (vera) pro eo, quod falsò opponitur, hic accipiat. Quod si quis in sua sententia adeò pertinax fuerit, vt pugnaciter contendere velit, dictionem hanc, vera, hic significare, non vera, hoc est, dicere vellet, quod Dominus hic, viti non verè se comparauerit, quemadmodum proculdubio dicere cogitur, si vera vt falsò, vel figuratiuo opponatur, non accipiat, hoc saltem quod ad vsum aduerbij huius (verè) ab eo exigam, vt aliquem scripturæ locum, producat, in quo istud ad-

uer-

uerbum aliter accipitur, quàm superius ostendimus, id est, pro eo quod rei, vel omnino falsæ, vel per fidem tantum existenti, vel imaginationi fictæ, vel denique figuræ opponitur, estque contrarium. Non enim consequens est, filius patri suo similis est, igitur filius, verè pater suus est. Ne istud quidem, Hæreticus bestie similis est, hæreticus igitur verè bestia est. Proinde nõ rectè ij, qui hæreticum, verè bestiam vocant, iniuriam si quidem ei faciunt: Nec enim hæretici reuera bestie sunt, sed tantum forsan illis similes. Ita cum beati Petri imaginem, aut figuram videris, non ideo rectè, & absque mendacio, te in rei veritate, beatum Petrum vidisse dixeris. Præterea quamuis antiqui illi patres, ingentem signorum, figurarum, ac typorum multitudinem, ad præsignandum Messiam suum habuerint, propter illa omnia tamen, nemo rectè dixerit, quòd re ipsa Messiam habuerint. Nam & si quis ita præsumptuosus esset, vt sub typis illis, eos Messiam verè habuisse, dicere ausit, ego quoque eum verè mendacium proloqui, asserere nõ dubitarim. Hinc itaque infero, quòd si Christus typicè tantum, figuratè & imaginariè cibus foret, quisquis ideo eum verè, ac realiter cibum esse assereret, verè & realiter mentiretur. Qui proinde & sciunt, & credunt, quod Christus dixerit, se verè cibum esse, ac nihilominus tamen ipsum per similitudinem tantum, & figuram, cibum esse contendunt, perinde (meo quidem iudicio) faciunt, ac si ipsum cum hoc diceret, mentitum esse perhiberent. Vide igitur in quàm absurdos errores, bellissimi doctores corruant, quod genuinam verborum Christi significantiam accuratè non expendierint. Sed dices. Cū Christus diceret: Ego sum vitis vera, eum metaphoricè loqui, confessus es, quidni igitur & ipsum hic quoque metaphoricè loqui intelligam? Respondeo, huiusmodi illationem, planè sophisticam esse. Nam consimili argumento probare posses (vel potius Arianus quispiam) eum per similitudinem locutum fuisse, cū se filium Dei, aut Messiam esse diceret. Nam, vt hoc sophisma tuum, validum sit, generalis hæc propositio, ei pro fundamento subternenda foret. Quacumque de re Christus locutus est, semper metaphora, aut similitudine vsus est. Id

autem falsissimum esse, euidentius est, quam vt probatione egeat. Adde, quòd & hic longè aliter in modo loquendi se Christus habuit, quam cum vitam se esse diceret. Nam in proximè sequenti sententia, apertè satis ostendit, quomodo per similitudinem, & non per rei veritatem se vitem appellaret: hic verò quamquam ipse ter quaterque, de carne & sanguine suo loquatur, numquam tamen aut ipse, aut eius Euangelista, orationis faciem mutauit, vt per tropum, aut similitudinem, se loqui ostenderet, tamen interim aliàs, cum ipse similitudinibus, aut parabolis vtitur, hoc pro more habeant Euangelista, vt lectorem hoc, aut consimili modo admoncant: Dixit Iesus similitudinem, aut parabolam hanc &c. Insuper scriptura ista nihil penitus hac in re nobis aduersari potest. Nam totius nostri argumenti vis, atque robur, in aduerbio illo (verè) constituitur. Atqui paulo superius ostendimus, quemadmodum Christus cum diceret; Ego sum vitis vera, hanc dictionem (vera) ad id quod falsò opponitur significandum, acceperit. Vera etenim vitis erat, & non falsa, cui se comparabat. Quocirca nullum solidum hinc argumentum ad expugnandam sententiam nostram erui potest, qua asserimus, Christi mentem fuisse, cum ait, Caro mea verè est cibus, vt diceret, se cibum esse nõ per figuram, si similitudinè, aut imaginationem, sed verè, ac re ipsa. Huc accedit, quod aduersarij nullum prorsus scripturæ locum proferre valent, vbi hac dicitio (vera) alio in significato, aut sensu accipitur; atque in eo, in quo maiores nostri eam semper acceperunt. Quod si ita non est quærant igitur, & ostendant, vbi vsquam scripturarum, aliter, quàm modo dixi, ea vox accipitur. Nos interea, ne quam temporis iacturam faciamus, alias rationes nostras, quibus legitimum C H R I S T I verborum sensum explicemus, prosequemur. Nam diu nimis (scio) venaturi sunt, prius, quàm huiusmodi prædam capiant. Nos proinde aliam eis occupationem, antequam ex hac venatione redeant, præparabimus.

Quia

*Quod non nativa tantum Christi verborum significatio, sed apta quoque sententiarum eius conexio, argumento sit, legitimum verborum eius sensum esse, quem maiores nostri semper secuti sunt.*

## CAPVT XXII.

**S**I singula Christi verba accuratè expèdere voluerimus, haud difficulter cõperimus, ne iota quidem aut apicem vnum esse, vnde argumentum aliquod eui nequeat, quo aduersarius conuincatur, ac refellatur. Nam vòcula illa (enim) quam penè preterieramus, cum Christus ait, Caro enim mea verè est cibus; argumentum nobis subministrat, quo arctius adhuc aduersarium vrgeamus. Si quidem ea vox tantumdem valet, ac certè, quam ad maiorem eorum, quæ Christus dixerat, assertionem plurimum valere, nemo dubitarit. Nam, cum diceret, Caro enim mea verè est cibus; duobus affirmandi aduerbijs vsus est. Cur hoc? nisi vt duplici hac affirmatione, certiores nos faceret, eius mentem esse, omninò sic loqui intelligatur, quemadmodum verba sua nobis significant, fortissima affirmandi ratio apud latinis est, voce enim vti, quæ ex enim, & verò, quod idem est, atque verè, composita est, & idem significat quod certissimè. Sic namque loquitur Cicero act. 3. in Verrem: E-nimvero ferendum hoc non est, id est, Certissimè ferendum nò est. Istud quippe, enim, & verè simul iuncta significat. Verus itaque harum vocum vsus est, vt tum demum illa in oratione ponamus, cum apud auditores dubium sit, vtrum ita omninò intelligi velimus, quemadmodum loquimur, necne. Verbi gratia, si Ioannem te vidisse dixeris, alius verò quispiam dicat, fabulam nobis refers. Quomodo namque vidisses, cum hinc hesternò die recesserit? Tum igitur, vt confirmes vera esse quæ dicis, duo hæc aduerbia, verè, atque enim, ad maiorem fidem faciendam, in tua oratione adhibes, dicendo. Verè enim ego eum vidi: sic est enim vt dico. Hac si quidem loquendi ratione vteris, vt auditorem ad credendum compellas, te non ioco, aut fabulose loqui, & vt ipse credat omnino ita ef-

se, quemadmodum dicis. Cum autem huiuscemodi locutionis genere vsus fueris, tum planè necessarium erit, vt alterum è duobus credat, nempe vt tu, aut verum dicas, aut falsum. Eandem igitur planè loquendi formulam, hic sibi Christus vsurpauit. Animaduertebat enim, quod quicquid de carne sua manducanda diceret, nihil minus tamen atq; eam ab ipsis manducari posse, Iudæi crederent. Existimabant quippe CHRISTO omnino impossibile esse ea prestare, quæ ipse eis polliceretur. Quapropter huiuscemodi tandem loquendi, affirmandiq; formula vsus est, quæ in communi hominum vsu esse soleat, ad persuadendum vera esse, quæ dicuntur, & ita accipienda esse atque dicuntur. Caro enim, inquit, mea verè est cibus. Vnde cum hoc loquendi genere vsus sit, omninò credere compellimur, aut vt ita verè sit, quemadmodum ipse asserat: aut vt ipse (quod absit) mentitus sit. Talis est namque eius hic loquendi ratio, vt quisquis eum loquentem audierit, alterum è duobus eligere cogatur. Verum subtilem eiusmodi verborum eius enucleationem relinquamus, tamen si nihil interim frustra dixerit, nec iota vnum, aut vnus apex à lege prætereat, quin omnia fiant. Verum si singulis eius verbis ita diuigenter immorari voluerimus, numquam dicendi finis erit. Nunc igitur ad exponendum orationis eius rationem, dicendiq; modum, quo vsus est, cum de carne sua loqueretur, & quam aptè sententias sententijs connexerit, veniamus. Nam quisquis immorari hic voluerit, vt exactè cõsideret, quemadmodum ipse de hoc sacramento locutus sit, & quam insuper ex verbis eius intelligentiam, eius discipuli, pariter ac Iudæi hauserint, euident argumentum capiet, vt ipsum non alia de re, quam de propria carne sua, locutum eum fuisse comprobet. In primis si quidem liquet, prima hæc eius verba, Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; ab illis intellecta fuisse, de naturali ipsius carne, quemadmodum planè verba ipsa significant. Deinde verò liquet, quemadmodum huiuscemodi intelligentiam, quam ex verbis ipsius acceperant, Dominus ab eis non remoueat, sed eos in illa confirmet potius, atq; corroboret, non minus clarè & apertè de carne

carne sua in sequentibus loquens, quam prius locutus fuerat, ita inquit: Amen dico vobis; nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quibus sanè verbis mirabiliter eis comminatur: Nam hæc eius verba perinde sonant, ac si apertius eis diceret, Vos o Iudæi credere non vultis, cibum, quem vobis polliceor, veram carnem meam esse, attamen credite, si velitis. Ego etenim per veritatem meam vobis iuro, quod nisi eam manducaueritis, nunquam æternam salutem consequemini. Neque verò terribili hac cõminatione contentus, iterum de carne sua eis loquitur, ingentia illis bona promittens, qui piè, ac reuerenter illam susceperint. Qui manducat meam carnem, inquit, & bibit meum sanguinem, habebit vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hæc firmissima est beatæ illius immortalitatis promissio. Quamquam verò CHRISTVS probè animaduertet, Iudæos hæc ipsius verba sic accipere, vt de propria, ac naturali carne sua dicta intelligerent, & quod huius rei occasione, ipsi scandalizarentur, tantum abest, vt eos errare, aut verba sua perperam intelligere eis dixerit, quin potius eos magis, ac magis in ea, quam ex verbis suis conceperant opinionem, atque intelligentiam cõfirmauerit, stabilierit, ac roborauerit. Ideoque longè efficacissimo, longèque omnium clarissimo loquendi genere tandem vsus est, quo alijs persuaderi possit, nos illius planè esse sententiæ, vt ea quæ dicimus, sic omninò intelligi velimus, quemadmodum verba nostra sonant, ac in eo planè sensu, quem primò ipsa humano intellectu offerunt, Id autem fecit, cum diceret, Caro enim mea verè est cibus, &c. Quibus enim clarioribus (quæso) verbis vti possit, vt intelligi daret, se de propria carne sua loqui? Profer mihi, mortaliū quemquam, si potes, qui apertioribus verbis, atque fecit hic Christus, de carne sua loqui possit. Quid alij sentiant, ipsi viderint. Ego certè pro mea parte, ingenuè confiteor, me nunquam excogitare posse, qua ratione, quouè modo, clarior de carne sua CHRISTVS loqui poterit, quàm his vtendo verbis, quibus ipse hic vsus est. Obsecro te, dicito mihi, si aut vitulus, aut asinus lo-

qui posset, quemadmodum nimis multas (proh dolor) huiuscemodi hodiè beluas reperire est, quæ etiam a sina Balaam <sup>Num. 22.</sup> audacius loquantur, si (inquam) eiusmodi animantia bruta loquendi facultatem haberent, possentne ipsa clarioribus verbis vri, vt carnem suam dicerent esse cibum hominum, aut luporum, quæ vt his verbis vterentur, ac dicerent: Caro mea verè est hominum cibus? aut, caro mea verè est luporum cibus? Ego subtilissimos quosque totius orbis deliros, ac phantasticos Berengarianos ad malleum, & incudem prouocò, vt si possint, clariora, atque aptiora ad huiuscemodi res designandas vocabula, nobis fabricent. At ego interim supra modum mirabor, si mortaliū quisquam inueniri queat, qui norit, quidnam voces istæ designent, caro, sanguis, cibus; qui ex ipsius CHRISTI propositione, qua carnem suam verè esse cibum asseruit, intelligere possit cum nò de carne sua loqui, sed de re alia nescio qua, puta, quam homines pro sua libidine, aut somniarint, aut excogitarint. Quisquis igitur vtrūque nouit, quid sit loqui, mihi dubium non fit, quin ipsius Christi omnium hominum sapientissimi verba, vsque ad eò clara & aperta esse videat, vt eum non alia de re, quam de propria ipsius carne locutum intelligendum esse, omninò cõfiteri cogatur. Id quod illi quoque Capharnaitæ, ac Quomodotistæ, haud difficulter animaduertent, vt potè qui CHRISTI verba, de propria ipsius carne intelligenda esse, nunquam dubitarint, cui tamen per veritatem suam iurati, credere noluerunt, quod nimirum factu omnino impossibile esse iudicarent, quod ille eis pollicebatur.

*Quod quisquis Christi bonitatem accuratè perpenderit, credere compelletur, numquam eum ita clarè de carne sua locuturum fuisse, nisi ita prorsus intelligi voluisset.*

## CAPVT XXIII.

**Q**uisquis ea, quæ superius diximus, diligenter ruminauerit, ac summam Christi sapientiam, bonitatem, prudentiam (vti decet) expenderit, omninò credere compelletur, numquam ipsum potremis



stremis verbis suis, de carne, & sanguine suo, clarius quam antea loquendo, ita Iudæos, atque etiam discipulos suos, magis, ac magis in errorem impulsurum fuisse: si error, atque hæresis esset, credere ipsum tunc in rei veritate, de carne, & sanguine suo locutum fuisse. Et cum ipse tantus *propheta* sit, hoc mihi, pro certo persuasum habeo, quod nunquam tanta in homines crudelitate uti voluisset, ut quemquam, quæ iam errare animaduerneret, amplius in errorem inducere voluisset: facile autem fuerat, omnem Iudæorum contradictionem, & discipulorum scandalum, vno aut altero verbo rollere, dicendo se de signis carnis suæ edendis, aut de eius effectu participando, vel saltem de ea per fidem tantum & in spiritu, non realiter manducanda, locutum esse. Quod certe fecisse debuerat, si sic intelligenda verba eius essent. Neque enim fidi amici, neque verò summæ sapientiæ doctoris fuerit, errores veritatis ex diametro pugnantem docere. Id quod tamen ipse Iudæis, charisquæ discipulis fecisse dicendus est, si error fuerit credere, ipsum de carne sua tunc loqui voluisse, maximè cum verba sua nunquam aut reuocauerit, aut alio in sensu exposuerit, cum eos tamen satis conspiceret, nihil aliud intelligere, quam quòd de carne sua loqueretur. Quinimo, longè etià clarius de illa loqui voluit, cum diceret, suam ipsius carnem, verè cibum illum esse, quem eis polliceretur. Id quod ipsum, numquam aliàs, sed contrarium potius fecisse deprehendimus. Nam cum a libi auditores suos, in erroneam aliquam, ex prava verborum suorum intelligentia, prolapsos cereret opinionem maximè ubi res ipsa magni alicuius ponderis esset, ac eorum salutem concerneret, tunc eos omnibus modis, ab errore reuocasse perspicimus. Ut exempli gratia, cum Nicodemo de regenerationis sacramentò loqueretur, affirmans eum, qui denuò natus non esset, regnum Dei videre non posse, cum cereret illum, nimis carnalem, ac stupidam ex verbis suis concepisse sententiam, statim ut ab huiusmodi eum errore eximeret, se ipsum exposuit, ostendens se de ea regeneratione loqui, quæ sit aqua, & Spiritu sancto, & non de illa, quam ipse Nicodemus, maternum rursus intrando vterum, car-

Ioh. 3.

naliter fieri debere existimabat. Sic sanè discipulum suum, in crasso illo errore, diu relinquere noluit. Cæterum, hic quamquam probè animaduerneret, tam Iudæos, quam discipulos suos, de vera, ac reali carnis suæ manducatione, dequæ vero, ac reali sanguinis sui potu, verba sua intellexisse: nunquam tamen eos, ab eiusmodi sententia reuocare, atque opinionem voluit: sed eadem potius verba ter quaterque repetendo, nunquam alia de re, quam de propria carne, ac sanguine suo, locutus est. Huc quoque accedit, quod nec alio in sensu verba sua exposuit, nec vsquam postea dixit, se illius tamen fuisse sententiæ, ut alia de re, quam de carne, & sanguine suo loqui vellet: quin potius videns eos propter verba sua fluctuare animo, atque acriter de illis inter se disputare, adhibito etià iururando, se non alia de re, quam de propria carne verè edenda, ac sanguine suo bibendo loqui, illis asseuerauit. Igitur si error fuisset, ea credere, quæ ipsi credebant, eum dixisse, nonne ut quod prudentis hominis erat Christus exequeretur, eos tali errore statim eximere debuisset, hæc aut similia eis dicendo: Cum vobis o Iudæi, vobisque, o amantissimi discipuli, dicerem, panem viuum, quæ vobis promittebam, esse carnem meam, quæso, ne credatis, me illius tamen sententiæ fuisse, ut de ea verè edenda loqui voluerim. Tunc etenim nequaquam profectò verum dicebam, sed planè id dicendo mentiebar, quippe tunc non de carne mea, sed de re alia, quæ nullo modo, aut caro, aut sanguis esset, loquebar. Atqui cuiusmodi ea res sit, minimè vobis nunc temporis declarare statui: sed per mille, & quingentos annos hoc vobis vestrisque successoribus excogitandum relinquo. Tantum proinde temporis, occultum illud vobis erit, quousque nimirum delicatuli, belli, lautique doctores mei, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Beza, eorumque discipuli & asseclæ, cæteraquæ Pseudoprophetarum pestes, magni videlicet illius Antichristi præcursores, ab equo velut Troiano profluentes, totum Christianum orbem peruaserint, eumque incedijs, rapinis, stupris, incestibus, aliisque innumeris sceleribus, ac flagitijs repleuerint, omniaque (ut vno verbo dicam) sacra prophæta permiscuerint.

Tum

Tum demum siquidem per huiusmodi sanguinarios doctores vobis aperiam, quidnam voluerim dictum, cum aiebā: Caro mea verè est est cibus, & sanguis meus verè est potus. Et propterea nunc nolite mihi credere, sed illis potius credite, qui me longè alia de re, quam de propria carne, ac sanguine meo, tunc locutum fuisse, buccis concupantibus toti orbi persuadere nitentur. Sic planè, sic, inquam, Christus Iudæos, suosque discipulos, ac nos quoque, per eos, commonefacere debuerat, si verbis suis fidem adhibere, error fuisset. Verum, si ita locutus fuisset, statim contra eum reprehensionis locus, Iudæis patuisset: Dixissent enim, Cur igitur sic loqueris? Cur mortem sempiternam nobis comminaris, nisi carnem tuam manducauerimus, & sanguinem tuum biberimus? Cur iururando, quod amplius est, nobis asseris, dictam tuam carnem verè cibum esse dicendo, si nolueris ut credatur, te de ea verè loqui? Cur denique huiusmodi verbis non abstinens, quousque præclari illi pseudoprophætæ Christiano orbi illuxerint, quandoquidem illis solis mysterij huius declarationem reseruaueris? his dico, alijscum confirmilibus verbis Iudæi Saluatoris nostrum iure meritoque reprehendere potuissent, si villo modo error fuisset, verba ipsius toties repetita, ea ipsa de re verè intelligere, de qua toties loquebatur. Quo fit, ut si ipsius verba ita intelligi debuissent, quemadmodum Zuinglius, Oecolampadius, alijque Sacramentarij intelligenda esse contendunt, eo planè, aut alio saltem consimili locutionis genere, cuiusmodi iam paulo antè posuimus, uti debuerat. Vnde ego sanè grauius fero, illique plurimum succenseo, quòd præclara istorum, nostræ tempestatis, hominum ingenia aliquot, in consilium sibi non adhibuerint, cum sacramentum istud institueret. Id enim si fecisset, longè speciosioribus sanè verbis, elegantibus istis doctores, eum uti docuissent. Si quidem loco harum dictionum (caro & sanguis) vmbra, signum, figuram, spiritum, aliaque id genus verborum portenta, collocanda esse docuissent. Cæterum, cum ita numquam locutus sit, quæ admodum Oecolampadius, & Caluinus, eum loqui voluissent, sed quod omnino oppositum planèque contrarium, e-

ius quod isti nobis, pro vero ipsius verbo conantur obtrudere, semper & dixerit, & asseruerit: qualis ipsi (quæso) eiusque verbo fiet iniuria, si illius verbis repugnantem, contrariamque sententiam, pro vera susceperimus? Atqui hinc profectò accidit, ut maiores nostri, cum sani rectique iudicij essent, nunquam ausi fuerint, tam clara, & aperta Christi verba aliter, quam de reali corporis, ac sanguinis sui, in hoc sacramento præsentia, intelligere. Vnde pro certo mihi persuasum habeo, quod si aliter ipse intelligi voluisset, non ita clarè, nec ita significantibus verbis, eius, quod in mente haberet, contrarium asseruisset. Absit enim hoc, non solum à me, sed à quolibet Christiano, ut vsque adeo sinistram de eo suspicionem concipiamus. Nam cum eadem facilitate dicere potuerit, Panis, quem ego dabo vobis, non est caro mea, qua dixit panem illum carnem suam esse. Et cum eadem rursus facilitate dicere potuerit, Caro mea falsò est cibus, qua ipse eam verè cibum esse perhibuit: Et cum denique non minus facile dicere potuerit, hoc non est corpus meum, atque ipse dixit, Hoc est corpus meum: illi profectò, qui ex hac vsque adeo clara, & manifesta affirmatione, contradictoriam negatoriam intelligunt, magnopere eum traducunt, pessimeque de eo sentiunt. Quandoquidem per hoc omnino confiteri coguntur, ipsum magnam nobis, ac maioribus nostris, qui singulares tamen eius cultores, & amici fuere, iniuriam intulisse, quippe qui illius planè contrarium, quod ipse sentiret, dixerit, & quidem sapius dixerit.

*Inuocatus in eos qui superius positus Christi verbis credere nolunt, qua etiam, ut errorem suum agnoscant, pie admonentur.*

## CAPVT XXIII.

**N**VNC igitur agite, & ea quæ hic dicturi sumus, diligenter mecum expendite. Quæ (quæso) de causa, rotis CHRISTVS de carne sua manducanda, deque sanguine suo bibendo, locutus fuisset, si nihil eorum de quibus tamen maximè loquebatur, in rei veritate dicere voluisset? Deinde vero, quid nos ex-

E cusa

cusationis prætexere poterimus, si Dei verbum ita exposuerimus, ut non quod ipse dixerit, sed quod ex diametro cum eius verbo pugnet, verum esse dicamus? Quæ, inquam, insipientia quævis humana præsumptio foret ista, sic clarum, & apertum verbi Dei sensum, in alium, eique planè contrarium, hac solummodo ratione velle pervertere: quod neq; comprehendere, neque intelligere valeamus, quomodo ille præstare queat, quod & dicit & pollicetur? Aut quale istud fuerit, existimare, aut etiam credere, Deum nihil penitus, aut in factis, aut verbis suis audere, nisi hoc tantummodo, quod Calvinius, Beza, Occolampadius, ac eorum patriarcha Berengarius, humanis suis rationibus, comprehendere possint? Ita si quid Christus aut dixit, aut fecit, quod exiguo eorum ingenio comprehendendi nequeat, statim eius & factum, & verbum, omnibus modis abiurandum erit, aut certè sic interpretandum, ut contrarium planè, quàm eius verba significant, intelligatur, quatenus cum falsis eorum opinionibus consentire videatur? Quis non videat quanta sit isthæc humani cordis arrogantia, præsumptio, superbia? Sit verbi gratia; stupidus aliquis Berengarianus, qui capere non possit, quemadmodum Deus carnem suam hominibus manducandam præbere possit, num propter huius increduli hominis imbecillitatem (verius stupiditatem dixerim) omnia Dei verba, quibus illud se facturum esse promiserat, ut erroneis istorum opinionibus deinceps consonent, immutanda sunt? Hoc autem isti tanta etiã auctoritate, tantaque tyrannide exequendum suscipiunt, ut reliquam totius Christiani orbis partem, non solum ad abiuranda CHRISTI verba, verum etiam ad maiorum nostrorum fidem, quæ illis Christi verbis consona est, pernegandam, cogere velint: ut tanquam Apollinis oraculum interim recipiatur, quicquid illi super infidelitatis suæ incudem, fabricare voluerint, quod iam dictorum Christi verborum loco reponatur. O ingentem Berengarianorum perfidiam: O inauditam Quomodotistarum amentiam! Haud satis equidem scio, quid tandem apud Deum excusationis ijallaturi sint, qui tam clarum, & apertum Dei verbum relinquunt, ut Berengarij, hominis in ver-

bis suis inconstantissimi, deliramenta suscipiant. Neque vero rursus sat intelligo, qua tandem belli commentatores isti, conscientiam tranquillitatem unquam frui possint, qui ut Dei verba perfidiam suam accommodent, exponunt, est, per non est, verè, per falsò, carnem, per spiritum, & corpus; per umbram, aut figuram. Unde vehementer demiror, quomodo ipsi neque prævideant, neque considerent, quam turpem nominis sui maculam apud postereros relicturi sint, quod ita impie verbum Dei tractauerint, quodque Berengarij potius, quam omnium sanctorum Catholicè Ecclesiæ Doctorum, maiorisque nostrorum, quæ verbo Dei consona est, interpretationem secuti sint. Neque enim vilo modo dubitauerim, si illos, quod ab eis seducti sunt, ita Dei gratia aliquando illuminari contigerit, ut errorem suum tandem agnoscat, quin eos magnopere, ubi ad saniorè mentè redierint, sui ipsius pudebit, sed; ipsos despicient, cum paulò accuratius expendierint, quemadmodum ab huiusmodi pestibus fascinati fuerint. Id autem maxime fiet, cum ab huius farinae præceptoribus, sub verbi Dei prætextu, omninò oppositum credere, edoceros se esse animaduxerint. Itaque quorum etiam schola tam subtilem, præclaram, spiritualemque scripturas interpretandi, imò evertendi potius dixerim, rationem se didicisse cognoverint, ut eas erroneis opinionibus suis, quantumcumque etiam eis ex diametro pugnent, accommodare norint. Nec mirum sanè. Nam ita collocando; qui, pro quod; non est, aut significat, pro est; umbram vel figuram, pro corpore, spiritum, pro carne; murem, pro monte; culicem; pro elephante; negationem, pro affirmatione; quodnam tandem (quæso) Dei verbum, manus eorum euadere possit, quod suis peruersis opinionibus adaptare, & applicare nequeant? Estne verò aut vitulus quicquam vsque ad cò stolidus, aut asinus ita stupidus, cui si ita scripturas interpretari liceat, ut eas pro sua libidine detorqueat, ad suamque inflectat insaniam, quin deliramentis quantumlibet etiam absurdis, & ab omni prorsus veritate alienis, seruire non facile coegerit? Unde non frustra dixerim, eos, qui solum aliquando errorem Dei spiritu acti agnouerint, in magnam haud dubiè verecundiam adducendos.

dos esse, cum animaduertent, quàm stultè egerint; tam absurdam Dei verbum interpretandi, imò vero evertendi, rationem sequentes, quam quisquis in reprobum sensum nondum prolapsus fuerit, ad cò absurdam esse intelligit, ut huiusmodi commentatores cum commentis suis, ab omni prorsus republica Christiana relegandos, & in ultimos vsq; Garamatas deportandos, perpetuo exilio iudicet esse damnandos, ut ibi deinceps (nisi resipuerint) inter Barbaros & Faunos, syluestrem vitam transigant: aut pecudum more, vnguiculis diuisis cum bobus, vitulis, asinis, ceterisque brutis animantibus deinceps graminibus pascendi, in prætura ducantur. Nam alioqui, quænam tandem scriptura huius generis belluarum dentes euadere queat, quin planè depascatur, corrodat, detruncetur, ac penitus eradicetur? Quænam vsque ad absurdam hæresis tandem fuerit, quæ ab huiusmodi hominibus non facile defendatur, si tanta scripturas interpretandi, tractandi; licentia, frui sinatur; ut affirmationem per suam negationem, ac quodlibet aliud verbum, per suum planè oppositum interpretentur? Nunc igitur o ceci, miserè que delusi, aperite (quæso) vestros oculos: oculos (inquam) vestros aperite, ut paululum expendatis, in quos labyrinthos, in quæ pericula, in quos errores, nimia vestra credendi facilitate incidetis, dum nouellis doctoribus istis potius, quàm sanctissimis maioribus nostris fidem adhibuistis. Sequimini, sequimini lucidissimum verbi Dei splendorem, quo ipse ita clarè, ita disertè, ac frequenter, suam ipsius carnem, verum cibum illum esse ostendit, ex quo aut vita, aut mors nostra dependeat, ut neminem iustè unquam, qui hoc crediderit, reprehendere possit. Quocirca nondum ijs, quæ iam antea de carne sua manducanda, & de sanguine bibendo, de quæ ingenti illius fructu, tam clarè, ac frequenter dixerat contentus: plura adhuc in consequentibus adijcit, aut (si malueris) eadè alijs, alijsque verbis repetit. Hunc igitur (quæso) potius, quàm Berengarium, aut alium quemlibet factionis suæ hominè, alacri animo audiamus. Quod ut commodius fiat, cogitemus Deum ipsum, pietissimum animarum nostrarum saluatorem, imò verò & amicum fidelissimum

esse, qui loquitur, qui nunquam proinde, aut nobis imponere, aut nos decipere velit.

*Expositio reliquorum Christi verborum, quæ Ioannis sexto, de cælesti sua carnis cibo, ac sanguinis sui potu, referuntur. Vbi, hæc primo verba tractantur: Qui manducat meam carnem, &c.*

## CAPVT XXV.

QUI manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hæc Christi verba, haud ita facile (quantum equidem arbitror) intelligere possumus, ni prius quænam veri, ac perfecti amantis natura sit, ritè compertum habeamus. Qui Comœdias, & Tragoedias, vehementerque amantium historias conscripserunt: amorem eius naturæ, ac conditionis esse referunt, ut eos, quos sibi subegit, ad id impellat, ut cum re amata, ac sibi chara, perpetuò esse desiderent, eam semper præsentem esse cupiant, nec ab ea unquam, ne minimo quidem temporis momento, se patiantur auelli, sed quam intimè, quoad eius fieri potest, cum ea vniri semper expectant. Ita, ut de illo haud immeritò dicatur, quod hominem præsentem esse faciat, non ubi ipse est, sed ubi, quem amat, existit. Unde & fidelis amicus, alter ego, & idem ipse, esse dicitur. Quod quid aliud est, nisi, iuxta scripturæ loquendi morem, habere, cor vnum, & animam vnã? Hoc igitur, ut instituto nostro accomodemus, animaduertendum est, neminem unquam mortaliū, alium quemquam tantopere adamasse, quantopere Christus spòsam suam Ecclesiam amat. Cuius sanè rei, euidentis satis argumentū præbuit, cum crudelē illam, atque omni ignominia plenam crucis mortem, pro ipsa tam patienter sustinuit. Nam, ut ipse ait: Maiorem hac charitatem, nemo habere potest, quàm, ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Id profectò, quàm egregiè ipse præstiterit, quis non videat? Quod cum ita sit, non modò firmissimè credendum, verum etiam sapissimè ad memoriā reuocandum est, tantam esse Christi erga homines charitatē, ut numquam maior inueniri, imò ne cogita-

cogitari quidem possit. Ex quo nos infu-  
per credere conuenit, ardētissimo eum  
desiderio affici, vt & hominibus ac dile-  
ctæ sponse suæ Ecclesiæ semper adsit, ei-  
que iungatur, non spiritu tantum, ac fide,  
verum etiam perfectissima præsentia, at-  
que vnionē corporea, hoc est, tali planè,  
vt perfectior reperiri non possit. Que ve-  
rò perfectissima vnio, præsentiaque cæsen-  
da est, nõne ea, quæ spiritualis pariter,  
atque realis est? Atqui verò ita esse, expe-  
riencia ipsa abundè satis docemur. Neque  
enim vnquam homo penitus quiescit, quod  
eius, quem diligit, spirituales præsentia  
habeat, nisi etiã re ipsa dilecto suo fruatur.  
Vnde Propheta regius, Satiabor, in-  
quit, cum apparuerit gloria tua. Nunc i-  
gitur eos diligenter attende, qui Christum  
perfectè diligunt, cuiusmodi Prophetae,  
Martyres, alijque sancti fuere, qui illum tam  
ardenter amabant, vt omni hora, ac mo-  
mento, sanguinè, imò & vitam suam p-  
eius amore, parati esset profunderè. Nã,  
ardentissimus iste tantorum heroum amor,  
eò desiderij eos propellebat, vt non spi-  
ritualè tantum, verum etiam corpoream,  
& veram Christi præsentiam, atque vnio-  
nem, vehementissimè expeterent. Istud  
in pio illo senè Symeone vero vtique atque  
perfecto Christi amatore, experientia ip-  
sa abundè satis claruit. Neque enim pius iste  
propheta, vilo modo cordis sui deside-  
rio satisfactum esse putauit, quod Chris-  
tum in spiritu tantum, & per fidem vidisset  
(quemadmodum alij quoque priores p-  
phetae cum contemplati fuerant) nisi etiã  
iam precum suarum importunitate, eius  
mors tandiu prorogata fuisset, quousque  
vera, atque corporea Christi Domini præ-  
sentia sibi exhibita fuisset, eumque suis  
manibus contigisset. Quod cum conse-  
quutus fuisset, Deus bone, quanto perfu-  
sus fuit gaudio: quas animi delicias? quã-  
tam mentis lætitiã? quas cordis volu-  
ptates experiebatur, dum paruulo blan-  
diretur? dum inter senilia illum brachia  
gestaret? dum amplexaretur: ac de oscu-  
laretur? O quam dulcem melodiam, quã  
suauem gratiarum actionem, Domino  
Deo reddidit, quod tantum ei beneficiũ  
præstitisset: Nunc nihil moror, inquit,  
quin potius paratus sum, ait, mori, quan-  
do quidem, quod summopere cupiebã,  
mihi cõtingit: vt adhuc in viuus Dominũ  
Saluatorẽ meum viderem, ac manibus

Psal. 16.

Luc. 2.

meis contrectarem. Sancti istius prophe-  
tæ in Christum amor, vsque adeo ardens e-  
rat, vt verè, ac corporaliter paruulũ hũc  
infantem, in cordis sui medio libentissi-  
mè collocasset, si bono modo, id fieri  
potuisset, quemadmodum nũc Christiani-  
s conceditur, qui Symeonis exemplo  
permoti, priusquam mortẽ oppetãt, par-  
uulum hunc per Eucharistiæ sacramen-  
tum, in suo ipsorum corde suscipere ge-  
stiunt, vt audaciũs morti, eius præsentia  
muniti, insultet, qui eã & momordit, &  
vicit, quique sua morte ipsius mortis ve-  
ra mors fuit. Quomodo enim mortem  
metuerent, cum ipsi vitã, ac resurrectio-  
nẽ secum habeant? Sed, vt ad institutum  
sermo noster redeat, verorum Christiano-  
rum in ipsum Christum amor, Symeo-  
nis amore nequaquam inferior est. Vnde,  
non minori desiderio, quam pius ille  
Simeon, vt vera Christi præsentia potiã-  
tur, anhelant; nec magis, quã dictus se-  
nex, propter solam spirituales Christi  
præsentiam conquiescunt, nisi vera etiã,  
atque corporea perfruantur. Nam, ita eos  
amor ille diuinus peruasit, vt intimam  
ac omninò perfectã, cũ sponso suo Chri-  
sto vnionem, summopere desideret, vt-  
potè, quo cum magno ille eius Parany-  
phus, ac Apostolus Paulus, connubij fœ-  
deris nobis pollicitus est. Despondi enim  
vos, inquit, vni viro virginem castã exhi-  
bere Christo. Connubij huius natura, &  
mutui inter sponsum, & sponsam amo-  
ris magnitudo, in Cãticis Salomonis co-  
piosissimè explicatur. Neque enim aliud  
illa, quã verum, ac mysticum quoddã  
inter Christum, & eius Ecclesiã *ἡγάδαίμων*,  
seu nuptiale carmen, cõcinere videtur:  
quemadmodum perpulchrè, ac cruditè  
veteres Ecclesiæ Doctores persecuti sũt,  
vt potè, qui experientia ipsa diuini huius  
amoris naturam didicerant, & quã ar-  
dens in Christianorum animis, vt vnio-  
nẽ hanc cum sponso suo Christo conse-  
quantur, desiderium accendat, probè no-  
uerant. Cæterum, qui diuini huius amo-  
ris dulcedinẽ nondũ gustauerint, haud  
facilè (scio) quã nunc dicimus, ac deinceps  
disturi sumus, intelligent. Verũ ni-  
hilominus propter eos, qui in perpetuũ  
cum hoc mũdo, in interitũ abeunt, à cõ-  
cepto semel instituto desistendũ est. Cum  
igitur diuini amoris natura clarè iã satis  
nobis innotuerit, haud difficulter intel-  
ligere

ligere fuerit, quod quemadmodũ Chris-  
tus ab hominibus diligitur, ita eos vicif-  
sim ipse redamet: imò longè ardentius,  
quam a ipsis ametur. Ego, inquit, dilige-  
res me diligo. Ex quo planè conficitur, e-  
um non minori desiderio affici, vt illis  
præsto sit, quã illi, vt eius præsentia fru-  
antur. Si in hominis facultate positũ ef-  
set, semper ibi præsto esset, vbi ea res exi-  
stet, quam ipse vnice diligit. Sed mortalis  
corporis pondus eum præpedit, quo mi-  
nus cordis sui desideria, vbi que comitari  
possit. Christo autem & voluntas, & fa-  
cultas sepe in promptu est, vt ibi sit, vbi-  
cu inque diligit. Sic verò de amoris sui de-  
siderio alicubi loquitur. Et deliriæ meæ  
est e cum filiis hominum. De sua autem  
facultate, ita contestatur. Data est mihi  
or nni: potestas in celo, & in terra, Quod  
de eo intelligi debet, in quantum homo  
est. Nam in quantum Deus, etiam ante  
mundi constitutionem, eum omnipotẽ-  
tem fuisse, quis nesciat? In quantum ho-  
mo itaque loquitur, cum omnem potesta-  
tem sibi traditam esse dicit. Cæterũ, qui  
omniam dicit, nihil penitus excipit. Cũ  
omniam igitur potestatem Christus sibi  
da tam esse asserat, eum tantum nũc pos-  
se, in quantum homo, atque in quantum De-  
us est, credas oportet: vt potè, cui omnis  
diuina potestas adiacet. Verum inter cæ-  
tera, quæ Deus facere potest, etiam illud  
est, quod simul in pluribus locis esse pot-  
& hoc ita, vt non plures, sed vniceam di-  
taxat substantiam habeat, nec illa quidẽ  
pro locorum, in quibus erit, diuersitate,  
aut multiplicetur, aut diuidatur, sed si-  
mul tota in diuersis locis, eodem prorsus  
tempore existat. Simili modo igitur di-  
co, quod Christus etiam homo, potesta-  
tẽ hanc habeat, vt simul in tot locis exi-  
stere possit, in quot pro bona sua volũta-  
te esse voluerit. Vult autem in omnibus  
esse locis, in quibus hoc sanctissimũ cor-  
poris sui sacramentum, confectum à sa-  
credotibus fuerit. Amor enim eius in pa-  
trem, ac diuos ipsius, qui ccelos incolũt,  
eum expetere facit, vt cum eis in cœlis  
semper præsto sit. Amor verò ei in spõ-  
sam suam Ecclesiã, ac sanctos viros, qui  
in terra adhuc peregrinãtur, expetere eũ  
facit, vt cũ eis quoque in terra præfens sit.  
Duo enim hæc simul in se habet deside-  
ria, habet & facultatem, qua in effectum  
simul deducere queat, Quid causæ est

igitur, cur minus credam illum hoc effi-  
cere? Cæterum, quia si in terris, homini-  
bus visibilem se in sua maiestate, & glo-  
ria exhiberet, mortaliũ oculi, tã gloriosi  
corporis (quod omnem solis claritatem  
longè amplius, quã vllis verbis expri-  
mi possit, superat) splendorem ferre nõ  
possent. Ideò necessarium fuit, inuisibilem  
se redderet, vt cum eis, hic in terris, præ-  
fens esse posset. Vnde, infinita sua sapien-  
tia, diuini sumum istud altaris Sacramẽ-  
tum adinuenit, quo (vt mutuo ipsius, ac  
Ecclesiæ suæ desiderio satisfiat) seipsum  
verè, ac corporaliter illi præsentem exhi-  
beret: sic vt illum re ipsa, quemadmodum  
instus ille quondam Symeon, manibus  
accipere, gestare, ac amplecti queat. Et  
(quod his amplius est) in corde suo verè  
reponat, vt eo tam spiritu, quam corpo-  
re perfruatur, vt fiat os ex ossibus eius, &  
caro de carne eius, ac verè, & perfectè v-  
num cum ipso, ad plenam cõiugij huius  
consummationem, quod cum illo con-  
traxit. Atqui istud magnum profectò, at-  
que ineffabile, inter Christum dico, & e-  
ius Ecclesiam sacramentum est, cũ, vt  
perfectiorem inter se, ac illam, vnionem  
perficiat, seipsum ei, non in spiritu tan-  
tum, verum etiam in carne, & corpore,  
idque ad finem vsque seculi communicat.  
Id autem est, quod nobis ipse Christus,  
his verbis insinuare volebat, cũ diceret.  
Qui manducat meam carnẽ, & bibit me-  
um sanguinem, in me manet, & ego in  
eo: hoc est, ipse vnum mecum efficitur,  
ipse, non spiritualiter tantum, sed etiam  
verè, & corporaliter mihi coniungitur,  
vt perfecta inter me & ipsum vnio fiat,  
cum videlicet magno hoc sacramento  
corp⁹ eius, corpori meo, & spiritus eius,  
spiritui meo copulatur, vt sic spirituali-  
ter, & corporaliter reuera vnum simus.  
Porro ad huiusmodi inter me, & amicos  
meos, id est, inter me, & homines vnio-  
nem faciendam, magnum istud sacramẽ-  
tum instituire volui, vt potè, per quod  
admirabili infinitæ sapientiæ meæ con-  
silio, rationem, ac modũ adinuenirem,  
quo me ipsum hominibus re ipsa præsen-  
tem exhiberẽ, ac me illis, absque vilo, aut  
doloris, aut tristitiæ sensu, & absque vilo  
prorsus ( quantum ex parte ipsorum est  
dum me recipere volunt) horrore, perfe-  
ctissimè vnirem. Cæterum quomodo id  
fieri queat, non est quisquã, qui humano

ingenio vnquam consequi possit. Vnde etiam nomen accepit, vt & sacramentum, & mysterium nūcuparetur, hoc est, res occulta, & secreta, eo quod non alia ratione, quam firma fide, comprehendi queat. Hoc igitur est, quod verbis paulò antè citatis, Saluator noster dicere voluit. Ceterum quod huiuscemodi vnio reipsa, ac corporaliter, & non spiritualiter tantum fiat, diuus Hilarius, ceteriq; veteres Ecclesiæ Doctores, eruditè admodum, & planè suis lucubrationibus comprobant, quemadmodum pluribus verbis suo loco demonstrabimus. Nunc autem (vt diui Hilarij sententiam commodiùs intelligamus) operæ precium esse iudicauit, eius hic verba subnectere.

Hic enim præ ceteris testem, in hac causa euocandum esse existimaui; eo quod Calvinista in confessione suæ fidei, quâ in Prouinciali Cōcilio Possiacensi Christianissimo Regi nostro, Carolo nono obtulerunt, omnem hæresim se abnegare professi sunt, quæ à quatuor Doctoribus à se ibi nominatis, è quorum numero vnus erat Hilarius, reprobata sunt. Hic igitur contra Atrium, qui negabat Christi diuinitatē, totam disputationem suā rexuit. Aduersus hunc enim cum ea scripturarum testimonia producerentur, quibus se Christus ipse vnus esse cum patre diceret, ille omnia ea de vnione spirituali, quæ solo spiritu, per concordem vtriusque voluntatem fiat, & non de vera, atque essentiali vnione interpretabatur. Vt calidam igitur eiuscemodi euasione Hilarius refelleret, tãquam pro re factis nota, ac ipsius quoque Arianis clarè manifesta, vnionem illam, quæ in altaris sacramento inter nos, & Christum fit, in medium adducit, asserens illam, non spirituales tantummodo, sed etiam naturalem, ac veram esse. Idque idè dicit, vt inde nimirum inferat, ipsius Dei patris, ac filij vnionem, veram quoque ac realem esse. Ipsius proinde verba audiamus. Eos nunc, qui inter patrem & filium voluntatis ingerunt vnionem, interrogo, vtrumnè per naturam veritatem hodie Christus in nobis fit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè, Verbum caro factum est, & nos verè verbū carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem, sibi ho-

Hilarius de Trinitate lib. 8.

mo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnus sumus, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter, vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo pater, & Christus in nobis, vnum in his esse nos faciunt. Si verò igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnis corporis sui sumimus, & per hoc vnus erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietatis, perfectæ sacramentum sit vnionis? Obseruabis autem naturalem illum vocare vnionem, quam nunc nos realem dicimus, quæ & vnio physica dici potest, vt contra Mathematicam distinguitur. Est autè physica, seu naturalis vnio, quando duæ naturæ seu duæ res, etiam si nullus intellectus de illis cogitaret, inueniuntur vnitæ, absque vlla intellectu nostri, aut voluntatis operatione, qualiter corpus & anima, in homine vnita sunt. Mathematica vnio fit per intellectum, vnientem res ipsas sola cogitatione, & absque vlla reali mutatione earum, quam vnionem vocaret Theologus spirituales, quia spiritu tantum fit, non re ipsa sic existere, atque creditur, aut cogitur esse. En aperitissimum diui Hilarij testimoniū, de vera, ac naturali, quæ in hoc sacramento, inter nos & Christum fit vnione, quam ex ea Christi sententia comprobatur, quæ paulo superius exposuimus. Quod quidem testimoniū, post euangelij huius explicationem, inferius quoque reperies, quum & reliquos Doctores citabimus, qui hæc Christi verba eodem planè sensu, quo & nos, explicauerunt.

*Quenam in scripturis sacris, horum verborum, bibere, & manducare, genuina significatio, atque usus sit.*

#### ICAPVT XXVI.

**V**T Christi sententiam de carnis suæ esu, ac sanguinis sui potu rectè intelligam, prius sciamus, oportet, quifnã legitimus

legitimus in literis sacris horum verborum bibere, & manducare, usus sit. Quod, vt declarem, magnoperè necessarium fuerit, maxime cum in euangelio hoc, vbi de hoc sacramento agitur, toties vsurpetur. Et equidem in primis diffiteri nolum, me valde molestè ferre, cum ad extraneam his verbis, bibere, & manducare, mentionem adscribi audiam, vt idem esse dicatur bibere, & manducare, quod credere, præsertim cū scriptura diuina nusquam significationem hanc eis attribuat, quanquam in sacris eloquijs, ea verba sepius in reperiuntur. Et sensum quidem mysticum quisque per me, dictis verbis eum appinget, qui sibi magis arriserit. Verum dicere quod legitimus scripturæ alicuius (vbi potitionis, ac manducationis mentio fiat) sensus sit, homines vt credant, excitare, & cohortari, mihi omnino persuadere non possum. Nam bibere, manducare, & credere, synonyma dici nequeant, cum diuersissimæ significationis existant. Alioqui vbi cumque hæc vox (credere) ponitur, dictio quoque bibere, aut manducare collocari posset: ac è diuerso, vbi cumque hæc vox bibere, aut (manducare) reperitur, eius loco verbum (credere) constitui posset. Atque ita, cum Saluator noster ait, Qui non crediderit, cõdemnabitur; perinde esset (iuxta horum commentationem) ac si dixisset, Qui non biberit, cõdemnabitur. Et cum euangelica historia eorum meminit, qui quinque panibus miraculosè satiati fuere, asserens eos manducasse, satiati quosque esse, tantumdem esset, ac si dixisset, eos credidisse, ac sic satiati esse. Id quod ridiculū planè foret, ac scripturam sacram omnibus ludibrio exponere. Tamen si igitur fides, vt sacramentum hoc dignè, ac ad salutem salubriter sumatur, in primis necessaria sit: ingenuè tamen dico, vocem hanc (manducare) pro credere exponi hic, nec debere nec posse. Nam paruuli illud sine actuali fide manducare possunt. Imo vero (quod maius est) Iudæi, Pagani, Heretici, absque vlla omnino fide, corporis & sanguinis Dominici sacramenta (ad eorum licet cõdemnationem) dentibus nonnunquam terunt, & illius corpus intra viscera recipiunt. Ceterū, vt fortiter asseram, manducare, & bibere, exponi nō posse, per credere, pluribus equidè, ijsque (vt mihi appa-

ret) vrgentibus satis rationibus moueor. In primis etenim, si manducare pro credere accipitur; cur non eadem ratione, credere, pro manducare accipiendum erit? Ac proinde, vbi cumque scriptura, voce ista, credere, vtitur, ei loco verba hæc, manducare ac bibere, collocari poterunt. Non enim maior ratio est, cur manducare pro credere accipiat, quam credere, pro manducare. Atqui hoc valde ridiculum foret, exponere credere pro manducare. Quod si ita est, nonne eadem quoque ratione ridiculum erit, si exponatur manducare pro credere? Deinde verò, cum aduersarij nostri, nullam aliam scripturæ expositionem admittere velint, nisi eam, quæ aliquo alterius scripturæ testimonio comprobari, ac stabiliri potest, & cum isthæc disputatio nostra his legibus instituta sit, ne conclusum sacræ scripturæ hortum egrediamur, vt quis verus, ac legitimus, Christi verborum, de carne sua manducanda, & de sanguine bibendo sensus sit, comprobemus; alium quemquam scripturæ locum, mihi (quæso) proferant, vbi verbum hoc, manducare, pro credere accipitur. Omnia equidem alia scripturæ loca, in quibus verbum illud ponitur volui ac reuolui (ponitur autem in plus quam septuaginta locis) nusquam tamè pro credere vsurpatum inueni. Quomodo igitur isti pro arbitrio suo, nouam huic verbo significantiam effingere præsumunt, in qua literæ sacræ numquam illud acceperint? Nam cum manducare, in scripturis mysticè sumitur, esse, non pro credere vsurpat, sed pro spiritali lætitia, gaudio, & consolatione, quam quis ex ea re accipit, quam valde amat, aut vehementer desiderat. Huius generis gaudium illud erat, quod Christus concipiebat, cum peccatores ad pœnitentiam conuerteret, ac corpori suo mystico (quod est Ecclesia) eos infereret. Sic enim verbum istud Christus accepit, cum Samaritana eius verbo conuersa discipuli eum rogarent, vt de panibus, quos ipsi in ciuitate emerant, comederet. Tunc etenim alium se panem ad manducandum habere dixit, quem ipsi nesciebant. Hic existimo neminem aded desipere, vt Christum per hæc verba alium cibum credendum se habere, quem ipsi nesciebant, dictum voluisse arbitretur. Quod

tamen dicendum esset, si manducare pro credere acciperetur. At verò cum animaduerneret discipulos suos arbitrari, eum de corporea manducatione loqui, errorem hunc statim remouit, dicens se de exequenda patris voluntate loqui, peccatores ad poenitentiam reuocando. Vnde ait. Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui me misit. Hinc vero argumētum eiusmodi elicio. Quotiescumque Christus his verbis, manducare, ac bibere, alia atque in natia significatione sua vsus est, statim aut ipse, aut Euangelistarum quispiam, in quo sensu illud acciperet, explicuit. Eius rei exemplo nobis sit diuus Ioannes, qui (postquam Christus dixisset, Si quis sitit, veniat ad me & bibat) magistrum suum explicans ait: Hoc, inquit, dicebat de spiritu, quem accepturi erant, qui credituri erant in eum. Cæterum cum in hoc euangelio plus quam sexies illis verbis vsus esset, ac probè animaduerneret, tam Iudæos, quam discipulos suos intelligere, ipsum de vera & reali manducatione loqui, neque seipsum tamē vsquā exposuit, vt alio in sensu locutus intelligeretur; neque Euangelistarum quisquam, eum alio, quam in naturali sensu, hæc verba accepisse declarauit: tametsi tanti ponderis res illa esset, vt, quia cum maiores nostri intellexere, de vera ac reali manducatione locutum fuisse, aduersarij nostri, omnes eos, imo & vniuersam ecclesiam, in magno semper errore, atq; idololatria, ad eorum vsque aduentum extitisse, ac omnes patres, auos, atque osque suos, hac de causa in perpetuum damnatos esse contendant. Proinde consequens est, eius tunc mentem fuisse, vt nō alio in sensu vocibus illis, manducare, & bibere, quam in natia carum significatione vteretur, quemadmodum & alij in scripturæ locis vsurpatæ inueniuntur. Quippe omnino mihi persuasum habeo, magnum illum salutis hominū zelorem, qui alijs in locis, vbi vix vllum esset errandi periculum, seipsum explicauerit, (cum māducare) in sensu mystico ac spirituali acciperet; idem hic potius facturum fuisse, vbi cum errore, tot millium animarum, precioso sanguine suo redemptarum, tā ingens strages cōiuncta est. Tertio, hoc mihi supra quā dici possēt absurdum videtur, vt tam ob-

scuris Christus verbis vsus dicatur, cum auditores suos, vt in ipsum crederet, cohortaretur. Quis est enim, qui cum hoc modo eum loquentem audisset, Nisi māducaueritis carnem meā & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: Quis, inquam, cogitaret eius mentem fuisse, vt diceret, nisi in me credideritis, nō habebitis vitam in vobis? Ecquid verò opus fuerat, vt tam obscuro loquēdi genere vteretur, cum credendi verbū in promptu ei esset, quo alibi toties vsus fuerat? Et quidem sermonis huius initio, pluribus verbis fidem ab auditoribus suis exegit, antequam de carne sua manducanda loqueretur, nec tamē istis verbis, Bibere, & Manducare, sed verbo Credere semper vsus est. Quid opus erat fidem, quam tam claro credendi verbo toties exegerat, tam obscuris nunc manducandi & bibendi præcipere vocibus, quas nemo sanus, ne somnariæ quidem potest, idem esse quod credere? Quo fit, vt neque tam subtilem, aut ad eō ingeniosum quemquam vnquam futurum putassem, qui per ea Christi verba, aliquid eiusmodi ab eo dici aut existimaret, aut vnquam excogitare potuisset. Nam tametsi complures magno, ac subtili ingenio, per mille, aut circiter annos, ante Berengarium hæretici fuerint, qui scripturam sacram de pacere, ac radicitus euellere niterentur: nullus eorum tamē vsque adeo acutus & peritus, imo solidus verus dixerim, vnquam fuit, qui, cū Christus de carne sua manducanda, aut sanguine suo bibendo loqueretur, excogitare potuerit, vt tantum de credendo in eum, ipse intelligi cuperet. Quare quæro: à Berengario, num vox ista, māducare, in omnibus in quibus ponitur scripturæ locis, pro credere accipi debeat, an verò in aliquibus tantum, in alijs verò pro comedere? Si vbi que scripturarum, pro credere accipi dicat, consequens igitur fit: vt, cum scriptura referat Israelitas manna in deserto manducasse, dicere velit, eos in manna credidisse. Hoc autem quam absurdum sit, quis non videat? Quod si nunc pro comedere, nunc verò pro credere accipi debere dixerit, iam quæro ab eo, quonam modo sciatur, quando pro credere, & quando non, accipi debeat? Eritne hoc in cuiusque arbitrio positum, ita vt cū homo capere nō potuerit,

potuerit, quemadmodum Deus ea, q̄ dicit, facere possit; pro suo quisque statim arbitrio talem verbi illius significationē eligere possit, quam perfidia suæ magis consonam esse iudicauerit? At hoc nimiam in fide nostra, confusionem pareret. Quomodo igitur hoc sciatur? Per scripturam? Quod si ita est, Berengarius igitur iam causa cecidit. Nam scriptura nusquam eo verbo pro credere vtitur. Quid igitur? Ad Ecclesiæ iudicium nos prouocabit? Sed & ibi denuo succubet. Iam enim tertio à tribus Oecumenicis Concilijs, cum portentosa commentatione sua ipse condemnatus est. Quid proinde restat, nisi vt ipse in propria etiam causa iudicis partes agat? Sed esto sanè, vt de propria causa ipse iudicet; nū propterea vincet? Minime verò, nam & publicè scripturam reuocauit, & nunquam se deinceps eo modo scripturam expositurum, iuramento asseruit. Ex quibus sanè infero, manducare, hic non magis pro credere, quam credere, pro bibere accipi posse. Sed hic dices: Diuus Augustinus credere pro manducare accepit, cum diceret, Crede & manducaſti. Ad hoc respondeo, non iuxta literam, sed secundum mysticum sensum, quem hic non quærimus, verba Christi exponendo, Augustinum illam protulisse sententiam. Imo non exponendo Christi verba, sed proprio arbitrio ita locutus est. Iam autem certaminis huius leges sunt, ex solo DE I verbo, eiusque literalis sensu, suam quemque nostrum debere propugnare fidem. Si ad ecclesiæ doctores prouocamus, & hic quoque causa casurus est aduersarius. Sed nunc indictum certamē certemus, & solo literalis verbi Dei sensu fidem quisque tueatur suam, quod ampullosis grandiloquis facturum se aduersarius receperat verbis. Verum redeamus ad rem. Quod ad sensum literalem loci huius cōsequendum attinet, nihil omnino quod allegant facere manifestū est, præsertim, cum scripturam in natiuo suo ac literalis sensu exponendo, nusquā in ea manducare pro credere (vt iam paulo ante satis ostendimus) accipiatur. Cur ergo, cum ipsi, præter sacram scripturam, eamque in puro ac literalis sensu suo, recipere nihil velint, diuum Augustinum nobis opponunt? Deinde dicant mihi, quæso, quemadmodum hac in re

diuum Augustinum intelligant? Dicant, inquam, quid credendo C H R I S T I corpus se manducare putant? fitne hoc, credendo eum re ipsa sub sacramento esse? An verò credendo esse ipsum tantummodo in cœlis, ibique residere? An denique credendo eum crucis mortem pro nobis pertulisse? Si enim fieri hoc dixerint, credendo eum reuera sub hoc sacramento esse, nobiscum igitur ipsi conueniunt, aut falsa profectō fides eorum erit, qua ita esse credunt. Si verò hoc fieri asserunt, credendo ipsum in cœlo residere, ac mortem pro nobis pertulisse, non minus igitur in lectis suis, quam in cœna Caluiniana, nec minus foeni, aut cuiusquam alterius herbæ manipulum comedendo, quam Genueæ fructum panis glutendo, illum sumere poterunt. Nam si reuera Christiani sunt; & ipsum in cœlo esse, ac pro nobis mortem pertulisse, vbiunque locorum tandem fuerint, credere tenentur. Vnde satis percipio eos nescire quid dicant, cū hæc Augustini verba (crede & māducaſti) citant. Nam si hæc Augustini autoritas rectè intelligatur, eam pro nobis facere, meridiana luce clarius erit. Loquitur enim eximius iste doctor, de ijs, qui legitime impediti, re ipsa sacramentum hoc percipere nequeunt. Qui verò contriti firma fide credendo corpus Christi re ipsa ibi esse, ac ardenti voto sacramentaliter illud recipere desiderando, multū coram Deo promerentur; ita vt non minus gratiam Dei, atque ij, qui sacramentaliter sumunt, accipiant: si modo eadem voluntas, ac par eorum affectus fuerit. Id quod & dici ac intelligi debet, quemadmodum de ijs, qui in primitiua Ecclesia baptismum ad salutem suam necessarium esse, ac peccatorum remissionem verè ibi hominibus communicari credebant, ac illud suscipere cupiebant: sed cum Tyrannorum persecutione præpediti, ad mortem raperentur, illud re ipsa suscipere non poterant. Hos enim baptismi effectum ad salutem necessarium, & gratiam non secus percipere dicim⁹, ac si re ipsa aquæ baptismi sancti forent. Eodem planè modo, cum D. Augustinus, de ijs, qui credendo manducant, loquitur, de ijs dūtaxat intelligi debet, qui à persecutione ad supplicium rapti, vel aliàs legitime impediti, Christi

sti corpus re ipsa percipere nequeunt. Qui si firmiter credant ipsum reuera sub sacramento esse, ac magno vt illum recipiant desiderio inardescunt, augmentum coelestis gratiae accipiunt, ac si sacramentum ipsum reuera susciperent. Ceterum de ijs, quibus recipiendi facultas adiacet, nec tamen illud recipere dignantur, nequaquam profecto dicere vult, quia credit ipsum in caelo esse, ac pro nobis cruci affixum fuisse, aut quia credunt quod ab hoc sacramento reuera absit, quod id eo carnem eius re ipsa manducauerint, aut eius effectum perceperint, quemadmodum latius ex his, quae proximo capite dicturi sumus, intelligi poterit.

*Quid sit Christi corpus re ipsa spiritualiter, & per fidem manducare.*

CAPVT XXVII.

**V**NA ex praecipuis, quae in argumenti huius disputatione oriri solet confusio, hinc prouenit, quod de verborum, quae vsurpantur, cum hac de re differuntur, significantia inter disceptantes non conuenit. Nam dum vnus hoc, alius aut alio modo verba ipsa accipit, lector mentem confunditur, nesciens post prolixam sapientiae disputationem, quid detur intelligi. Maxime autem id pro more habent haeretici, vt vocem aliquam aequiuocae significationis accipiant, quam nec distinguere, nec declarare vnquam velint, quo in sensu illam intelligant, vt si vna ex parte arctius urgeantur, alia euadere queant, dicentes: Ego vocem illam sic, aut sic intelligebam, non autem eo modo, quo tu illam accipis. Vnde eorum discipulos frequenter hoc de argumento differentes, his vocibus, spiritualiter, re ipsa, ac per fidem, Christi corpus manducare, vti comperies: qui si interrogentur quid his verbis intelligant, praescientia dicere nequeunt. Mihi enim accidit, vt eorum nonnullos, qui etiam primas in sua Theologia partes sibi vendicarent, nonnumquam vrgerem, vt, quid per huiusmodi voces intelligerent, clare mihi exponerent; qui tandem ingenuè confitebantur, se omnino nescire, quid voces illae significarent. Ceterum nos, qui fideliter, ac syncerè hac in causa procedere volumus, quid iam dictae voces de-

signent, ac designare possint, & quo in sensu, cum de hoc sacramento loquimur, accipiamus, paucis declarare non grauabimur. Idque faciemus in primis, vt is, qui fidem nostram impugnare conabitur, quid impetere, & quid cauere debeat, compertum habeat. Deinde, vt aduersarij, cum ijs vtuntur, ad hoc adigi possint, vt quo in sensu illas accipiant, clare, ac disertè elucident, principio obseruandum est, vocem hanc (manducare) in literis sacris esse aequiuocum analogicam, vt dialectici loquuntur. Aequiuocum autem analogicum nuncupant dictionem, quae ex principali sua significatione certam quandam rem designat, deinde, verò per translationem, similitudinem, & analogiam, rem aliam ex secundaria veluti significatione denotat. Quemadmodum, exempli gratia, homo principaliter hominem viuum significat: deinde vero per similitudinem, pro homine mortuo, ac homine picto sumitur. Ceterum quando huiusmodi aequiuoco additamentum aliquod, seu, vt ipsi vocant, determinatio aliqua non additur, tum pro principali significatione accipitur. Analogum enim (vt aiunt dialectici) in oratione per se positum, stat pro significato principali. His ita constitutis, dicendum est, quid verbum istud (manducare) principaliter, & quid per similitudinem significet. Manducare igitur proprie est solidae alicuius substantiae cibum, per os in corpus adsumere. Neque enim opus est, vt quicquid a suo mandetur, & masticeatur. Bibere vero est, liquidam aliquam substantiam dicto iam modo accipere. Vt autem res aliqua comedatur, necessum non fuerit primo dentibus in ore coteratur, sed suffecerit, vt in venter demittatur. Cui igitur solida aliqua substantia, per os in ventrem demittitur, ea verè, ac re ipsa manducari dicitur. Ceterum, per analogiam manducare est ardenti, ac famelico, vt ita dixerim, rei alicuius obtinendae, atque fruendae desiderio affici: cum quis magno rei illi amore, atque affectu vnitur, ita vt in hoc desiderio, ac rei optate cogitatione quiescat, oblectetur & gaudeat. Vnde sic loqui vulgo consueuimus, vt si quem Phagionem, mansuetum, curculionem, vehementer famelicum, cibum aliquem ardenti desiderio conspiceret animadu-

uertamus, eum suis oculis cibum illum comedisse dicam. Eodem plane modo, cum animus, seu voluntas nostra cibum aliquem vehementer amat, & concupiscit; eum cibum mente, ac spiritualiter manducasse dici potest. Aliquid igitur spiritualiter manducare, non est illud conspiceret, aut cognoscere: sed est illud vehementer optare, ac concupiscere. Potest enim quispiam cibum aliquem ante oculos cernere, illumque grauate ferre, ac omnino respicere: ac tum quidem huiusmodi cibum ille nequaquam dici potest comedisse. ἀναλογικῶς igitur & spiritualiter aliquid manducare est, cum cognitioni affectus atque habendi desiderium adiungitur. At quantumcumque manducandi desiderium accesserit, non tamen ideo fit, vt verè, ac re ipsa comedatur. Nam quemadmodum non rectè sequitur, hoc est homo pictus, verè igitur homo est: ita nec aptè concluderis, hic mentè, ac desiderio praeus est, verè igitur, ac re ipsa praeus est. Paucos enim reperias, qui huiusmodi prandio sibi satisfieri velint, nisi reuera aliquid latrati stomacho ingerant. Sed haec haecenus: Nunc reliquum est, vt quid sit fide manducare, explicemus. Fide igitur manducare est, quum cibum aliquis manducari creditur, ac putatur; qui nisi re ipsa etiam comedatur, non alio modo, quam per phantasiam, & imaginationem manducatus dici potest: quemadmodum phreneticis ac mente captis contingit, qui se in rei veritate comedere somniant & putant, id quod ipsi desiderant. Hi fide tantum comedere rectè dici possunt. Sed haec eorum fides falsa est, eò quod nihil in rei veritate comederint. Duo haec manducandi genera, fide scilicet, ac desiderio manducare, ei, quod est re ipsa manducare, opposita sunt. Vnde huiusmodi comedendi ratio spiritualis nuncupatur, hoc est, non vera, vtpote, quae in rei veritate non fiat. Sed & alia quaedam spiritualis manducandi ratio est, quae non contra veram, sed contra carnalem manducandi rationem distinguitur: ea quoque cuiusmodi sit explicandum est. At quibusdam superuacaneum fortasse, aut minus saltem necessarium videbitur, singula haec ita minutim prosequi; veram ita res se habet, vt neque maiorum nostrorum fides, neque illorum, qui eis ad-

uertantur, opiniones, rectè vnquam intelligi possint, nisi ea, quae de earum vocum significantia, ac natura dicturi sumus, diligenter notentur, ac rectè intelligantur. Si quidem haeretici auditorum suorum ingenia, ita harum vocum caligine ac tenebris inuoluunt, vt ij post longas verborum ambages, omnino nesciant, quid belli illi doctores dicere voluerint. Quo circa accuratè videndum est, quid ad horum verborum usum pertineat. Nota igitur voces istas (spiritualis & spiritualiter) à nomine spiritus derivari. Sed quia nomen hoc spiritus, nunc pro intellectu, ac voluntate; nunc verò pro substantia corporis (quod ex carne, & ossibus constat,) ex parte, cuiusmodi sunt angeli, accipi potest: hinc fit vt voces illae (spirituale & spiritualiter) duplicem significationem habeant. Nam in quantum ab hoc nomine spiritus, intellectum, ac voluntatem significantem, originem trahunt: spirituale, rem, quae in hominis solui cogitatione, voluntate, ac desiderio est, designat. Spiritualiter verò, rem, quae desiderio, mente, ac cogitatione tantummodo fit, denotat. Ac sic oppositum plane significant eius, quod verè, ac re ipsa, aut fit, aut est. Nam res, quae huiusmodi esse tantum habent, nihil omnino sunt, nec vsquam in rerum natura existunt. At verò, cum dictae iam voces (spirituale & spiritualiter) à nomine spiritus deducuntur, in quantum nomen istud aut angelum, aut aliam quamcumque incorpoream substantiam designat; tum vox (spirituale) rem significat, quae cum angelis similitudinem habet, hoc est, quae qualitatibus alijsque accidentibus, quae angelis ac substantijs incorporeis propria sunt, communicat. Ita diuus Paulus vocem spirituale accipit, cum ait. Seminatur corpus animale, & resurget corpus spirituale. Quo sanè loquendi genere, dicere non vult corpora nostra, post generalem illam omnium resurrectionem, vera corpora non fore: sed quod tunc angelicis proprietatibus vestientur, & decorabuntur, vt sint leuia, impassibilia, incorruptibilia, quales sunt angeli, quibus post resurrectionem similes erimus, vti ipse CHRISTVS in euangelio clare nos edocet; quanquam

*Fide manducare quid.*

*Alia spiritualis manducandi ratio.*

*Spiritualis quid.*

*Spirituale.*

*Spiritualiter.*

*1. Cor. 15.*

*Matt. 22. Marc. 12. Luc. 20.*

inte-

Iob. 19.

interim veri homines esse non defina-  
mus, nec vero corpore (quod vera car-  
ne, & ossibus constet) careamus. Siqui-  
dem in propria carne ad vitam excitandi,  
ac in eadem Deum ipsum, vt Diuus  
Iob testatur, contemplari sumus. Spiritu-  
aliter igitur in quantum ab hoc adie-  
ctiuo (spiritualis) in dicta iam significa-  
tione accepto, deducitur, actionem signi-  
ficat, quæ eodem modo fit, quo ange-  
li, ac alij spiritus operationes suas exe-  
quuntur. Iam ergo, vt quid ea vox (spiri-  
tualiter) hoc modo sumpta significet,  
intelligamus: Animaduertamus necesse  
est, quomodo angelus operationes suas  
peragit: CHRISTVS apud Ioannem,  
de spiritus operatione loquens aiebat,  
Spiritus vbi vult, spirat, id est, opera sua  
agit. Neque enim hic (vt quidam) spira-  
re, proflare, sed operatione, quæ ad spiritum  
proprie pertinet, accipimus, quæ p-  
fecto non est flare, sed aliquid aliud lon-  
gè excellentius operari. Spiritus vbi vult  
spirat, inquit, & vocem eius audis, sed ne  
fcis vnde veniat, aut quò vadat. Quibus  
planè verbis, quam in operibus suis exe-  
quendis, spiritus rationem obseruet,  
CHRISTVS apertissime ostendit. I-  
dem est enim, ac si dicat, quod spiritus o-  
pera sua modo planè cōtrario exerceat,  
atque caro aut alia quælibet corporea  
substantia actiones suas exequitur. Caro  
enim actiones suas, visibiliter, percepti-  
biliter, passibiliter, tangibiliter &c. ac cū  
temporis mora exequitur: Spiritus vero  
inuisibiliter, imperceptibiliter, impassi-  
biliter, impalpabiliter; ac sine vlla tem-  
poris mora operatur. Nouis interim hi-  
sce vocabulis, etsi minus Latinis, cum a-  
lia quæ rem ita proprie explicent non  
habeamus, venia tua, candide lector, vt  
nobis vti liceat, precamur. Spiritu-  
aliter igitur res aliqua, vel fieri, vel in loco esse  
dicitur, cum neque carne, neque exteri-  
ori aliquo sensu percipi potest. Atque ita  
quidem vox ista (spiritualiter) pro eo,  
quod carni opponitur, & non vt contra-  
rium ei quod reuera aut est, aut fit, accipi-  
tur. Nam quod hoc modo spiritualiter  
fit, reuera fit, non secus atque id, quod se-  
cundum carnem fit. Nihil enim inter  
hæc, nisi in modo peragendi actiones,  
discriminis est. Nā actionū vna visibilis  
est, ac talis planè, quæ carne percipi pos-  
sit. Altera vero inuisibilis, insensibilis

Spiritus acti-  
ones.Carnis acti-  
ones.

que, vt pote, quæ nec carne, nec vlllo ex-  
teriore sensu deprehendi queat. Atqui  
hæc diligenter sanè obseruanda sunt, vt  
probè intelligamus, quæ Saluatoris no-  
stri mens, atque sententia fuerit, cum di-  
ceret: Caro non prodest quicquam. Ni-  
hil enim aliud his verbis dicere volebat,  
nisi quod caro, cum omnibus sensibus  
suis ad intelligendum sublime mandu-  
cationis huius preciosi corporis sui my-  
sterium, de quo ipse loquebatur, nihil o-  
mnino proderat, sed spiritus tātum mo-  
do, qui in carne est, & carnem viuificat,  
hoc comprehendere possit. Nunc igitur  
ad quid, data iam distinctio, conferat, vi-  
deamus.

*Dictorum accommodatio, vt quenam maio-  
rum nostrorum de hoc sacramento, fides  
sit, rectè intelligamus.*

## CAPVT XXVIII.

Nihil forsitan, amice lector, supra po-  
sita distinctiones, ad ea CHRISTI  
verba, quæ modo versamus, plenius in-  
telligenda, tibi conferre videbuntur. Ve-  
rum miraberis (scio) vbi clarè perspexeris,  
quantum ea lucis allatura sint, vt to-  
ta hæc, quam tractamus, materia planius  
intelligatur. Quod vt ita esse manifestius  
tibi ostendam; omnia superius dicta in  
summam (si lubet) colligamus. Inpri-  
mis itaque diximus, manducare, nunquā  
pro credere; sicut nec credere pro man-  
ducare, in scripturis accipi. Secundò, di-  
ximus, quod cum manducare in literis  
sacris spiritualiter sumitur; magnum at-  
que ardens rei alicuius potiundæ deside-  
rium significet: ita vt nimio quodam a-  
more, in ipsam velut transformari vi-  
deamur. Sicut enim cibum corporeum  
ob oculos cernere, non est enim mandu-  
care, ita nec aliquid credere, illud man-  
ducare est, nisi rei illius desiderium, spi-  
ritualem quandam inter eam, ac mādu-  
cantis spiritum, vnionem efficiat. Alio-  
qui enim diabolus, qui nō minus, quam  
Berengarius credit, æque corpus Christi  
spiritualiter manducasse dici possit, atq;  
is, qui sine eiusmodi affectione credit.  
Tertò, hic notabimus, duplicem esse rea-  
lem manducationem: vna spiritualis est,  
altera carnalis. Hæc fit cum caro sentit,  
videt, ac percipit, cibum in ventrem in-  
geri.

Manducatio  
realis duplexSpiritalis  
quoque du-  
plex.

Vera.

Non vera.

Sola fide.

Desiderio.

Ecclesia fides  
de manduca-  
tione corporis  
Christi.

geri. Illa verò est, cum cibus re ipsa qui-  
dem in corpus demittitur, sed eo planè  
modo, vt comedentis caro hoc nullatenus  
percipiat. Quartò, duplicem quoque  
spiritualem manducationem esse nota-  
bimus, vna est spiritualis vera, seu realis,  
altera autem est spiritualis non vera, vel  
(vt sic cum venia loquar) non realis.  
Spiritualis vera est, quæ verè, ac re ipsa  
quidem fit: sed omnino inuisibiliter, ac  
imperceptibiliter. Spiritualis nō vera est,  
quæ solo intellectu, credendo, aut sola  
voluntate desiderando, fit: ita vt nulla  
proferus circa rem cogitatum, aut deside-  
raram, actio realis exterius fiat. Vnde  
ista spiritualis non vera, in alias duas rur-  
sus subdividitur. Vna est, quæ sola fide  
fit, quàm nos phantasticam, atque ima-  
ginariam appellabimus. Ea porro est,  
cum quid fieri putatur, quod tamen re-  
uera non fit. Alia est, quæ amore, atque  
desiderio rei optata fit, quamuis externè  
ipsa in rei veritate non habeatur. Atqui  
ista ad realem seu veram spiritualem, ac  
sacramentalem manducationem, pror-  
sus necessaria fuerit, vt eam manducanti  
vtilis, atque salutis profuturam, efficiat,  
nimirum, sine qua verà spiritualis, in iu-  
dicium, atque condemnationem, indigne  
manducanti cedit, atque vertitur. Quod  
diligenter animaduertendum est, vt rectè  
intelligatur, quod diuus Paulus ait, de ijs,  
qui panem hunc indignè suscipiunt. His itaq;  
distinctionibus ita præmissis, ac rectè intel-  
lectis, haud difficile, quenam maiorum nostrorum,  
ac totius Ecclesiæ Catholice de reali corpo-  
ris Dominici manducatione, ac eius in  
hoc sacramento, præsentia, fides sit, in-  
telligere poterimus. Eorum enim mens,  
ac sententia erat; vt de verà spirituali  
manducatione, ac de verà spirituali præ-  
sentia (prout spirituale à carnali, & non  
à vera seu reali differt) loqui intelligerē-  
tur. Atqui spiritualis verà hæc mandu-  
catio, bonis, ac malis communis est. At  
verò cum huic altera spiritualis non ve-  
ra copulatur, tunc manducanti vtilis, &  
ad vitam æternam salutæ efficiatur. Ce-  
terum, vtriusq; huiuscemodi conditio  
est, vt nec realis sine spirituali, nec spiri-  
tualis sine reali ad hominum salutem sus-  
ficiat, nisi ijs duntaxat, qui legitimā excu-  
sationem atque impedimentum habue-  
rint. Quod ita planè, quemadmodum &

de baptismo intelligi debet. Nam quem-  
admodum spiritualis baptismus, sine ve-  
ro, externo, atque corporeo, nihil ho-  
minibus ad salutem prodest, si legitimum  
illis illum suscipiendi non adsit impe-  
dimentum: ita sola spiritualis, corporis  
Christi manducatio sine exteriori, vera,  
ac spirituali, post sacramenti huius insti-  
tutionem, nequaquam ad salutem sus-  
fecerit, nisi vrgenti admodum necessitate,  
ab huius perceptione quis præpedia-  
tur. Cæterum, re ipsa manducare esse di-  
ximus, cum solida aliqua substantia ex-  
terius adueniens, ad interiora corporis  
ingeritur. Maiores igitur nostri, cum  
sacramentum hoc susciperent, corporis  
Dominici substantiam ad interiores corpo-  
ris sui partes ingredi credebant: sed  
quia hæc corporis Christi substantia ne-  
que videri, neque vlllo modo à carne no-  
stra percipi poterat, eius manducationem  
spiritualem nominabant; vt sic à natu-  
rali, & carnali aliorum ciborum, quos  
quotidie comedimus, manducatione se-  
cernerent. De qua sanè carnali mandu-  
catione murmuratores illi Capharnaitæ  
Christum loqui putabant. Multi vehe-  
menter laborabant (scio) vt realem si-  
mul ac spiritualem hanc corporis Chri-  
sti manducationem, ac veram, spiritua-  
lem quæ ipsius in hoc sacramento, præsen-  
tiam intelligant. Verum, vt hæc omnib;  
clarior euadat, exemplis eam, quoad pō-  
terim illustriorem reddere conabimur.  
Cum itaq; pomum, quod & cernis, & tā-  
gis, manu tenes: illud secundum carnem  
re ipsa tibi præsens est: nam eiusmodi præ-  
sentiam, & oculis corporeis, & tactu ipso  
percipis. Verum, quando angelus tibi as-  
sistit; re ipsa quidem præsens est: sed quia  
nec cum vides, nec aliquo sensu corpo-  
reo percipere potes, eius præsentiam ve-  
ram, ac spiritualem, non autem carnalem  
esse dico. Sic & anima tua, re ipsa in cor-  
pore tuo est, eam tamen nec oculis car-  
neis cernere tibi licet; nec naturali ali-  
quo sensu, præsentem esse cognoscis. Vnde  
eius præsentiam, non carnalem, sed spiri-  
tualem, veramque esse assero. Iam vero  
quoad realem, simul & carnalem man-  
ducationem; hoc rursus pro exemplo ac-  
cipe. Cum pomum comedis, illud gustu,  
odore, tactu, ac visu ipso, quando  
corporei ingeritur, à carne tua percipitur:  
idèoque huiuscemodi manducatio rea-  
lis.

similit.

Reuera mā-  
ducare.Exemplū  
sententiam  
suam illu-  
strat.

lis quidem, sed carnalis est. Cum autem Saluator noster post resurrectionem suam ianuis obseratis ad discipulos ingrederetur, eiuscemodi ingressus realis quocumque, sed spiritualis, non magis sensu aliquo corporeo percipi potuit, quam ille quo in hunc mundum veniens, nec virginici vteri claustrum aperuit nec violauit. Eodem plane modo Christum ad interiores corporis nostri partes accedere, cogitemus oportet, quamquam id inter corpus nostrum nullo modo percipiat. Et hoc ideo, quia neque vllus corporis Christi gustus, neque pondus, neque violentia vlla, vt in integritate sua corpus nostrum subeat, percipitur. Verum omnibus incredulis hac in re accidit, quod & Apostolis, qui, quoniam Christus ianuas neque patefecerit, neque infregerit, verum ipse corpus ad eos ingressum esse, sibi persuadere non poterant: sed se spiritum & phantasma videre tantisper arbitrati sunt, donec Christus eorum animis dubitationem hanc longo sermone detraheret. Ita plane huius tempestatis nostrae incredulis vsu venit, qui pari omnino ratione permoti, non nisi spiritum, aut phantasma sub hoc sacramento esse existimant; idque ideo, quod caro eorum non percipiat, cum Christi corpus illorum corpora aut intrat, aut exit. Ceterum hi, qui Christum sapius loquentem, ac pluribus verbis afferentem audiverunt, propriam ipsius carnem esse, quod ipsi sub hoc sacramento suscipiunt: longe maiorem Dei sui verbis, quam proprio visui, aut alijs sensibus suis, fide adhibent. Hac studiosus lector diligenter animaduertat, oportet, vt veram maiorum nostrorum fidem recte intelligat.

*Maiores fides de susceptione Eucharistiae.*

Quippe maiores nostri non solum re ipsa Christi gratiam, aut eius spiritum in hoc sacramento, verum etiam proprium ipsius corpus, ac sanguinem, se accipere credebant; quamuis oculis corporeis neutrum cernerent. Imò (quod amplius est) nihil ad animae salutem eiuscemodi receptionem prodesse aiebant, nisi etiam spiritualiter, pio corde, & in fide, ac Dei amore feruenti reciperetur. Hac itaque maiorum nostrorum, nostraque fides est, nunc quanam aduersario- rum sit, restat vt discutiamus.

*Quod distinctionibus superius positis, ad arcana vsque fidei nostrae mysteria pertingere, ac erroneam haereticorum opinionem, quam verborum illorum inuolucris occultare conantur, haud difficile penetrare possimus.*

CAPVT XXIX.

**D**ICTAE iam distinctiones non solum ad rectam fidem probe intelligendam, verum etiam ad erroneam haereticorum, de hoc sacramento, ac reali corporis Christi in eo praesentia: opinionem rite cognoscendam, plurimum nobis conferent. Vrgendi sunt enim, vt voces istas (spirituale ac spiritualiter) in vna aut altera significatione, pro vt superius eas distinximus, accipiant: hoc est, cum Christi corpus in hoc sacramento spiritualiter praesens esse afferunt, interrogandi sunt, vtrum hoc de spirituali, quae & vere realis sit, an vero de spirituali quae omnino realis non sit, praesentia intelligant. Nam de ea reali, quae & carnalis est, hic omnino non agimus. Tamen si enim veram Christi carnem in hoc sacramento vere, ac re ipsa praesentem esse confiteamur: neque ipsi tamen, neque nos eam carnali modo ibi esse, aut intelligimus, aut credimus. Mihi proinde non fit dubium, quin de ea spirituali praesentia se loqui dicent, quae omnino realis non sit: iuxta quam nihil eis extrinsecum accedit, nec quicquam substantiae ad eorum interna diffunditur. Nihil enim amplius per huiuscemodi praesentiam spirituales habent, quam quod noua fide sua excogitarunt. Et cum nulla plane substantia, sed spirituale tantummodo ali- quod accidens sit (quod in phantastico eorum cerebro excipitur) quicquid eiuscemodi fides aut fabricare, aut somnari possit: idcirco eos verum Christi corpus nullo modo re ipsa habere, audacter assero. Nota igitur hic diligenter, quod quicumque Christi corpus non alibi, quam in caelo existere posse credunt, eo ipso realem eius ab ipsorum coena absentiam statuere coguntur, qualescunque inter respectus habeant. Nam vt re ipsa corpus illud recipiamus, necesse fuit, vt foris & extrinsecum ad nos veniat; & quia secundum illam praesentiam in vno dum-

*Aduersarij quomodo vrgendi.*

*Aduersarij vni opinio de Eucharistia.*

*Christus Caluini in caeleste non potest.*

dumtaxat loco illud esse posse dicunt; hinc ab omni alio prorfus loco, ac proinde ab eorum quoque coena, secundum dictam praesentiam illud abesse omnino consequitur. Omnes proinde Caluini- stae, non minus quam Berengariani atque Oecolampadiani realem a coena sua Dominici corporis, ac totius substantiae eius absentiam verissimè statuunt quando ipsi illud non nisi in caelo esse posse contendunt. Siquidem in rei veritate fieri non potest, quamquam insignes interim respectus ipsi habeant, vt Domini corpore ipsa eis in coena sua exhibeatur, cum, vt illud alio in loco, quam in caelo sit, ipsi omnino fieri non posse clamitèr. Nam rectè intelligenti hoc idem plane est, ac si aperte dicant, impossibile esse, vt coram in coena sit. Ex quo plane infero, eos omnes vno, ac pari consensu, realem corporis Dominici a coena sua absentiam statuere: tamen si Beza in concionibus suis apud Possiacum nescio quos respectus statuatur, vt secundum quosdam ipsius respectus, illud sibi re ipsa exhiberi confiteretur, secundum alios vero, vt ibi in rei veritate praesens esset, impossibile esse diceret? Quocirca praestigiatorem, verius quam verbi Dei praeconeum mihi tum e- gisse videtur, quippe qui internos auditorum oculos, verborum ambiguitate fascinaret, vt sic eos praestigiatorum in morem, ludibrio haberet: dicendo Christi corpus vere praesens, verèq; absens esse, prout ei respectus suos commutare luberet. Vnde ipse duo plane contradictoria simul vera esse cõfiteretur, dū Christi corpus re ipsa in coena sua praesens, re- que ipsa simul absens esse cõtendit; què admodum ex ipsius verbis, in explicati- one nostra, quam super iam paulo ante citatas eius conciones cõscripsimus, abundè satis comprobauimus. Nunc itaque videndum est, quam corporis Christi manducationem in coena sua statuunt. Diximus autem superius manducationem spirituales, inquam reali opponitur, duobus modis fieri, nempe intellectu, credendo deinde voluntate, amando, ac de- siderando. Atqui praeter hos duos spiri- tuales manducandi modos, tertius qui non sit realis, omnino nec inueniri, nec excogitari potest. Iam vero quod ad ip- sos attinet, ipsi eum manducandi modum, qui per fidem fit, accipiunt, vti ex ipsorum

*Deus praestigiator.*

tum verbis, tum scriptis, haud difficulter colligere possumus. Ipsi etenim eas voces (spiritualiter, ac per fidem) in mediū semper adferunt. Ex quibus clarè satis liquet, eos de ea spirituali manducatione loqui, quae fide tantummodo peragitur. Superest igitur, vt pedem hic paululum figamus, vt quenam manducationis huius arcana sint, ab eis audiamus: vt ita pedetentim in sancta noua illorum religionis penetralia non irrumperet, sed peruenire possumus.

*Quo sensu nouelli isti fidei stae, Christi corpus voraci sua fide manducare intelligantur, quaestio- nibus quibusdam propo- sitis discutitur.*

CAPVT XXX.

**E**xplicata iam eorum verborum si- gnificantiā, quibus aduersarij vti solent, cum vel lectoribus, vel auditoribus opinionum suarum mysteria obtegere volunt, libenter ab huiuscemodi fidei stae quaerere (sic interim, pace tua, amice lector, nouae huius sectae au- ctiores, qui nihil praeter fidem crepant, nihil- que in hoc sacramento, nisi fide tantum esse credunt, donec cõmodius aliquod no- men eis impositum fuerit, mihi appella- re liceat) lubenter, inquam, ab eis quaere- rem, quo sensu intelligant, se voraci sua fide Christi corpus manducare. Luben- ter enim huiuscemodi manducationis arcana intelligerem. Quæro igitur quid- nam Caluini stae credant, cum suam coe- nam (quam falso Dominicam vocant) manducant? Nam cum omnes fidei ope- rationes credendo maxime exerantur, eos aliquid credere, cum eam manducant, omnino dicendum fuerit. Manducant- ne igitur credendo Christi corpus vere ac realiter in hoc sacramento praesens esse, aut credendo illud falso: seu nullo pe- nitus modo in sua coena existere? Si prius concedant, nobiscum profecto de reali praesentia Dominici corporis in hoc sa- cramento conueniunt. Quod sanè ipsos nequaquam facile concessuros arbitror, quandoquidem impossibile (iuxta erro- neam eorum opinionem) fuerit, vt alibi, quam in caelo re ipsa inueniatur. Re- liquum igitur est, vt illud manducant, cre- dendo id, quod posteriori loco posui- mus; nepe credendo Christi corpus nullo

*Fidèle.*



prorsus modo, in hoc sacramento præfens esse. Verū, si ita est, Turcæ igitur, ac Iudei, qui quæ ut ipsi, Christi corpus nequaquam in hoc sacramento realiter esse credunt, non minus ac ipsi manducant. At manducationē hanc fieri fortasse dicent, credendo Christū pro nobis mortē subisse, ac rediituum cœlos cōscendisse. Verum, si ita est, ipsi igitur non minus illud manducant, cū quemlibet aliū cibū sumunt, atq; cum cœnam suā deglutiūt. Nam ubicumq; fuerint, aut quocumq; tādē icrint, omnia illa ( si modo Christiani sint) semper, ac ubiq; credunt. Imo & Demones (quod longè peius est) qui omnia ista confitentur, æq; ut ipsi manducare dicendi sunt. Sed video (ni fallor) quo eorū mens, atq; cogitatio vergat: nimirum ob Dominicæ mortis recordationem, ac memoriam, quam in cœna sua celebrant, se manducare dicent. At si id verū est, crucis igitur signaculum, aut imaginem contemplando, aut passionis eius historiam legendo, æquè ut ipsi corp⁹ illud manducabimus. Tunc enim eius, quam pro nobis pertulit, mortis recordamur. Vnde à quibusdam fide dignis testibus, qui eorum quandoq; cœnæ interfuerunt, mihi relatum est: nihil aliud eos discipulis suis, cum panem suum eis porrigunt, nisi hæc verba dicere solitos esse: Accipe, frater, & comede, ac Dominicæ mortis recordare. At qui ita iste eorum panis, per cuiusvis manus indiscriminatum distribui potest. Quemadmodum de quodam mihi relatū est, qui cū hora cœnæ, ut cum cæteris panis portionem acciperet, non comparuisset; familiaris eius quidam amicus, panis buccellam, quam in caligis suis militaribus, inter bombardulas & pulcrem tormentarium absconderat, ei porrexit, inquit: Accipe frater, & mortem Dominicam recole: quo facto, vterq; præclara illa fide sua, Christi corpus manducasse se credidit. Ex quo haud difficulter sanè conicio, aliud nihil agendo, quam Christum pro nobis mortuum credendo, ac mortem eius cruentam ad memoriam reuocando, Dominicæ eos carni communicare. Nihil enim cum eorum pane illis exhibetur. Grandis enim ac vorax fides eorum est, quæ in ipsorum mysterijs omnia operatur. Verum si credendo in cruentam Christi mortem illius corpus mā-

*Caluiste eum  
indam ex-  
emplum.*

ducant, ipsis profecto vehementer compatior, cum frequenter eos conspiciam triginta aut quadraginta miliaria ingenti cum sudore conficere, ut cœnam suā celebrent, cum omnia illa credant, etiam si nec vnicum quidem domo pedem moueant. Qua profecto in re Catholicos longè ipsis foeliciores existimo, utpote, qui signaculum, aut imaginem crucis contemplando, quam vel in domo fortasse conseruant, vel in via conueniunt, minori labore, ac precio, quàm illi Dominicam mortem ad memoriam reuocare possint. Nam si solam mortis Dominicæ in cœna sua memoriam habeant, nec aliud quàm intinctam panis buccellam, in huius rei memoriam sumant, o quam multa corporis Christi sacramenta habebimus, cum tam multa signa passim teneamus, quibus ad eius preciosam mortem recolendam prouocamur. Quod si dixerint, aliquid aliud præter illa quæ diximus, credēdo, voracem eorum fidem, Christi corpus manducare, illud quidnam sit, libenter audirem. Sed iterum, ut video, hæc de re coniectura mihi facienda est, sit ne hoc igitur credendo, quod verè, ac realiter CHRISTI corpus comedant: an verò credendo, quod nihil in rei veritate de dicto corpore fumant. Harum enim contradictoriarum alteram ab ijs eligi, necesse est. Quod si fieri dicant, credendo, se verè, ac realiter manducare: falsa erit igitur eorum fides, cum se facerè credūt, id quod minime faciunt. Nam quemadmodum si Christum in cœlo non existere crederent, eorum fides falsa foret: ita credendo, se illum realiter māducare, cum nullam tamen realem eius præsentiam habeant ( quandoquidem illum ita cœlo includunt, ut alibi esse non possit) consequens est, ut falsa eorum sit fides. Alioqui non fatis, quamnam falsa fides dicere debeat, intelligo: nisi ea falsa sit, qua quis se benè, in rei veritate pransum esse credit, quod nihil tamē re ipsa præter vêtos, aut fumos superserit, aut comederit. Aut si id fieri putat, credēdo se nihil penitus in rei veritate de Christi corpore māducare, consequens est, ut spiritualis eiuscemodi māducatio vana sit, & erronea: nec vllō modo corporis Domini māducatio dici potest: sed cogitatio poti⁹, aut imaginaria māducatio dicēda est, & febricitantiū, aut phrenetico-

neticorum, aut aliorum delirantiū māducationi, haud immerito comparare possumus; qui in opiparis cōuiujs egregiè se epulari somniant, cum nihil interrim, aut biberint, aut comederint. Cæterum, aduerte spiritualem eiuscemodi māducationē, quæ sit per fidem, longè ab ea spirituali māducatione discrepare, quam necessariam esse dicebamus: ut vera, & salutaris māducatio sacramentalis esse valeat. Neque enim in hac quicquam de Christi corpore manducari creditur; sed ardenti tantum deuotione illud manducari desideratur, quod cum sit nulla vtiq; falsa subest māducatio. Nam qui sic illud manducat, non credit se Christi corpus manducare: sed scit desiderium tantummodo illud māducandi se habere, credens interim summittere se illud verè in hoc sacramento manducare posse, nisi præsens impedimentum illi superuenisset. At spiritualis illa, quæ sit per solam fidem, vana est, & phantastica; eò quod phantasticus ille fidista se facere putat, quod non facit. Imo quod amplius est, facere se existimat; id quod ei factu impossibile esse credit. Nam impossibile putat Christi corpus esse in hoc sacramento. Igitur si credendo se Christi corpus manducare, illud edunt, alijs rebus quas etiam credunt benè expensis, nihil omnino māducare videntur.

*Fidei aduersariorum veritas, mysteriumque  
rursus discutitur.*

## CAPVT XXXI.

Longè commodiori ratione (si quid tamen recti iudicij in me est) aduersarij, & se ipsos tueri, & dicta iam in eodem modo vitare fortè possēt, si se per fidem Christi corpus in cœna sua manducare dicerent, non credendo se aliquid reuera fumere, sed credendo aliquid in hoc augustissimo sacramento, circa Christi corpus fieri: quod sit ad eò mirabile, ad eò intellectu incomprehensibile, ad eò creditu difficile, ut illud simplici fide credendo, tantum quis promereri possit, ac si Dominicum corpus re ipsa fumeret. Cæterum oporteret, ut res ista, quam credendo sacramenti huius effectum perciperemus, ita huic sacramento peculia-

ris, ac propria foret, ut aliquid eiusmodi, alijs in sacramentis nullo modo inueniri queat. At vero ita res se habet, ut quicquid in hoc sacramento isti fieri afferunt in alijs quoque, ut ipsa dignè suscipiantur, fiat. Nam ut baptismus, aut aliud quoduis sacramentum ab adultis ritè suscipiatur, in Christi mortem credendum est, eaque ad memoriam reuocanda est. Quod cum sit, corporis Christi effectum (qui est peccatorum remissio) eo in sacramento percipimus, ac corpori Christi mystico (quod est ecclesia) inferimur. Non minus igitur Christi corp⁹ in baptismo, quàm in eorum cœna sumeretur; nisi hic aliquid circa corpus Christi peculiariter fieret, quod in baptismo nō agitur, quodque ad eò sit difficile creditu, ut illud columbina simplicitate credendo, multum quis promeretur: ita ut in eius remunerationē, quod pius videlicet Christianus ad tam sublimia mysteria simpliciter credenda, intellectum suum humiliter in captiuitatem redigat. Deus præfati iam sacramenti, corporisq; sui virtutem, & efficaciam, ei communicet. At qui hoc planè est, quod nos Christiani, maiorū nostrorum vestigijs inherētes: hoc (inquā) planè est, quod de spirituali māducatione credimus: quam & tum demum fieri dicimus, si posteaquam res vsque ad eò difficilis creditur (cuiusmodi est credere, Christi corpus realiter in Eucharistia, ac simul in cœlo existere) ardens desiderium, feruentiq; illud re ipsa suscipiendū deuotio accesserit. Tunc enim Deus eiuscemodi fidem, pietatem, dilectionē, ac singularem, quam preciosò corpori suo affectum, exhibemus, abundantè remunerat. Tunc eiusmodi Christianos, illius gratiæ participes efficit, quam ij recipiunt, qui ipsius corpus re ipsa, ac sacramentaliter suscipiunt. At isti fidista nihil in hoc sacramento circa Christi corpus agi arbitrantur, quod sit difficile creditu. Porissima siquidem ratio eorum, cur maiorum nostrorum fidem relinquunt, est, quod sublimia atque incomprehensibilia mysteria, quæ maiores nostri in hoc sacramento geri piè crediderunt, ipsi omnino credere nolint. Nam quò ad ipsos, nihil de cœna sua, quod creditu sit difficile, vnde & remunerationē apud Deum promerētur, omnino credunt,

Calvina  
de merito

dunt. Siquidem & Philosophi, & Iudai, absq; vilo profus negotio credere fieri non posse, vt Domini corpus simul & in cœna sit, & in cœlo refideat. Vnde satis equidè intelligere nequeo, quid credendo, ipsi Domini corporis effectum cõsequi mereantur. Nullo equidem modo dubitauerim Christianum hominẽ plurimum apud Deum promereri, Deo quẽ supra modum rem gratam facere, dum Missam audiens, sacramentum quẽ conspicens, eiusmodi vim sibi ipsi infert, vt ad deferendum verbo Dei honorem, paratus sit credere, tale quid ibi existere, qd̃ ipse nec oculis corporeis intueri, nec naturali quoquam sensu percipere possit; cum videlicet cõtra omnem oculorum corporis experientiam, Deum suum, fidei oculis se vidisse proficitur. Atq; hæc sunt sanè quæ credendo, Christi quẽ corpus amando, honorando, reuerẽdo, spiritualiter quis promeretur, dum sic fides exercetur; atque intellectus, in obsequiũ Christi captiuatur. Cæterum, quod ad istos fideitas atrinet, ipsi articuli huius, qui circa Eucharistiæ sacramentum versatur, fidem ita credibilem, ita intellectu facilem reddere conantur, vt nihil penitus illum, credendo promereri valeam; nec minus infidelissimus quispiam, quã pius, quilibet Christianus, credere de eo possit. Nihil proinde, ob præclaram illã fidem suam de corporis Christi effectum habere putandi sunt: nisi in hoc sacramento circa corpus Christi aliquid amplius fieri credere velint, quam hucusque crediderunt, sicuti ex ipsorum libris eos minime credere, fat mihi cõstat. Verum eorum (vt ingenuè fatear) opiniones vsquẽ ad meo mihi videtur absurdæ, vt quam de ipsis coniecturam facere debeam, haud satis intelligam. Adde, quod & nonnumquam cum ipsis contulerim, vt quid cum edaci fide sua dicere vellẽt, planius intelligerem. Verum nihil penitus, quod ad certam rei huius diffinitionem faciat, vniquam ab illis discere potui. Nam simul atque in commodum aliquod ex ipsorum verbis emanans in medium protulisset, ad spiritualitatem quandam, quam nec ipsi, nec ego intelligere poteram, confugiebant. Vnde ipsorum neminem (de Caluinistis nunc loquor) adhuc comperi, qui planè ac disertè mihi dicere potuerit, quæ eius de hoc

id est nihil  
difficile cre  
dunt.

sacramento fides esset. Duas illorũ antesignani magistrũ; militum Beza (quem illi ministrum vocat) sed quoniam Germanorum equitatu ille non inermis ducebat ad bellum, & ipse in prælium deduxisset perhibetur, mihi vt magistrum militum eum dicerem, excidit; duas, in quã, Beza conciones legi, quas cum sedulo voluisset, atque reuoluisset, quid is sibi vellet, intelligere non potui, nisi forte Christi corpus simul in hoc sacramento re ipsa & præsens & absens esse. Præterea corpus Dominicum tam procul ab ipso cœna abesse ait, quàm procul abest cœlum à terra. Ad hæc dicit, ipsam corporis Christi substantiam, respectu ipsorum fidei, in rei veritate ipsis exhiberi. Cum propius expendo, quid substantiæ nomen significet, impossibile esse comperio, vt corporis alicuius substantia ab ipso corpore separaretur. Nam substantia à suo corpore citra ipsius corruptionẽ, ac interitum nulla ratione separari potest, cum accidens, aut accidenti, quod absque subiecti corruptione & adesse, & abesse potest, similis non sit. Audacter ergo pronuncio, si corporis Christi substantia in eorum cœna realiter existat, ipsum quoque corpus ibi realiter sit necesse est. Alioqui quid corpus à sua substantia separatum esset? Nihil profecto. Cum is ergo sic loquitur, quid aliud nisi Christi corpus in cœna sua & adesse & abesse pronunciat? Ille igitur (vt dixerim apertè quod sentio) neque videtur curare quid dicat: neque omnino intelligere quid dicendum putet. Idem & cæteris vsu venit, Semper enim ad nescio quam spiritualitatem (vt ipsi vocant) tanquam ad inexpugnabile quoddam asylum cõfugiunt. Quos si quis vrgeat, vt quid per illud (spiritualiter) seu spiritualitatem, intelligant, dilucide explicent: nihil minus, quam hoc intelligunt, penitusque ignorant, quidnam respondere debeant. At (vt quod verũ est, ingenuè fateamur) illa eorum spiritualitas nihil aliud est, quã mera chimera, aut olla pertusa, quæ nihil penitus in se liquoris continet. Sic enim ipsi in vniuersum omnes, nihil se penitus corporis Domini reuera in cœna sua habere profitentur. Nec id obscurè: nam cum primo loco ipsi illud ita cœlo affixerint, vt alibi esse non possit, quomodo illud in cœna sua haberent?

Vnde

Vnde perspicuum est secũdo loco illos huius Domini corporis nõ habere substantiam: quæ ab illo corpore diuelli nullo modo potest: Quoscunq; interim respectus Beza constituat. Quid igitur habent in cœna sua? Quæro enim ab eis vtrum corporis Domini spiritum in cœna sua habeant, necne? Quod si Domini corporis spiritum, & non corpus ipsum se habere ipsi dixerint, cœna igitur eorum, spiritus Domini, & nõ corporis sacramentum dicenda est. Deinde quæro vtrum spiritus à corpore suo segregatus sit, vt in eorum cœna inueniatur: an pariter cum corpore suo ibi reperiat? Quod si à corpore seiunctus est, corpus igitur exanime derelinquit: cum absq; spiritu, vitam habere corpus non possit. Quod si spiritus pariter cum corpore vti in cœlo refidet, ibi præsens est, in pluribus igitur locis (quod ipsi esse impossibile cõtendunt) illud corpus sit, necesse est. Ad hæc cum ipsi de spiritu Domini loquuntur, lubenter equidem optauerim, vt clarè ac disertè nobis explicet, quid in cœna sua esse sentiant, vtrum nomine spiritus, Christi animam, an verò solam ipsius diuinitatem accipiant? Si de anima loquantur, in omnia, quæ modo diximus, incommoda corruunt. Si de diuinitate, iam tandem hoc ab eis obtinemus, vt nihil se de Christi humanitate in hoc sacramento habere existiment, cum neque corpus, neque animam habeant. Ex quo planè conficitur, eorũ cœnam, in qua solam Christi diuinitatem vorant, non corporis Domini, sed eius diuinitatis sacramentum esse dicendum. Verum, si diuinitatem ibi esse confitentur, cur maiores suos idololatrias vocant, quod eo in sacramento Deum suum adorauerint? Nullam profecto iustam id faciendi causam habere videtur. At nos interim alta fidei eorum mysteria profundè admodum perscrutamur. Cæterum, antequam vltius progrediamur, certam harum rerum definitionem ab ipsis quaramus, necesse est, ne si forte res ita aliquando postulauerit, vt simplices Christiani maiorum suorum fidem, ob falsas istorum opiniones suscipiendas, abiurare cogantur; quid sibi credendum, quid tenendum sit intelligant.

Quod ubi præstius aduersarij vrgentur, vt quod fide sua de Christi corpore in cœna sua habeant, ingenuè dicant, nihil, præter eius effectum, se tandem habere consistuntur.

## CAPVT XXXII.

CV M aduersarij, iuxta prius concessa, Christi corpus, eiusque substantiam, ac ipsius deniq; animam, in cœlo relinquere cogantur, ne forte nihil, præter de corpore Dominico habere videtur; eius saltem effectum, ac virtutẽ, non minus ac si eius corpus præsens teneret, habere se glorientur. Porro si magis vrgatur, vt ingenuè dicant, vtrum in scripturis vsquam aliquid tale reperiat, an eiusmodi verbis aliquando sacræ literæ vtantur; negabunt. Quid igitur? Sic inquit, pro arbitrio nostro Dei verbum exponimus. Quare sinamus eos nouas huiusmodi aduentiones, quas ipsi defendere nequeunt, confingere, quarum autem ab eis, quidnã per Domini corporis effectum intelligant. Eos itaq; pro huius effectum accepturos puto, id quod Seruator noster accipiendum docet, remissionem scilicet peccatorum. Vnde ille, hoc est, inquit, corpus meum, quod pro vobis, & pro multis tradetur in remissionem peccatorum. Remissio igitur peccatorum Domini corporis effectus est. Cum itaque de re sacramenti huius inuisibili loquantur, quæ eis cum pane suo Caluiniano exhibetur, de peccatorum suorum remissione loqui se intelligunt. Cæterum, nũc videmus, quomodo istud cum verbo Dei, & cum alijs, quæ de sacramento isto dicuntur, conueniat. Et in primis quidem, cum nihil, præter Domini corporis effectum, qui est remissio peccatorum, habeant, cumque hæc peccatorum remissio æquè nobis in baptismo, ac pœnitentia, atque in isto sacramento communicate, hoc vtrique sacramentum, non plus quàm alia quæuis sacramenta, corporis Domini sacramentum rectè appellare poterunt, maximè cum in isto (vt illis placet) neque reuera Christi corpus, neque eius substantia, neque verò ipsius anima, sed ipsius tantummodo corporis effectus contineatur, qui iuxta eorum

Effectum  
quid aduet  
sarij.

Luc. 22.

F 4 opini

opinionem, atque sententiã in alijs quoque sacramentis equè, atque in isto reuera suscipitur. Secundò, cum Dominici corporis effectus sit peccatorum remissio, cumque hæc sacramenti huius res inuisibilis sit, planè consequens est, hominem indignum aut sacramentum huiusmodi suscipere non posse, aut si susceperit, peccatorum remissionem, ac Dominici corporis effectum, ad suam damnationem accipere. Nam quicumque indignè (iuxta verissimam beati Pauli sententiã) id quod sub hoc sacramento continetur, acceperit, ad iudicium sibi sumit. Cum igitur neque Christi corpus sit, neque eius substantia, neque verò ipsius anima, sed illius tantummodo effectus, qui sacramenti huius res inuisibilis sit: hinc meridiana luce clarius euadit, quod iste effectus ad damnationem suscipitur. Quod quam sit absurdū, quis (quæso) non videat? Quis enim peccatorum remissionem ad suam accipere potest damnationem? Oportet igitur aliud sit huius sacramenti inuisibile, aliud aliorum sacramentorum, ut distinctum numero sacramentum ab alijs esse dignoscatur. Quocirca maiores nostri longè rectius beati Pauli mentem atque sententiã mihi intellexisse videntur, cum re sacramenti huius inuisibilem causam ipsam, nempe corpus Christi, & non ipsius effectum esse dixerunt. Causa enim ne effectum suum sortiatur, per suscipientis indignitatem præpediri potest: sed ipse effectus cum suscipitur, non nisi ad salutem nostram suscipi potest. Tertio, Dominici corporis effectum fide se apprehendere dicunt: verum quia fides falsa, & erronea credere potest, sequitur sacramentum istud vanum, ac incertum fore. Non enim sacramentum fuerit, nisi cum rem suam inuisibilem haberit. At si illa ex fide nostra, & non ex verbo Dei, iuxta stultam illorum imaginationem dependeat, consequens est, eorum cœnam (iuxta fidem hanc veram aut falsam nunc sacramentum esse, nunc vero non esse. Id quod eorum cœnam prorsus erroneam, vanam, incertam, instabilem reddit: utpote, in qua nihil eis sacramentum præstet, sed sola eorum fides. Quarto, hinc sequitur antiquos veteris testamenti patres idem omnino, quod vos ô Calvinistæ in cœna vestra sacra-

1. Cor. 10.

Calvini cœna  
vana & incerta.

mentum cū omnibus virtutibus, ac effectibus suis habuisse. Tam varia siquidem corporis Christi signa, veluti manna, agnum paschalem, panes propositorios, aliãque id genus tam multa habuerint, ut haud immeritò corpus Christi, quemadmodum & vos, manducasse dici possint. Adde, quod & ipsum quoque Dominici corporis effectum remissionem peccatorum, per fidem, in Messiam venturum accipiendo obtinuerunt; quemadmodum & vos modo, per fidem in eum, qui iam venit, accipitis: Vnde & vos ipsi, cū maiorum nostrorum fidem oppugnatis, ac illud Pauli citatis, Omnes eandem escã spiritualem manducarunt; quid aliud dicitis nisi beatum Paulum dicere, eãdem illos escã in manna suo manducasse, quam nos in corporis Dominici sacramento comedimus? Attamen in hoc Ioannis euangelio, sole clarius intueri licet, quemadmodum Christus cum, de quo ipse ibi agebat, cibum, longè eo quã coram patres in deserto comederant, Moisaico scilicet manna excellentiorem esse, comprobet. Verum si illi eundem prorsus, quem nos, cibum comedissent, nullus planè huiusmodi collationis, inter nostrum, ac eorum cibum relictus esset locus. Nam ubi non nisi vna, eademque res est, nulla certè comparatio fieri potest. Si proinde Christus de spiritali tantum carnis suæ mädicatione ibi loqueretur, nihil noui penitus aut promitteret, aut institueret. imo nec quicquam nos amplius quam antiqui patres haberemus. Quod ex diametro cum Paulina doctrina pugnat, qui clarè & apertè nos docet, omnia, quæ antiquis illis patribus contigere, non nisi verarum rerum, quæ nobis per Christum administrandæ erant, umbras fuisse. Nunc igitur abundè satis liquet, quemadmodum absque innumeris penè absurditatibus vna tantum spiritalis, Dominica carnis manducatio, aut sola effectus eius præsentia commodè defendi nequeat. Siquidem Iudæi ante Christi aduentum, omnia illa spiritaliter, & per fidem in typis, & figuris suis, quemadmodum & nunc Calvinistæ, habuerunt. Eorum proinde opinio cū Dei verbo, Christi que sententiã, in hoc sexto Ioannis capite clarè, ac difertè satis explicata, directè pugnat, eique contraria est.

Quod

Quod maiores nostri, ut omnia quæ superius posuimus incommoda euitarent, quæ et erroneas aduersariorum opiniones necessario consequuntur, realem Dominici corporis in hoc sacramento præsentiam sapienter statuerint.

## CAPVT XXXIII.

SANCTI patres nostri diuino numine afflati, omnia, quæ iam diximus, ac singulas verbi Dei circumstantias attentius expendentes, præter spiritualem, realem quoque corporis Dominici in Eucharistia, tum præsentiam, tum manducationem sapienter afferuerunt. Alioqui enim numquam comprehendere potuissent, quomodo nostra, aut mäducatio, aut cibus, antiquorum patrum manducatione, ciboque præstantior fuisset, nisi quantum illi habuissent, tantumdem & nos imo & longè quid amplius habere concederent, hoc est, nisi spiritualem æquè efficaciter, ac perfectè; quemadmodum & illi, ac insuper realè quoque mäducationem, nos habere cõfiterentur. Vnde non difficulter equidè animaduerto, maiores nostros planam, regiam, mediamque inter duas opiniones sibi inuicem repugnantes viam tenuisse. Iampridem enim Capharnaitæ quidem fuerant, qui Christum de vera quidem & reali, sed carnali tamen, corporis sui manducatione loqui putarent; quæ eo prorsus modo fit, quo alij cibi corporales sumuntur & comeduntur. Hos secuti sunt alij, qui aliud extremum eligerent, dicentes eum de spiritali tantum, & non verã ac reali corporis sui manducatione loqui. At contra istos Ecclesia realem nos Dominici corporis tum manducationem, tum præsentiam habere credit, aduersus illos autem mäducationem hanc spiritualem esse profiteretur. Ita ut quemadmodum superius declarauimus, integrum Christi corpus nobis sub specie panis, ac vini, foris exhibitum, in rei veritate ad intima corporis nostri penetrare intelligat. Deinde verò longè aliter realem huiusmodi manducationem, quam illam carnalè fieri docet. Siquidem realis ista inuisibiliter peragitur, Christi carnem non interimèdo, nec dentibus lacerãdo: sed eo planè mo-

Maior fides  
quasi inter  
Seyllam &  
Caribdim  
media.

do, ut cum illa corpus nostrum subeat, aut egrediatur, sensibus corporis omnino non percipiatur. Habes igitur, amice lector, fidei maiorum nostrorum elucidationem, ea (vti confido) perspicuitate explicatam, qua pro tantæ rei maiestati explicari potest. Habes quoque ex diametro aduersariorum fidem (si tamen fides dicendã est) delectam, & elucidatam, ac omnia ferè, quæ illã consequuntur incommoda. Cæterum, si id sedulo elaboraueris, ut harum vocum spiritalis, spiritaliter, per fidem, &c. significantiam, ac vsum intelligas, omnia fidei ac religionis (quam vocant) eorum mysteria minimo certè negotio intelliges. Ipsi etenim nullam prorsus realem, ac verã, sed spiritualem tantummodo, ac imaginariam manducationem habent: quicquid ipsi interim cū voraci fide sua, clamitent, delirent, somnient. Maiores autem nostri spiritualem pariter, ac realem manducationem tenent, neque verò dicunt, fidem esse, quæ huiusmodi spiritualem manducationem efficiat, sed spiritualem animæ appetitum, quo ipsa sancto quodam desiderio, illi tam Augusto, ac tam precioso corpori ardentè vniri cupit. Quemadmodum enim prius, quã cibi corporis sumantur, visus eos appetitui proponit ac detegit: deinde verò appetitus hominè ad realem eorum manducationem incitat ac mouet: ita hic profectò fides nihil aliud agit, quam ut spiritualem huc cibum nobis demonstrat, ac ubi cum inuenire debeamus, ostendat. Postea autè spiritalis animæ appetitus eum quærere, optare, desiderare habet. Tunc cum beata illa Samaritana dicit: Domine da mihi hunc panem, ut viuam in æternum. Atqui huiusmodi desiderio fit, ut homo ad cibum hunc realiter sumendum impellatur: quandoquidem tale mediũ sibi præparatum esse animaduertit, quo non solum spiritaliter, sed etiam verè, & opere ipso sumere, ac manducare possit. Nunc enim, cum Deus preciosa vnigeniti sui morte, hominibus sit reconciliatus, amplius non prohibet, ne manum nostram ad vitæ fructum porrigamus, ne in æternum viuamus: sed solus diabolus est, qui prohibet, ne homines aut in hunc vitæ fructum credant, aut ad eum manum porrigant, ut illum sumant, & comedant, ac sic vitam, quã antea eo sua-

Fidei officium.

Appetitus  
in ci. spiritalis.

Idem. 43

fore

lore perdidierant, recuperent: quemadmodum alias latius declarauimus. Quæ cum ita sint, diligenter hic notandum est, quod fides (vt propriè, & ad verborum rigorem loquamur) manducationem hanc, seu realem, seu etiam spirituales non efficiat: sed hæc locum tantummodo, vbi sit fructus vite, & arborem ipsam (quæ est augustissimum istud sacramentum) quæ eum portat, ostendit. Proinde, cum Augustinus ait: Crede & manducasti, nõ de huiuscemodi fide agit, de qua spirituales isti fidistè loquuntur: hoc est, non de nuda fide agit: sed de ea, qua certo, ac indubiè credimus, Christi corpus verè, ac realiter in hoc sacramento esse, ac de spiritali illo appetitu, & efficacia, quæ huiuscemodi fidem sequitur, vt credentem ad Christi corpus realiter sumendum ardentè inappellat atque sollicitet. Verum iam abundè satis (vt opinor) lectori declarauimus, quanam sit maiorum nostrorum de hoc sacramento fides, quæ item aduersariorū opinio, qui (si ea quæ ipsi dicunt, rectè intelligatur) nihil penitus de corpore Domini in coena sua habere deprehendantur, vti latius in secunda libri huius parte declarabitur & explicabitur.

*Ad quid hæc corporis Domini in hoc sacramento presentia conferat: vbi & hæc Christi verba explicantur: Sicut misit me viuens pater &c.*

## CAPVT XXXIII.

**M** I H ignoscas velim, amicè lector, si hæc tunc æquo prolixior fuerim ac diutius, quã par erat, alia Christi verba, quæ declaranda suscepimus, explicare distulerim. Nam cum probè animaduertentem totam huius controuersie decidendæ difficultatem, inde potissimum oriri, quòd aduersarij neque sententiam suam disertè exprimere, neque ea, quæ tam nos quam maiores nostri de sublimi hoc mysterio dicimus, ac credimus, ritè intelligere velint: omnino elaborare volui, vt (quantum fieri posset) plenè, ac dilucidè animi nostri sententiã explicarem, & ea, quæ aduersarij credere compelluntur, vt ea omnia tueãtur, quæ ipsi de hoc sacramento fabulantur, ob oculos tibi velut depicta proponerẽ. Nam (vt ingenuè, quod verum est, fateamur)

non veritatis amatores, sed contentiosi homines sunt, qui priusquam cum alio in arenam descendant, intelligere nolunt neque ea, quæ ipsi dicunt; neque de quibus affirmant. Quippe, cum ad certamentum fuerit, huiusmodi homines, nõ aduersariorum thesais, sed aliquid aliud, quod nihil ad rem faciat, impugnant. Id quod aduersarij nostris ita (pro dolor) frequenter, in hoc argumento accidit, vt nihil sapias. Nam ex eo, quod intelligere nolunt, quo in sensu voces has (realiter ac spiritaliter) accipiamus, quando his vtimur, dum sacramenti huius mentionem facimus, fit, vt cum Christi corpus in hoc sacramento realiter esse dicimus, vt illi nos impugnent, ac si illud carnaliter, cum Capharnaitis intelligeremus. Et rursus, cum spiritaliter ibi præsens esse dicim⁹, vocem hanc spiritaliter, pro eo, quod ei, quod est esse realiter opponitur, & non quemadmodum nos, pro eo quod ei, quod est esse carnaliter repugnat, accipiant. Ex quo sanè fit, vt cum variis harum vocum vsus non distinguitur, nec in quo sensu, dum his vtimur, illas accipiamus, explicatur, hinc (inquam) fit, vt tantam inter differendum confusionem pariant, vt neque auditores, neque disceptantes, se mutuo intelligant. Nam ex eo, quod pars aduersa intelligere non vult, quomodo vocem (spiritaliter) accipiamus, cum Christi corpus, in Eucharistia realiter simul ac spiritaliter esse dicimus, statim nos cum ipsis credere vociferantur, quantumuis interim eorum vox (spiritaliter) eo in sensu, quo ipsi vtuntur, sensui nostro, in quo eandem vocem accipimus, planè repugnet. Vox enim (spiritaliter) pro vt ipsi illam accipiunt, voci (realiter) opponitur: sed nos, cum eadem voce vtimur, non sic sanè vsurpamus, vt illis vocibus verè, ac realiter aduersetur. Hæc namq; se mutuo compatiuntur. Cæterum, hæc latius, cum ad coenæ articulum peruentum fuerit, declarabimus. Ist hæc nunc igitur missa faciamus, vt Christi verba de sui ipsius realis, simul ac spiritalis manducationis effectu, atq; vtilitate explicemus. Sicut, inquit, misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me: Non de suo tantum corpore manducando

candò hic loquitur, sed vt ipse totus, ac integer, cum tota sua diuinitate, pariter ac humanitate, à nobis accipiatur, blãdè nos intuit: & allicit. Et qui manducat me, inquit, & ipse viuet propter me. Vox illa (me) accusandi casus est ab illo pronomine (ego). Iã verò superius, quomodo hoc pronomine (ego) vti oporteat, declarauim⁹. Hic proinde haud difficulter animaduertere est, quemadmodum Christus posteaquam longo sermone de carne sua manducanda diseruisset, eodem planè modo tadè loquitur, quemadmodum statim ab initio locutus fuerat, cū diceret: Ego sum panis viuus. Periculum enim erat (quoniam de carne sua manducanda multis verbis diseruerat) ne quisquam in Capharnaitarum errorè incautus incidere, existimans eum de sola carne sua manducanda, ab eius spiritu, ac deitate se iuncta loqui. Quocirca quò longum sermonem de carnis suæ manducatione habuisset, de tota tandem persona sua, verba facit, inquit: Et qui manducat me, & ipse viuet propter me. Id quod diligenter adnotabimus, vt genuinam singulorum eius verborum intelligentiam cõsequamur, ne eum, aut de solo spiritu, aut de sola carne sua loqui voluisse arbitremur sed vt de tota ipsius persona, cum omnibus ijs, quæ illi adiacent, verba eius esse sciamus. Hoc ita constituto, videamus, quid huiuscemodi verbis nobis insinuet. Vt igitur, quod verum est ingenuè dicã, nihil aliud nos docere vult: nisi ad quid huiuscemodi carnis suæ manducatio instituta sit, & quemadmodum eam manducado, beata vita recuperari queat. Quæ vt rectè intelligamus: notemus totius mali nostri colluuiem, hoc est, spiritalè animarum nostrarum, simul ac temporalem corporum mortem cum vniuersa miseriarum aliarum lerna, duobus potissimum ex impuris fontibus scaturire. Primò, ex superba illa primi patentis rebellionè, inobediẽtia, ac infidelitate maxima, qua ipse nos à Deo nostro quamlongissimè abalienauit. Deinde, ex praua illa vnione, ac nescio qua carnali societate, quam cum carne ista primo illo peccato corrupta, ac deprauata ab origine contraximus. Sic autem se res habet, vt omnis immortalitas principaliter in solo Deo sit, ita vt nulla prorsus creatura villem in se vnquam immortalitatem

habuerit, nisi à Deo, tamquam omnium bonorum fonte, ei collata fuerit. Via autem, qua hæc à Deo obtineri potest; sancta illa vnio est, ac societas, qua illi firmiter adhæretur. Iam vero sciendum est, quòd corpora nostra Ad peccato tabefacta, & animæ praua illa carnis eius societate polluta, nullo modo apte erant, vt per eas vlla inter Deum, & nos vnio sancta fieret. Vnde filius Dei carnè, nulla prorsus tabe peccati aspersam, sed omnino puram, ac mundam, ex vtero sacratissimæ virginis matris suscipiendo: rationem, ac viam adinuenit: qua hominem diuinitati suæ, in vnitate personæ adunaret. Ita vt nunc inter Christi carnem, ac eius diuinitatem, vnio quadam sit, non mystica tantum, & spiritalis, sed omnino realis, pariter ac spiritalis. Vnde beatissimæ huius vnionis ergò, tanto Christi caro vitæ robore valuit, vt non solum potens sit seipsam perpetuò in vita conseruare, verum etiam solo suo contactu res mortuas viuificare possit. Quemadmodum in Euangelio legim⁹, quòd solo sanctissimæ suæ carnis tactu Christus mortuos ad vitam reuocauerit, leprosos manducare, infirmos curauerit &c. Idque in tanto frequenter numero, vt Euangelistæ tantum ab omnibus concursant quò ipse tangi posset fuisse describant, vt non raro à turba opprimeretur. Cuius rei planam rationem adserunt, quia virtus (inquunt) de illo exibat: quæ sanabat omnes. Quæ sanè virtus tanta erat, vt quicumque vel solam vestimenti eius (quod sanctissimæ carni suæ applicitum fuerat) simbriam contingerent, continuò à quibuscunq; morbis, alioqui etiam incurabilibus detinerentur, sospitanti reciperent. Atqui hoc est, quod de seipso aliàs dicit. Sicut patet habet vitam in semetipso; sic & filio dedit habere vitam in semetipso. Ac paulò superius, omnibus, quibus sibi lubitum fuerit, vitam se conferre posse astruit, dicens: Sicut pater, inquit, suscitauit mortuos, & viuificat: sic & filius, quos vult, viuificat. Quæ omnia ei donata esse, in quantum homo est, intelligenda sunt. Nam ratione tam sublimis inter filium Dei, ac humanæ, quam ipse assumpsit, naturæ contracti foederis, hæc natura tanto priuilegio decorata est, vt huiusmodi vnione nõ modo in seipsa vitam

*Caro humana.*

*Carnis Christi dignitas.*

*Luc. 8. Math. 9. 3*

*Malorum nostrorum fontes.*

*Immortalitas.*

immortalem cōsecuta sit: verumetiam facultatem obtinuerit, vt omnibus, qui cum ipsa veram, ac realem vnionem cōtraxerint, parem omnino immortalitatem, & in corpore, & in animo conferre valeat. Nunc itaque magnum secreti, ac sacramenti mysterium huius intelligite. Verum maiorem in modum metuo, ne illud temerè profanem, ac ne (vt in euangelico est prouerbio) margaritas porcis obijciam? Ceterum nephanda hominum tempestatis nostræ incredulitas (qui nihil, præter ea, quæ ipsi intelligunt, credere volunt) huc me compulit. Quocirca, cum semel loqui cœperim, quicquid de his Christi verbis intelligere valeo, ingenuè dicam. Animaduerte igitur carnem nostram ob suam prauitatem, ac peccati labem, idoneam non fuisse, vt immediate diuinitati vniretur. Quapropter secundus Adam carnem immediatè, ac realiter diuinitati suæ vnitam assumpsit. Cui sanè carni, cum per hoc sacramentum, nostra mortalis caro vnita fuerit: vitæ radicem in nobis ipsis consequimur. Idque idèd, quia cum carni illi copulamur, quæ ipsi diuinitati coniuncta est, nos quoque è vestigio diuinitati copulamur: ac sic tam in animas, quam in corpora nostra duplicem illam vitam attrahimus, quam perdidimus ob realem vnionem, quæ cum carne primi Adæ contraxeramus. Nota igitur quod in omnibus istis quadam sit societas, ac vnio realis. In primis etenim realem cum carne primi Adæ vnionem tenemus, cum ipsa in nobis per generationem multiplicatur. Secundo, secundi Adæ caro, cum filij Dei diuinitate re ipsa vnita est. Hinc tertio loco, necessum fuerit, vt veram, ac realem vnionem nos quoque cum carne secundi Adæ habeamus, vt hac via recuperemus quicquid per societatem cum carne primi Adæ contractam perdidimus. Hoc autem mysterium magnum est. Nam Dei consilium, quo in humani generis reparatione vsus est, huiusmodi fuit, vt per vnum hominem vitam recuperemus, sicuti per vnum hominem mors in mundum ingressa est, vnde & vitam perdidimus. Sed hac de re aliàs Dei beneficio differemus. Attamen, vt Christi verba commodius intelligeremus, hæc obiter vt dicerem, necessarium fuit. Cum i-

gitur Christus ait: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, Et qui manducat me, & ipse viuet propter me: declarare vult, quanta nos urgeat necessitas, vt illum in hoc sacramento suscipiamus. Nam ipse, in quantum homo à Deo patre missus est, vnde & vitam habet in semetipso propter patrem, id est, propterea quod vnum est cum patre: ita & qui, inquit, per carnis meæ esum vnū mecum efficietur, viuet propter me. Ceterum (vt hæc melius intelligas) nota omnem similitudinem ex similibus reb⁹ confici solere. Christus itaque vnionem illam, quam cum patre habet, cum ea confert, quam nos in Eucharistia cum ipso habemus. Ex qua planè docet, quod quemadmodum per huiusmodi vnionem, qua caro sua Deitati coniuncta est, vitam quandam immortalē adeptus est, ita & nos per ipsum, id est, per vnionem, quam cum carne eius diuinitati iam copulata, carnem illius manducando, obtinebimus: vitam quoque immortalē consequi posse. Proinde quemadmodū vnio illa, qua ipse patri coniunctus est, realis est: ita & illa, quam cum ipso facere debemus, vt vitam recuperemus, non spiritualis tantūmodo, sed & realis quoque sit, necesse est. Quisquis istud rectè intellexerit, realis quoque manducationis necessitatem, quam vt verè atque realiter Christo coniungemur, maiores nostri ponendam esse dixerint, intelleturus quoque est. Atqui istud sanè ab ipso statim Ecclesiæ nascentis exordio, ita semper intelletum fuit, adeo vt D. Ireneus, generalem carnis nostræ resurrectionem, contra Valentinianos probaturus, ab hac reali, quæ in Eucharistia inter Christi immortalē ac nostram carnem fit, vnione, argumentum eliciat. Quomodo, inquit, dicit carnem in corruptionem deuenire, & percipere vitam, quæ à corpore Domini, & sanguine alitur? Quid beatus Apostolus? Nonne resurrectionem nostram futuram probas dicit. Si Christus resurrexit, & nos quoque à morte excitatos iri: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, totum scilicet argumenti sui robur in hac reali carnis Christi, cum nostra vnione, quæ per sacramentum fit, collocans. Qui sic: nimirum vt quemadmodum propter illam vnionē, quam

*Ireneus  
contra  
hereses.*

*1. Cor. 15.*

quam cum primi Adæ carne habemus, omnes in ortem incurrimus; ita & per vnionem, quam in augustissimo hoc sacramento, cum secūdi Adæ, qui est Christus, carne contrahimus, vitam recuperemus. Hæc diligenter animaduertam⁹, necesse est, vt Christi hæc, quæ modo tractauimus, verba, rectè intelligamus. Atqui nostræ tempestatis heretici, nunquam ita profundè hæc fidei nostræ mysteria penetrarunt: ideoque cum eiusmodi vnio realis superflua eis, ac planè inutilis esse videatur, Christum de sola spiritali vnione locutum putant. Quasi vero Christus aut in vanum carnem inditus sit humanam, aut pro animarū nostrarum tantummodo salute, & non pro corporum quoque nostrorum reparatione, in mundum venisset. Ceterum maiores nostri, qui hisce reb⁹ egregiè imbuti erant; omnia hæc mysteria exactissimè intelligebant. Vnde optimè noverant, quod quemadmodum non sine graui causa factum est, vt CHRISTI caro realiter diuinitati iungeretur: ita nec Christum absque videnti causa instituisse, vt quisquis salutem consequi velit, realem hanc cum ipso vnionem incat: utpote, quæ non minori de causa, quam altera calitus præscripta sit. Proinde obserua diligenter, quod quemadmodum illa, quam Christi caro cum diuinitate sortita est, vnio, non tantummodo spiritalis, verumetiam realis est: sic & illa, quam cum ipso contrahere debemus, non spiritalis tantum, sed & realis sit, necesse est. Nunc ista sufficiant, vt Christi verba superius posita, & cur ipse augustissimum, atque mirificum istud sacramentum instituerit, ritè intelligamus. Itaque pergamus ad reliqua.

*Quidnam his verbis Christus dicere voluerit: Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt, &c.*

## CAPVT XXXV.

*Collatio corporis Christi & mannae.*

NVN reliquum est, vt cum Christi sermonem explicemus, quo ipse ea, quæ de carne sua manducanda dixerat, tandem concludit, ostendens cibum, quem Iudæis pollicebatur, longè excellentiorem manna, quod eorum pa-

tres in deserto manducauerant. Aliud proinde esse de cibo suo, aliud vero de manna loqui. Nam non sicut, inquit, manducauerunt patres vestri manna & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Ac si diceret. Vos Iudæi Moysis vestri manna, magno in pretio ac sublimi admodum dignitate habetis: at is de quo vobis loquor, cibus, longè (mihi credite) manna illo excellentior est. Nam qui manna illud manducauerunt, omnes mortui sunt: qui vero manducat hunc panem, viuet in æternum. Hoc est propter murmur, ac incredulitatem ij, qui manna manducauerunt in perpetuum mortui sunt: at qui panem hunc manducauerit, mortem tã animæ, quam corporis effugiet. Nota hic inter duplicem cibum, duplicemque eius effectum, geminam esse comparisonem: ex qua Seruator noster colligit, neque eorum manna, neque illius effectū, aut virtutem, cum hoc pane cœlesti, id est, cum corpore suo, eiusque virtute, & efficacia vilo modo conferendum esse. Christi igitur argumentum ab excellentia effectuum vtriusque cibi deducitur. Vnde ex hac Domini sententia geminā probationem in medium adferemus, vt sacramentarijs planum faciamus Christum de reali, & non de spiritali tantūmodo corporis sui mādicatione loqui. Prius erit eiusmodi. Berengariani eius <sup>Berengarij</sup> sententia. <sup>sententia.</sup> vt antiquos patres ante Christi aduentum, eandem escam, atque nos, hoc est, corpus Christi, spiritaliter, sicut & nos manducasse putant. At Christus aperte hic dicit, se non sic de carnis suæ manducatione loqui, quemadmodum Iudæi manducauerunt. Non sicut, inquit, manducauerunt patres vestri manna. Istud (sicut) dissimilitudinem hanc palam indicat. Quæ cum ita sint, nemini dubium est, quin de alio manducandi modo loqui velit. Iam verò duplex tantum manducandi ratio, spiritalis scilicet, ac realis constitui potest. Vnde iuxta illorum sententiam omnino conficitur eum de reali manducatione verba facere. Quod vt commodius intelligas, obserua diligenter, quod ipse ait: Non sicut manducauerunt patres vestri. Ac si dicat: Ego de alia manducandi ratione, de alio cibi genere, de alia comparisonis qualitate loquor. Nam sacramenti hu-

ius cibus longè manna excellentior est, longè maioris virtutis, atque efficaciam est, longèque alio modo sumendus est. Ex qua sanè Christi sententia necessarium planè argumētum elici potest, quòd antiqui illi patres, neque eundem, quem nos cibum, neque eodem modo, neque tanto cum fructu, ac efficacia manducauerint. Atqui hæc ratio admodum efficax est, vtpote, quæ pro maioribus nostris contra Berengarianos necessario concludat. Cæterum posterius argumentum longè validius longèque præstantius erit, quando quidem & illud vniuersè colligat. Dialecticus sit oportet quisquis illud rectè intelligere voluerit. Est autem argumentum eiusmodi. Christus nunquam sophista fuit, neque verò vquam sophistica collectione usus est. At collectio illa rectè sophistica nuncupari potest, cum aliqua vox in antecedente in alia significatione, atque in consequente accipitur. Ex quo manifestum est, ipsum omnes totius probationis suæ voces, tam in antecedente, quam in consequente in vna eademque significatione fumere. Iam verò cum dicit Iudæos manna comedisse, de reali manducatione id intelligit. Vnde ex consequenti apparet, quòd cum de corporis sui manducatione loquitur, vt de reali quoque manducatione intelligat. Alioqui sophistica probatione (quam æquiuocationis fallaciam dialectici vocant) vteretur. Quod absit, vt dicere audeamus. Ad hæc obserua diligenter, quòd cum ex veteris testamenti figuris argumentum aliquod desumitur, semper ad rem aliquam multo præstantiorem, quam figura ipsa fuerit, progrediendum sit. Verum, si in Eucharistia panis tantummodo esset, plus dignitatis in manna (quod tamen typus tantummodo, ac figura erat) quam in nostro sacramento (quod ipsissima vtique veritas est) extitisset. Longè igitur pane materiali, aut Iudæorum manna, cibus iste, quem Christus promittit, præstantior est. Accuratè (quæso) CHRISTI verba, ac eius loquendi rationem, qua usus est, expendatur, ac tum quidem haud difficulter animaduertere fuerit, quem admodum ipse à re minori, ac infima, pedetentim ad maiorem, atque excellentiorem progrediatur: ita vt quemlibet, qui eius verba propius inspexerit, dicere

*Christus Sophisticum quæ locutus.*

prohibeat, Iudæos in typis ac figuris suis, aut eandem aut parem corporis sui communionem, atque nos in sacramento nostro, habuisse. Quod si in sacramento nostro, non nisi corporis sui signum, ac spirituale tantummodo communionem haberemus: nihil profectò nos amplius, quam patres illi haberemus. Cæterum, Caluinus 4. institut. suarum libr. cap. 18. hac de re differens, discrimen inter id quod patres accipiebant, & quod nobis donatum est, esse dicit, sicut inter magis & minus. Verum quis non videat, quam inanis, atque friuola sit hæc euasio, maximè cum ipse nos corporis Christi substantiam fumere dicat? Numquid vna substantia plus quam alia sumi potest? Minime profectò. Nam substantia (iuxta Aristotelem) magis, aut minus non suscipit. Certum est quidem, aliquam substantiam partem, cum ea diuisibilis est, recipi posse: sed recipere plus, aut minus, si integra sumatur, omnino impossibile est. Nam si propriè loqui velimus, comparatio non inter substantias ipsas, sed inter accidentia tantummodo fieri potest. Vnde inter homines, vnus non est alio magis homo. Sic & corporis Christi substantia, cum omnino indiuisibilis sit, quisquis illam realiter recipit, aut totam aut nihil recipit. Et quomodo, quæso, substantiam corporis Christi quæ nōdum erat, realiter recepisse antiqui potuerunt patres? Quam si non receperunt, profectò non eandem nobiscum receperunt escam. Rursus, cum aduerbum (sicut) non æqualitatem significet, sed similitudinem, omnino contra Dei verbum distinctionem ponunt, secundum magis & minus, cum Christus eam secundum alium, & alium modum ponat. Antiqui spirituale tantum manducandi carnem Christi modum, in suo habebant manna. Nos igitur in nostro sacramento reale habemus oportet. Cum igitur Caluinus inter nostram & eam substantiam Dominici corporis communionem, quam patres habuerint, discrimen ponens, secundum magis, & minus id fieri dicit, ostendit se intelligere, quod nihil realiter, præter nuda corporis, aut substantiam illius accidentia acceperint: vtpote, iuxta quæ dumtaxat, secundum magis & minus, comparatio fieri potest. Quocirca futilis planè hæc euasio

*Aristot. in Prædicam.*

si fuerit, si nullam omnino neque vos, neque veteres illos patres, corporis Christi substantiam, sed nuda solummodo accidentia recipere dicat. Liqueat igitur ex iam dictis Christi verbis, nos præter spirituale corporis CHRISTI communionem ac præsentiam, in hoc sacramento realem quoque habere. Liqueat etiam quanto diligentius, atque attentius maiores nostri, quam rebelles eorum filij, Dominica verba & legerint, & examinauerint. Ita enim verbo DEI, hinc maiorum nostrorum fidem conuenire, inde istorum opinionem atque perfidiam refragari, cum coque pugnaire perspicio, vt nihil magis possit esse contrarium.

*Quod frequens illa necessitatis, ac utilitatis Christi carnem manducandi, à Christo facta repetitio, magnum sit ad maiorum nostrorum fidem comprobendam argumentum.*

## CAPVT XXXVI.

DECLARATIS iam abundè factis Christi verbis, quibus cœlestem hunc carnis suæ cibum, hominibus pollicitus, illius necessitatem pariter, ac utilitatem exposuit, animaduertendum est, nos ad maiorum nostrorum fidem comprobendam, non parui adhuc ponderis argumentum, ex frequenti illa de carne sua manducanda, repetitione, toties ab eo usurpata, elicere posse. Quisquis enim pro certo sibi persuasum habet, Christum, nullum vnquam aut ociosum aut inane verbum protulisse: pro certo quoque sibi persuasum habere debet, ipsum nunquam toties eiusmodi de carne, & sanguine suo verba prolaturum fuisse, nisi de ijs locutum se esse planè voluisset intelligi. Dictorum itaque eius verborum summam facientes, paululum expendamus, quotiens eundem sermonem repetierit. Primo namque de tota persona sua locutus est; cum diceret: Ego sum panis viuus. Secundò, quam clarissimè potuit de ea sui parte, hoc est, de carne sua loqui cœpit, de qua maiorem credendi difficultatem homines facturos esse noverat. (ur id? Vt per hoc intelligeretur, se de ea loqui, cum paulo ante de tota

*Christus corpus suum sanguine sui se mentione fecit.*

persona sua verba faceret. Cum igitur de seipso plurimè in genere differuisset, dicendi finem non fecit, donec sigillatim de carne sua loqueretur, tamquam probè intelligens, omnem quæ hominibus occurrere potuisset credendi difficultatem, ex ea parte proditurum. Optimè enim nouerat (nam & propheta erat) nullam homines credendi difficultatem in eo esse facturos, quod ipse illis spiritum suum, gratiam suam, corporis effectum, ac spirituale præsentiam suam exhibiturum esse polliceretur: Sed omnem nodum, omnemque credendi scrupulum, in eo consistere sciebat, quod quam difficillimum eis persuadere foret, se carnem suam in cibum verè, ac realiter ipsis dare velle. Ac propterea de ea magis loqui voluit, de hac instantius egit, magisque inculcauit: nulla interim peculiari spiritus sui facta mentione, de quo homines cum locutum fuisset, cum de persona sua, loqueretur facile credituros nouerat. Nam si cum de carne sua apertè verba faceret, quidam eum de spiritu suo loqui putauerunt: quanto magis audito hoc pronomine (ego) idem facerent? Nunc itaque audiamus, quomodo de carne sua perpetuum sermonem texerit. Cum igitur panem illum viuum, quem eis pollebatur, carnem suam esse diceret, ac Iudæos id minimè credere, sed acriter potius verba sua oppugnare animaduertere, terribilem eis etiam cum iuramento comminationem adiecit. Amen amen, inquit, dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Neque verò graui hac comminatione sermonem penitus cohibuit: sed rursus de eadem, cum cœlesti etiam promissione loquitur. Qui manducat, inquit, meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ad hæc verò sciens hominum incredulitatem ad eò magnam fore, vt verba sua typicè potius, aut figuratè acciperent & exponerent: quam vt simpliciter eis fidem adhiberent: vt omnem eis ita figuratè, ac mysticè intelligendi, interpretandique occasionem adimeret, iterum clarioribus, quam antea, verbis, de carne sua, & non de spiritu, aut eius effectu, verba facit. Caro. n. mea, ait, verè

est cibus, & sanguis meus verè est potus: & cum ita clarè de carne sua locutus esset, non idèo tamen hic dicendi finem fecit: sed ostendens quanto fructu illa comedatur, rursus adiecit. Qui manducatur, inquit, carnem meam, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.

Quibus sanè verbis perspicuè ostendit & docet, per realem carnis suæ manducationem, realem quoque inter homines, & ipsum coniunctionem vnionemque fieri, adeo vt quemadmodum pater in eo est realiter, & nos quoque in eo realiter sumus. Quibus dictis, rursus de eadem carne sua, idque sub totius personæ suæ nomine, quæ ex spiritu tam diuino, quam humano, ac corpore concreta est: ita loquitur, Sicut misit me viuens pater, ait, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me: viuere propter me.

Quibus profectò verbis, manifestè ostendit, realem hanc mansiōem qua ipse apud nos manet, nequaquam inanem, aut vanam fore, sed quòd quemadmodum mansio illa, qua humanitati suæ pater coniunctus est, gloriosæ resurrectionis, ac perpetuæ immortalitatis suæ causa est: ita & mansiōem illam, quam ipse in nobis faciet, ac corporalem illam vnionem, quæ inter nostram, & ipsius viuam, ac viuificantem carnem erit, futuram corporum nostrorum resurrectionem, ac beatam & in anima & in corpore immortalitatem operaturam. Ceterum, posteaquam realem huiusmodi vnionem non paruè utilitatis hominibus futuram dixisset, vidensque Iudæos suo adhuc manna insistere, ita vt sibi persuadere non possent, eum præstantiorem aliquid ipsorum manna cibum exhibere posse: denuo veluti pro orationis suæ exitu, sub nomine panis viui, quem Moisaico manna præfert, ita de carne sua loquitur: Non sicut, inquit, patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem (subintellige viuum) viuere in æternum. Videns igitur nunc, quotiens Christus de carne sua, nulla prorsus aut effectus eius, aut spiritus sui mentione facta loquatur? Cur id rogo, nisi vt experiretur, vtrum humani cordis superbiam flectere tandem valeret, vt ad credendum tam multiplici verbo Dei sese submitteret? Ita est planè: hoc etenim facit, vt

videat, vtrum humana incredulitas, diuinæ tandem cedat auctoritati. Quocirca non leuiter hæc repetitionis circumstantia prætereunda est. Siquidem verbi alicuius repetitio, triplici ratione (vt docent Rethores) fieri solet. Primo, cū res, de qua agimus, magni ponderis, atque excellentiæ est. Secundo, cum difficilis ea est creditu, ita vt vehementi quadam energia vtendum sit. Tertio, cum auditores, aut auersi, aut ad ea, quæ dicimus, intelligenda admodum duri, aut hebetes sunt. Vnde vbi nulla harum ratio reperiretur: inanis ac superflua planè repetitio foret. Quis autem nesciat Saluatorem nostrum, nullum vnquam, aut inane, aut superfluum protulisse verbum? Ex quo satis liquet, rem eam, de qua ipse loquebatur, magni ponderis, atque dignitatis fuisse. Liquet quoque illam difficilem fuisse creditu, ac intellectu adeo grauem, vt si semel dumtaxat illam explicuisset, nemo in animum induxisset, vt illam crederet. Ad hæc ipsius auditores adeo duræ obstinatæque ceruicis erant, vt verbo Dei semper resisterent, cū eis aliquid diceretur, quod ingenij eorum capacitatem excederet. Ideoque toties repetitione vsus, ita clarè de carne sua locutus est. In hoc nempe mysterio difficultatem maximam consistere nouerat, quod fides, quæ de sacramento hoc habere debent homines: admodum difficile persuaderi posset. Quocirca tātum abest, vt huiusmodi repetitio inutilis, aut superflua sit, vt nihil magis necessarium esse videatur.

*Quod nullus excusationis locus, hominibus relictus sit, si Christi carnem in hoc sacramento esse credere nolint.*

## CAPVT XXXVII.

**N**VNC igitur, cum ita clarè, & aperte, ac toties Christus de carne, & sanguine suo locutus sit, nullum excusationis locum hominibus reliquit, si ipsi de ijs locutum fuisse credere nolint: Neque enim vllum vsq; adeo hebes est ingenium, quod non facile credere possit, neque cor vsque adeo durum, quod non facile emolliari, tanta eiusdem rei repetitione possit, vt credat ipsi de carne, ac sanguine suo

locu-

locutum esse. Proinde ei credat quicumque sapit, qui vero nolunt credere, ipsi viderint. Illud extra controuersiam est, non parui momenti rem esse: neque verò leue, sed maximum, execrabile, ac inexcusabile prorsus esse peccatum, Deo, qui ita clarè, ac frequenter eadem de re loquitur, fidem adhibere nolle. Si non venissem, inquit, & eis non locutus fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Hoc itaque pro compertò, dilectissimi, habetis velim, non vanum esse, quod filius Dei cœlitus in hanc lachrymarum vallem sese demiserit, vt hæc nobis denunciaret. Vnde & tanto viro, imò Dei filio è tam longinqua, felicique patria huc aduenienti, cum de cœlestibus rebus verba facit, æquissimum profectò est, vt omnimoda fides adhibeatur. Nam quandoquidem ipse cœlitus venerit, ac ita frequenter nobis locutus sit, confidenter ac intrepidè verbis eius fidem adhibere possumus, quātumuis ea interim, quæ ipse nobis proponit, factu esse difficilia videantur. Hoc proinde meo, ac patrum nostrorum nomine fidetè, ac liberè dicam: nos videlicet nunquam credituros fuisse, Christum, carnem suam hominibus manducandam donare voluisse, nisi ipsemet in mundum venisset, ac se id facturum esse, suo ore dixisset. Ad hæc dico, quod si nos, ac patres nostri erraremus, (quandoquidem ipse Christus in mundum veniens, ita frequenter de carne sua manducanda nobis locutus est) si, inquam, erraremus, credendo ipsum de ea locutum fuisse: nos (propter piam, quam habemus, vt DEI nostri verbis fidem adhibeamus, voluntatem) erroris ac peccati nostri excusationem habituros. Imo (quod magis est) Deo intrepidè dicerem. Domine, si error est, quod credimus, tu nos decepisti; nam tot, tamque claris verbis totiensque asseruisti, te daturum nobis carnem tuam ad manducandum, quod non potuimus, non credere tibi, tibi, inquam, Domino nostro, Deo nostro, redemptori nostro, fratri, amicoque, nostri amatissimo. Proinde certus sum, nullum omnino esse periculum, credere ipsum de carne sua locutum fuisse, sicuti è diuerso, maximum periculum est, illud cre-

dere nolle. Neque enim vsque adeo subtiles & acuti sumus, vt credere debeamus, cum Christus de carne sua loqueretur, ipsum alia de re voluisse loqui. Neque rursus vsque adeo potentes aut sapientes nos esse profitemur, vt eo de vna eaque eadem denique re toties differente, ei omnino non credere, nobis licere arbitremur. Nullum igitur nobis (te Lib. 8. de Trinit. ste Hilario) de carnis suæ, aut sanguinis veritate, ambigendi locum reliquit: quādoquidem eorum veritatem tam claris, ac disertis verbis affirmauerit. Quocirca nemini dubium esse debet, eos graues poenas, atque ingentia tormenta, in igne illo inextinguibili duros, qui huiusmodi verbis vsque adeo claris, & ab ipso Deo toties repetitis, iteratissime fidem adhibere noluerint. Qui enim incredulus est filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum: vti scriptura testatur.

*Dialogus inter Christum, & Moysen, de augustissimi sacramenti huius institutione, quo fessius iam lectoris animus, paululum recreari possit.*

## CAPVT XXXVIII.

**C**V M incomprehensibile sacramenti huius mysterium attentius meditarer, ac sapius animo reuoluerem, in mentem venit, quid duo illi insignes Prophetæ, Moyses nimirum, & Elias, de sacramenti huius institutione, CHRILISTO, aut dicere, aut suadere potuerint. Hoc interim posito, quod ipse illis reuelasset (quando videlicet pariter in monte Thabor, de excessu illo, quem in Hierusalem facturum erat, colloquerentur) se sacramentum istud pro hominum salute instituere decreuisse, vt per hoc, vehementem amoris excessum, quem erga illos gerebat, patefaceret. Vnde cogitatio mihi incidit, vt inter CHRILISTVM, ac magnum illum mysteriorum salutis nostræ Secretarium, Moysen, de sacramenti huius institutione, Dialogum huiusmodi, qui sequitur conscriberem.

G 3 CHRL

*Christo credendum potius quam Caluino.*

## CHRISTVS PRIOR

ita exorditur.

**O** Moyfes, mi dilecte, qui mysteriorū incarnationis & passionis meæ nunciū extitisti, possēsne tibi celare rem quandam maximam, quam inter alias, pro hominum salute facturus sum.

MOYSES.

**O** Bsecro Domine, vt mihi illam aperias, tanto enim hominum amore inflammatus sum, quemadmodum nosti, vt nihil libentius audire possim, quam id, quod pro illorum salute facturus es.

CHRISTVS.

**S** cis profectō, Moyfes, ac rectē intelligis, quemadmodum manducatio illa, tum spiritualis, tum realis, cum primi parentes vestri pomum vetitum, sub quo mors latebat, comederent: totius humani generis perditio: ac interitus fuerit. Nam cum ita pater meus illis cōminaretur: De ligno scientiæ boni & mali, ne comedatis: in quocūque enim die comederitis ex eo, morte moriemini: serpenti tamen potius, quam patri meo crediderunt, & obedierunt. Quæ causa fuit, vt duplicem, hoc est, & animæ, & corporis mortem incurrerint. Nunc igitur in mali, ac miseriæ huius remedium, fructum alium ipsis manducandum porrigere statui, sub quo vita ipsa inuisibiliter planè occultabitur: ita vt nullo modo eam videre queant, quemadmodum nec mortem sub pomi illius vetiti specie cernere poterant.

MOYSES.

**A** H Domine mi, nunquam profectō sub fructu illo vitam latere credent, nisi viderint. Ea siquidem illorum est incredulitas, vt nihil, præter quā quod oculis conspexerint, credere velint. Nosti enim, quanta per me miracula feceris, antequam populus ille dure cervicis, mihi vnquam fidem adhibere voluerit.

CHRISTVS.

**E** Go ipse meis verbis eos hac de re cōmonestaciam, quemadmodum pater meus primos eorum parentes, mortem sub illo vetito fructu latere, iam olim admonuerat.

MOYSES.

**C** V M eorum incredulitatem Domine confidero, vehementer metuo, ne tibi credere nolint, quemadmodum nec olim in re simili, primi eorum parentes, patri tuo credere omnino voluerunt.

CHRISTVS.

**N** On ita erit. Nam vbi diligenter animaduernerint, vnde sim, & quāta pro ipsis facturus venerim, cum mihi (si sapiunt) honorem deferent, vt præsertim mihi credant, quicquid tandem eis dixerō.

MOYSES.

**V** Trum hoc facturi sint equidem nescio, sed hoc vnum scio, eos nempe admodum ingratos, ac sceleratos esse. Vnde facile mihi persuadeo, vix credituros esse, nisi oculis viderint, quæ eis dicturus es: maximè verò si id sit, quod te eis dare, velle arbitror.

CHRISTVS.

**E** Cquidnam illud esse putas, quod ipsis dare velim?

MOYSES.

**C** V M audiam te vitam illis polliceri, cumq; tu ipse vita sis, & via, & veritas, non aliud, quam te ipsum illis te velle dare existimo.

CHRISTVS.

**R** Ecetē iudicasti. Quid enim aliud, qd & in seipso vitam habeat, & eam alijs conferre possit, quam me ipsum illis dare possim?

MOYSES.

**P** Robè. Sed num tuam ipsius carnē, cum Spiritu: ac Diuinitate tua illis exhibere cupis?

CHRISTVS.

**Q** V I totum dicit, nihil excipit. Qui seipsum promittit, non vnam tantum sui partem, sed ex integro pollicetur. Nam vox (ego) non vnam tantum hominis partem, sed totum planè hominem, cum omnibus ijs, quæ in eo sunt, denotat. Quomodo? Non credis tu, carnem meam absque vlla aut mei læsione, aut ipsius detrimento, vel consumptione illis exhibere posse?

MOY.

MOYSES.

**C** Redo equidem, præsertim, cum tibi nihil omnino impossibile esse satis compertum habeam. Verum, vbi humani pectoris incredulitatem, ac malitiam confidero, vehementer metuo, ne illi vnquam id credere nolint, sed ne suas potius argutias, per (quomodo) aut (quare) in medium proferant, tum vt illud te præstare non posse probent, tum etiam, vt quò minus credant, se excusare valeant.

CHRISTVS.

**E** Go illis vsque ad clarè, ac frequenter id inculcauero, vt vel illi saltem, qui honestam aliquam de me opinionem conceperint, quicquid mihi honoris, ac reuerentiæ detulerint, non possint non credere.

MOYSES.

**I** LLI profectō rari admodum erunt, quocirca tibi omnino, Domine, persuasum velim, ne alijs vnquam hominibus eiuscemodi de rebus verba facias. Nā ita futurum prauideo, vt eorum quidā hoc pro ludibrio habituri sint. Alij autem hæc ita esse non credentes, nec tua tamen verba inficiari audentes, ea iuxta cordis sui incredulitatem explicabunt: tamen interim, & dilucide, & clarè, ac frequenter satis de tua ipsius carne locutus videaris. Alij denique erunt, qui tantum ex verbis tuis scandalum accipiant, vt te penitus abiurent.

CHRISTVS.

**S** Cio equidem, Moyfes, ita futurum, vt dicis. Cæterum ita stat iustissimi patris mei sententia, in abditissimo consilio suo immobiliter pronunciata, vt quemadmodum illorum ruina, atque ea, quam in patrem meum commiserūt, offensa, ex maxima ipsorum incredulitate, orta est, qua patris mei verbis credere nolentes, diaboli persuasionibus magis acquieuerunt, sic vt vanissima illius mendacia, verissime creatoris sui auctoritati prætulerint: ita, in quā, à patre meo statutum est, vt aliud rursus de fructu alio manducando, præceptum ipsis promulgetur, ac sub eo fructu præsentissimum contra mortem remedium, inuisibili modo reconditum esse denuncietur: quodque remedium illud tam sublimis sit intelligentiæ, vt nullo pacto il-

lud comprehendere valeant. Idque hoc ita planè faciendum consilio statuit, vt omnibus palam fiat, vtrum superbi isti Adæ filij, tantoperè coram Deo suo, quatenus primi parentis sui offensa satisfaciant, se humiliare velint, vt simplici mente verbis eius fidem adhibeant, quibus eos commonefaciet, tam incomprehensibile mysterium singulis diebus pro ipsorum salute celebrari, cuiusmodi in hoc sacramento celebrabitur, sub quo carnem meam ipsis manducandam porrigam. Nonne decretum istud rationi planè consentaneum tibi videtur, vt eo videlicet ordine, quo culpa commissa est, pro ea satisfiat, & vt quorundam incredulitatem, ac perfidiam, aliorum credulitas, ac firma fides refarciat?

MOYSES.

**A** Equissima profectō est hæc sententia. In quo enim plus Deo, quam hominibus tribuerint, si ei, in illis tantummodo fidem adhibere vellent, quæ aut oculis ipsis conspiciunt, aut humano intellectu capere possunt?

CHRISTVS.

**I** N nullo sanè diuinam auctoritatem humanæ anteponerēt. Propterea hoc equidem sacramento periculum facere constitui, vtrum eo in honore maiestatem meam habeant, in quo eam habere debent. An videlicet, vel tantum saltem fidei mihi adhibere parati sint, quantum iam olim parentes eorum diabolo adhibuerunt, eiusque ministro bestia illi callidissima. Deinde verò, quinam mei fuerint, & qui non, hoc sacramento omnibus palam fiet. Nam qui mei fuerint, eam verbis meis reuerentiam deferent, vt aduersus ea, nullo modo disputare, litigare, aut Quomodoizare audeant, sed sola auctoritate mea contenti, simpliciter verbis meis acquiescent; quantumlibet interim creditu difficilia sint, quæ ego eis dixerō. Nam qui non hominem tantummodo, sed & Deum quoque me esse crediderint, ij res vel etiam infinitas, quæ humani eorum ingenij facultatem excedant, me quoque facere posse credent. Cæterum, qui simpliciter verbis meis non acquieuerint, ij mei non erunt. Et quandoquidem nihil me supra eorum intellectū facere posse existimabunt, nec Deum me esse confitebuntur,

G 4

ita



ita nullo certè pacto, salutem assequi poterunt.

## MOYSES.

**R**ationi planè consentaneum est, vt Deo plus, quam diabolo, aut hominibus quibusuis, credatur. Adde, quod nemo tam peruersus, nequam, mendax, effrons, aut impostor est, cui non facilè fides adhibeatur: si aut res de quibus loquitur, oculis demonstrauerit, aut efficaes, & robustas rationes in mediū protulerit, ad probandum id quod ipse asserit. Igitur, si Deo, absque experientia, aut ratione non credatur, nescio equidem quanto maiorem de eo, quam de impostore, aut mendace quolibet, homines opinionè habere dicèdi sint, neque intelligo, quomodo per huiuscemodi incredulitatem, ipsius vniquam fauorè promereri queant.

## CHRISTVS.

**I**TA planè est, vt dicis. Nam si homines credere nolint, quæ dico, nisi ea intelligant, quam putas illis gratiam habiturus sum? Quippe & gentiles, & Iudæi tantumdem facerēt. Istorum siquidem nemo non libenter mihi crediderit, si dixerò falsum me dicere, cum carnem meam verè cibum esse affirmauerò. Nemo quoque paganorum fuerit, qui non facilè mihi credat, si ei dixerò, me efficere non posse, vt corpus meum pariter & in cælo, & in terra sit, aut aliquid eiuscemodi aliud, quod philosophiæ, ac naturæ consentaneum fuerit. Vnde nullam penitus huiuscemodi hominibus gratiam debeo, quandoquidem in nullo prorsus nisi in ijs tantummodo, quæ ipsorum sensibus cõsona sunt, mihi credere volunt.

## MOYSES.

**V**erissima sunt, Domine quæ dicis: ac iustissimè hac ratione cum ingratis hominibus procedis. Verum metuo, ne à te arrogantia merito redarguar, qui tanta libertate, cum Domino meo disserere præsumpserim. Quocirca vbi vnam adhuc, aut alteram rationem, cur augustissimum hoc sacramentum instituire volueris, intellexero, loquendi, percontandi quæ finem faciam.

## CHRISTVS.

**N**OSTI, dilectè Moyses, quantum omnibus in rebus, decoris, ac orna-

menti humanitas mea, ex vnione illa, quæ cū deitate habet, acceperit. Quapropter magnum quoque hominibus, in omni gratia, & virtute ornamentum inde accedere intelligas oportet, quod realem cum deitate mea vnionem habere possint, quam sanè vnionem, me hoc in sacramento deuotè suscipiendo, ipsi consequentur. Deinde vero in maximam id hominibus vtilitatem cedit, cum vt verbis meis honorem deferant, rebus aded incredilibus fidem adhibuerint. Id enim vsque aded mihi gratum erit, vt pro maximo ipsorum merito, hoc illis deputaturus sim. Quam grata iam olim, magni illius patriarchæ Abrahamæ fides, mihi putas fuerit, qui aded simplex, & verbo meo obediens fuit, vt postea quam in filio suo Isaac, semè suum multiplicandum illi promiseram, nullam vt illum occideret, mihi quæ sacrificaret, aut difficultatem obiecit, aut morā nexuit. Sed subito, cum necdum etiam promissionis illius, in filio suo Isaac effectum percepisset, simpliciter, absque disputatione vlla, absque villo, ad mysticum aut spirituale sacrificium recursum, Deo suo obtemperauit. Sic ergo patri meo visum est, vt Christiani, qui fidei Abrahamæ veri imitatores, eiusque filij esse debent, mihi hoc de sacramento loquenti, simplici corde credant, vt simplici ea fide, Deo gratiores fiant. Cum enim simplex quispiam Christianus misæ sacrificio interfuerit, ac ibi sacramentum istud, quod instituire decreui, conspiciens, firma fide, ac tota cordis deuotione dixerit. Credo, & confiteor Deum meum hic esse præsentem, quemadmodum ipse verbis suis euangelicis, mihi contestatus est. Cùm hoc, inquam, dixerit, quam grata, putas, huiuscemodi Christiani hominis fides, Deo patri meo erit? Aded certè grata erit, vt nullum toto eo die, quod magis meritorium sit, opus facere possit. In magnam proinde hoc Christianorum vtilitatem cedit, cum hoc sacramento eis occasio præbeatur, vt & ita fidem exerceant, & multum apud Deum promereantur. Hoc in super Moyses tibi assero, me huiuscemodi fidè, tanta miraculorum numerositate hominibus probaturum, vt nemo vsque aded incredulus sit, quin illam cogatur,

cogatur, nisi qui etiam miracula in totū reijciat. Quod si quisquam vsque aded incredulus reperiatur, vt nec miraculis, nec verbis meis acquiescere velit, ipse viderit; Deus enim homini nihil debet.

## MOYSES.

**I**ta est Domine. Propterea satis equidè intelligo, eos qui tibi toties de hoc sacramento loquenti, credere noluerint, diaboli consilio ac fraudibus esse deceptos. Sed numquid propter huiuscemodi perfidos homines, eos, qui toto corde salutem desiderant consequi, hoc salutis præsidio frustrari cupis?

## CHRISTVS.

**M**inimè verò. Omnes enim ad salutem peruenire volo, ijs dumtaxat exceptis, qui nec patri meo, nec mihi, fidem adhibere volunt.

## MOYSES.

**D**iuini igitur consilij susceptique operis tui cursum, foeliciter tibi peragendum relinquo. Nam, vt video, si ea quæ pollicitus es, suppeditando, ita clare, & apertè locutus fueris, quemadmodum cum pollicebaris locuturus es, nemo incredulitatis, aut perfidia suæ excusationem vllam habere poterit. Quæ cum ita sint, benedictionem tuam Domine mi, supplex expeto, vt in eum, quæ mihi pater tuus constituit, locum, tuo iam colloquio abudè satis recreatus, me conferam.

## CHRISTVS.

**P**er me quidem licet. Benedictio proinde patris mei super te sit, & ad eum, vnde egressus es locum, cum pace reuertaris.

His dictis, transfigurationi finis est impositus, vbi & finem iste capiet dialogus. Cæterum, ex eo satis liquet, quam magnis, ac etiam vrgentibus causis, maiores nostri induciti fuerint, vt CHRISTI verbis simplici corde crederent, & quanto etiam periculo ij se exponant, qui nullo modo induci possunt, vt credant. Siquidem non solummodo cum sacramentum istud promitteret, verum etiam cum illud institueret, ac hominibus exhiberet, ita dilucidè & apertè locutus est, vt nemo planè excusationem vllam prætexere, nec dicere valeat, ipsū alia de re, quam de vero corpore suo lo-

cutum esse. Sicuti latius postea declarabimus, vbi antiquorum patrum testimonijs ostendemus, verba eius promissoria planè accipienda esse, quemadmodum superius ea intelleximus, ac explicuimus.

*Prima actionis peroratio.*

**Q**uandoquidem itaque ex tot purorum, clarorum, & expressorum verborum Dei testimonijs, simpliciter in suo literali sensu acceptis & intellectis, veram Christi carnem promissam nobis ab eo in verum vitæ cibum, tam luculenter probauimus: Vos rogo iudices, atque obtestor, pro patrum meorum vestrarumque parte, vel nunc saltem pronuncietis. Seruauimus quas aduersarius præscripserat disputandi leges, nihil nisi purum, expressum, & clarum Dei verbum, in suo literali sensu sumptum, in medium adduximus. Aduersarius autem nullum clarum aut expressum Dei verbum, quod oppositum & contra doceat, imò contradictoria tantum verbis DEI pro sua assert pro pugnanda causa, quæ astutè nimis, ne dicam impudenter, pura & expressa Dei verba esse contendit, & mentitur. Dicat mihi aduersarius. Estne purum Dei verbum, Hoc non est, sed significat corpus meum? Vel Caro mea non est verè, sed figuratè & spiritualiter cibus? Sanguis significatiuè tantum est potus? Christusne vniquam sic locutus est? Exhibe Marce tabellas. Dic, vbi, quando, quibus in locis, sic vniquam locutus Deus est. Estne purum, quod impuris tuis additionibus sic permixtum, imò corruptum & infectum est? Estne expressum Dei verbum, quod numquam suo Deum ore expressisse constat, certumque est? Ista. Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus: & ista, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: pro puris & expressis DEI verbis agnosco. Ista autem. Hoc non est, sed significat corpus meum. Hic non est, sed significat sanguinem meum, Caro mea figuratè, non verè cibus est, Sanguis meus figuratè, non verè potus est, non pro Dei, sed hominis (diaboli potius dixisse debueram) verbis agnosco. Hic Phanaticorum hominum, cum Dei verbis mixta, & addita verba video & palam manifesteque

steque cerno. Hic verba, quæ numquam DEVS expressit, aut dixit: intueor. Quæ fuerit ergo pernicacia, hæc pro veris, puris, claris, expressis Dei verbis hominibus obtrudere velle? Quam debile, quæso, fundamentum, falso sic vocata aduersariorum religio habet? Nullum enim purum Dei verbum, aut expressum, nullum verbi Dei literalem habent sensum. Duo tantum aut tria verba (quæ DEI verbis sua deturbatis sede & foras proiectis, eorum collocaunt loco) pro suæ fundamento religionis, non verbum Domini, de quo tam mirificè se iactant habent. Ista verba, signum, figura, effectus corporis, significat, & si quod aliud habent, quæ Berengarij effinxit incredulitas, hominis verba sunt, & incunctantissimi hominis. Quæ ergo fuerit impietas, hæc nos verbo Dei reiecto pro vero DEI verbo recipere cogere? Quæ blasphemia hominum inuentiones, & verba, pura Dei verba esse dicere? Quæ abominatio desolationis, sic se velle supra Deum extollere, vt sua pro Dei verbis adorata, culta, credita verba, quis velit, & illis reiectis ad hæc recipienda cogere pusillos, qui Christo simpliciter credant? Dispeream, si talem impietatem vnquam viderim, aut maiorem supra omne quod Deus est, extollentiam. Vos ergo videritis, aequi lectores, & eorum impietatem, & patrum vestrorum pietatem, sic Dei verbis simpliciter constanterque adherentem. Vos, inquam, videritis quam firmum & solidum verbi Dei puri puti, nostrorum religio patrum fundamentum habeat, quam debile vero noua ista, peruersaque perfidia? Cur ergo iudicium differtis? Cur non pro patrum parte, vel nunc saltem iudicium fertis? Quid amplius expectare ex me possitis, vnde veritas clarius innotescat, illucescat? An non omnes seruauimus litis conditiones, & quicquid vel ipse ex me exigebat aduersarius, suppeditauimus? Nonne igitur videtis, vt causa aduersarius cadat? Hanc vici litem, coronam adiudicate, sententiam ferte, pro patrum pronunciate fide. Sed dicetis forsan. Ipsi dicunt verba ista Christi spiritualiter intelligenda esse, & per figuram: fateor quidem quod istud illi dicant. Sed inter nos conuenit ea quæ sunt fidei ex mystico seu spirituali non

posse stabiliri sensu, aut conuinci contraria. Iam conuenerat ex solo verbi DEI literali disputare sensu. Iam ergo fatentur literalem prædictorum verborum sensum, pro patrum nostrorum nostraque parte stare, cum relicto eorum literalis sensu, ad spirituales mysticumque recurrunt. Iam fatentur se non nisi figuratum, & mysticum verbi DEI sensum, pro sua parte habere. Quod quæ debile, inconstans & varium sit religionis alicuius fundamentum: fatis iam superque probatum est. Certaminis ergo nostri o iudices leges seruate, & victoriam nobis adiudicate. Vt autem subtilius, & clarius aduersariorum perspiciatis imposturas, fraudes, astus, pernicitiam, mecum, quæso, considerate penitus, quid pro suæ religionis, quam vocant, fundamento habeant. Præsertim fatentur se non habere purum DEI verbum, quod probare pronum facileque fuerit, ex puri expressique verbi Dei definitionibus, fatentur nunc non habere se nisi figuratum sensum verborum Dei, quæ supra pro nobis attulimus. Quid ergo relictum illis est, pro tantæ molis religionis suæ nouæ, sustinendo edificio? Nihil planè, nisi ista eorum verba. Nos dicimus, inquit, quod ista verba: Hoc est corpus meum: & ista: Caro mea verè est cibus, intelligenda sunt figuratè, & mysticè, non literaliter. Qui, quæso, estis vos, qui talia dicitis? Vtrumne homines estis, an bestia? Quid sibi vult istud: Nos dicimus? Hoc ego exponam. Hoc ego illos labore leuabò. Idem enim est, ac si dicerent. Non Deus, non angelus aliquis bonus, non veritatis magistra Ecclesia DEI: sed nos dicimus, quod sic exponi debeant. Et quid tandem estis vos, nisi homines: si non vultis Ouidiana aliqua metamorphosi in bestias vos immutatos dicamus? Si autem homines estis: nonne igitur verba ista vestra, hominum sunt verba? Ea enim cum numquam Deus dixerit, certè hominum tantum verba illa esse consequitur. Animaduertite (quæso) iudices, quid dictum velim. Volo enim obseruetis totam aduersariorum disputationem, in hoc tandem resoluam principium, in hanc scilicet propositionem. Ista CHRISTI verba: Hoc est corpus meum: Caro mea verè est cibus,

bus, debent mysticè intelligi. Hanc propositionem dico numquam Deum dixisse, aut effatum esse, neque eius Ecclesiam, aut vllum Apostolum. Et ideò hanc dico non esse Dei verbum: sed hominis alicuius increduli, & fatui. Et tamen hæc propositio, vltimum est refugium aduersarij, & principale siue primum suæ disputationis principium: Quare meridiana luce clarius constat & patet, nullo Dei verbo illorum perfidam niti religionem: sed puris putis hominum verbis. Nostra autem, quot quæso, quanta, quam clara, Dei verba pro se habet. Nostra enim disputatio, in hoc tandem resolutur principium. Deus sic dixit, sic locutus est, est purum putum Dei verbum. Nam ad omnes quæstiones, & argumenta, quæ Christiano propofueris, inuestigando: Cur Christi verum corpus verè habere se in cibum credat: Hoc solum allegabit. Quia sic Christus dixit. Sic Deus locutus est. Quia dixit caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quia numquam oppositum dixit: scilicet, Non est sanguis meus &c. Non est caro mea. Est ergo vltimum nostrum refugium, purum putum Dei verbū absque vlla nostra additione in medium adductum, aut verborum nostrorum conuagatione corruptum vel infectum. Est igitur Dei verbum, religionis patrum, verum primum immobileque principium & fundamentum. Et videte, quæso, quæ verba, quam clara, quam multa, pro nostra habeamus parte, vel ex hoc solo sexto Ioannis capite? Quantum CHRISTVS laborat, vt qualis sit cibus, quem promittit, exponat? Quot, & quam varijs vsus est sententijs, vt quid sit & quæ res, explicet. Dixit primo. Ego sum cibus iste viuus, quem promitto. Et ne quis dubitaret, num de tota persona sua loqueretur. Et quod carnem, per vocem (ego) nollet intellectam, dixit. Et panis viuus, quem dederò: caro mea est. Mea dixit, non alicuius alterius. Et quia durities cordis humani hæere adhuc posset, & quærere, num de illamete carne loqueretur, quæ pro nobis crucifixa est, addidit: Illa, quam dabo pro mundi vita. Rursus, quia an de humana tantum sua carne loqueretur, dubitari posset, ait, se de filij hominis carne loqui, non de carne filij bouis aut arietis. Phrasus Hebrai-

ca indicans de carne ipsum loqui humana, de quo maximè Iudæi dubitabant, & quod audire non poterant. Durus enim erat illis hic sermo. Tamen CHRISTVS interposito iuramento exerte ostendit, se de humana sua carne loqui. Amen amen dico vobis, inquit, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis &cet. Et ne phantasticè tantum, aut figuratè, carnem filij hominis cibum hominum futuram quis arbitraretur, ait: Caro enim mea verè est cibus. Verè, idem est, quod realiter. Verè, contrarium est ei, quod est, esse per figuram. Et ne quis existimaret de solius animæ cibo ipsum loqui, ait: Qui manducat meam carnem, ego resuscitabo eum in nouissimo die. Anima immortalis resuscitationem non habet. Id quod manducat carnem Christi, resuscitandum est. Corpus hominis, non anima, resuscitandum est. Corpus igitur cibum hunc, non sola anima capit. Corporalem cibum anima, quæ spiritus est, capere non potest realiter. Nota ergo corporalem manifestè indicari hic manducationem, quandoquidem id quod manducauit carnem, & bibit sanguinem suum, resuscitandum, ait, in nouissimo die. Ergo & corpus, cuius nulla, nisi realis potest esse actio, cibum hunc resuscitatum & viuificatum, realiter sumere debet. Et ideò, non solum spiritualiter, & per fidem, quæ solius animæ operationes sunt, sed verè, & realiter cibum esse indicat. Quod clarissimè iterum per illa ostendit verba, quibus ait, Caro mea verè est cibus, & sanguis verè est potus. Rursum, postquæ de carne tot notis designata, locutus esset, redit ad principium illud sermonis sui, quo dixerat, Ego sum panis viuus. Qui manducat, inquit, me, viuet propter me. Loquitur de seipso, in propria persona manducando. Nam (me) accusatiuus est pronominis (ego) Quid, quæso, manifestius dici poterat, vel de huius cibi, quem promittit qualitate, vel de illius essentia, & realitate? Quibus manifestioribus vti potuerat verbis? Caro, inquit, caro mea, caro quæ crucifigenda est, caro quæ est filij hominis, est verè cibus. Me, inquit, me, inquam, manducabitis. Dispeream, si vel quicquam excogitare possim istis manifestius. Et (vt verum fatear) non possum non admirari

rari eorum perniciam, qui spiritualitatem tantum ponunt huius cibi, ut spiritualitas contraria est realitati, & veritati. Nam antiqui patres, licet spiritualitatem hic ponant, illam tamen tantum ponunt, quæ carnalitati, non quæ veritati, aut realitati contraria est. Vtramque enim, ut ante dixi, ponunt, spiritualem, & realem, siue corporalem manducationem carnis Christi. Nostra est itaque victoria fratres. Fides patrum nostrorum ipsissima Dei verba sunt: aduersariortum, non fides (neque enim fides est credere quæ vides, panem tantum & vinum in hoc esse sacramento) sed perfidia, contraria verbis Dei dogmata habet. Verbis innititur hominum, non Dei, falsa igitur mendaxque est, & nostra vera. Viuat Catholica fides, & religio patrum. Perfidia percat ministrorum diaboli religio. Abscindantur vitinam qui nos conturbant, si nobiscum vnanimis in domo Dei, filiorum Dei cibum edere nolunt. Abcant in regionem longinquant, inanes porcorum filiquas cum ciuibus edat huius mundi. Nos alium cibum manducare habemus, quem illi nesciunt:

quem qui comederit, non famefcet in æternum: nos alium porum, quem qui biberit, non sitiet in æternum. Abeant itaque, adhæreant mundi huius cuius diabolo, pascant eius Epicuri de gregè porcos, inanibus suis signis, figuris, & umbris, nos autem relinquunt in pace panem verum manducare, quem nobis Deus pater mittere dignatus est de coelis, quem nobis magni, optimique consilij angelus liberaliter offert, ad quem nos manducandum dulciter inuitat, ut quisquis ex eo manducauerit, viuat in æternum. Epulemur autem nos Catholici fratres, in conspectu Dei, exultemus & lætemur in Deo salutari nostro, & oblatum vitæ capiamus cibum, ut illam tandem assequamur vitam, quam Deus daturus est ijs, qui fidem non mutant ab eo & cum precioso filij sui corpore realem hac in vita habuerunt societatem. Quam omnibus concedat, qui sine fine viuunt, regnat. Amen. Vos autem valere iudices, interim dum ad secundam huius causæ accingimur, nosque paramus actionem.

FINIS ACTIONIS PRIMAE

ACTIO



## ACTIO SECUNDA

IN SACRAMENTARIOS  
HAERETICOS,

*IN QVA OSTENDIMVS VETERES OMNES Ecclesie patres, verba Christi, quæ sexto capite D. Ioannis habentur de sua carne edenda, de sacramentali atq; reali corporis sui esu intellexisse, non de spiritualitantum, vti sacramentarij volunt.*



V M priori actione, Christi verba, quibus carnem suam hominibus manducadam, ac sanguinem suum bibendum pollicebatur, iuxta sensum literalem, prout ipsa sonant, & non figuratè, aut anigmaticè (quemadmodum aduersarij nostri confingunt) exponenda esse demonstrauerimus: plus roboris, ac etiam atque etiam auctoritatis apud quemlibet sani, ac recti iudicij virum, hæc defensio nostra sibi conciliatura videbitur, si præter assignatas superius rationes (quibus, ut sic Christi verba exponeremus, adducti fuimus) certa etiam quædam vetustiorum Ecclesie Doctorum testimonia in medium proferamus, ut sic omnibus lectoribus appareat, dictos patres eodem planè modo, quo & nos, illa Christi verba exposuisse, ac contestatos esse, ita omnino intelligi oportere: Hoc enim operæ precium fuerit, ut illi, qui nudas illas rationes omnino recipere noluerint, nunc saltem eas tanta auctoritatum molè corroboratas suscipiant. Quamquam illæ interim (etiam si nemo planè hactenus ea Christi verba sic, quemadmodum nos explicuisset) eiusmodi sunt ad probandum, quod volumus; ut cuiuslibet æquo Lectori abundè satis esse debeant. Ab omni enim profus ratione alienum esse videretur, quod Christus toties de carne sua manducanda, ac sanguine bibendo locutus fuisset, nec vsquam tamen seipsum exposuisset, si alia dere, quam de propria carne, ac sanguinè suo locutū se esse

voluisset intelligi. Si semel tantummodo de carne sua manducanda locutus fuisset, non ita alienum fortasse videretur, ut verba eius figuratè, ac mysticè intelligerentur; sed cum ipse etiam sexies ea de re locutus sit, nec vsquam seipsum exposuerit, ut alia dere, quam de carne sua locutus putaretur. Haud equidem satis intelligo, quam rationem confingere possimus, ut literali sensu relicto, ad mysticum confugiamus: Nunquam certè alias, cum verba sua mysticè intelligi voluisset, huiusmodi repetitione usus est, quin statim, aut ipse, aut eius Evangelista, quo in sensu ipse intelligi deberet, interpretarentur. Cæterum (ut propius ad rem veniamus) Patrum auctoritas, rationibus illis adiuncta, ut tandem cōtrouersia huic finis imponatur, sufficere videbitur: Nam quibus ad id non suffecerit, ut maiorum nostrorum fidem suscipiant, ad hoc saltem profuerit, ut attētum Lectorem credere cogat, Maiores nostros non absque magnis, ac pluribus etiam rationibus inductos fuisse, ut corpus Christi in hoc sacramento esse crederent: Et quod proinde erroris iuste condemnari nequeant, nisi rationes aliæ, eaque multo efficaciores, ac robustiores proferantur, quibus eorum fides improbetur. Vnde hic labor noster, quem in colligendis veterum patrum testimonijs collocabimus, nemini planè inutilis, aut superfluis videri poterit.

Ostensuri igitur, vnanimem, fuisse consensum patrum & doctorum ecclesie, in exponendo Christi promissoria de carne sua edenda, bibendoque sanguine (quæ Ioan. 6. cap. habentur) verba, colq;

H omnes

omnes literaliter, abq; figura de vera & reali carnis Christi mādicatione, & sanguinis potatione, ea intellexisse, uti & à nobis præcedenti in sacramentarios actione exposita sunt, & non de spiritali tantum, qualiter ea intelligenda esse, sacramentarij quicq; contendunt; Primumq; in aciem D. Andream Apostolum producit, qui ea fidei confessione, quam corā Aegæa proconsule fecit, & cui proprio sanguine morteq; subscripsit, Christi ex hoc Euangelij. D. Ioann. 6. cap. verbis vsus est, quid Ecclesiæ sacrificiū contineret & exhiberet exponens, quemadmodum presbyteri & diaconi Ecclesiæ Achaia, qui eius passioni interfuere, publico ad oēs ecclesias directo instrumēto testati sunt, ex quo, in lib. de duplici martyrio testimonium D. Cypri. sumpit, his verbis: Beatus Andreas, inquit, (vt habet humana quidē historia, sed satis probatē fidei) gaudēs sibiq; gratulans ibat ad crucem. Hæc Cyprianus. In hac itaq; probatā fidei historia sic inter cætera locutus fertur.

#### B. Andreas Apostolus.

Onnipotenti deo, inquit, qui viuus & verus Deus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, non taurorū mugientium carnes, nec hircorū sanguinē, sed immaculatum agnū quotidie in altari crucis sacrificio, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit & eius sanguinē biberit, agnū sacrificatus est, integer perseverat & viuus. Et cum verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducare sint à populo, & verè sanguis eius sit bibitus, tamen, vt dixi, integer permanet & immaculatus & viuus.

Huius Apostoli verba idē in mediū attulimus, non quod exponat CHRISTI ex 6. cap. D. Ioannis verba, sed quia fides, quā profitetur, ex dictis desumpta verbis, manifestè apparet. Nam cum ait: Cum verè eius carnes māducare fuerint & verè eius sanguis bibitus, ad illa Christi verba alludit, quibus ait, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

#### S. Ignatius Martyr.

Sancitū Ignatium hic etiā allegamus, sed quod, quid de Eucharistiæ sacra-

mento sentiendum sit & credendum, Christi ex hoc Euangelio verbis declarat. Sicut enim in epistola ad Romanos, scribit. Non comedam escam corruptionis, neq; voluptates huius mundi desidero. Panem Dei volo, panem cælestē, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui, qui natus est in nouissimo ex semine Dauid & Abrahæ. Et potum volo, sanguinem eius, qui dilectio incorruptibilis & vita æterna.

IDEM epistola ad Smyrnenfes. Eucharistias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur eucharistiam esse carnem seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sub benignitate suscitauit.

#### Iustinus Martyr.

Similem loquendi modum seruat & D. Iustinus martyr Apol. 2. ad Antoninum pium, explicans quid Eucharistia Christianorū continere credatur. Cibus ait, ille vocatur à nobis Eucharistia, cuius participium nulli omnium fas est permittere, nisi credenti doctrinam nostrā veram esse, & iam lauacro regenerationis in remissionem peccatorum loto, & ita vescitur, vt Christus tradidit. Non enim vt quemuis panem, neque vt quemuis potum ista omnia accipimus, sed quē admodum per verbum Dei incarnatus est Iesus Christus saluator noster, & carnem & sanguinem pro nostra salute assumpsit, ita quoque per preces verbi illius, cibus, ex quo sanguis & caro nostra, per imitationem aluntur, cum benedictus fuerit, Iesu Christi incarnati carnē & sanguinem dicimus esse.

#### Irenæus Lugdunen Episcopus.

Irenæus quoque Lugdunensis Episcopus, veritatē carnis & sanguinis Christi in Eucharistia explicans; carnē nostrā corpore & sanguine Domini ali & nutrirī asserit, quam fidem non nisi ex istis Christi apud Diuī Ioannem verbis hausit, quibus iubet carnem suā manducari & sanguinem bibi, & quibus ait, ea verum esse cibus & potum. Sic enim scribit lib. 4. aduersus hæreses cap. 34. Quomodo autē, inquit, constabit eis (de hæreticis resurrectionem carnis negantibus) loquitur) eum panem, in quo gratia a, & sint, corpus esse domini sui, & calicem

cem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, verbū eius, per quod lignū fructificat, defluunt fontes, dat primum quidem fenū, post deinde spicā, deinde plenum triticum in spica. Quomodo autē rursus dicunt carnem in corruptionē deuenire, & non percipere vitā, quæ à corpore domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiā mutet, aut abstineant ab offerendo; q̄ prædicta sunt.

IDEM libro 5. Vani autem omnino, qui vniuersam dispositionē Dei cōtemnunt, & carnis salutē negant, & regenerationē eius spernunt, dicentes non eā capacem esse incorruptibilitatis. Sicut autē secundū hæc videlicet, nec dominus sanguine suo redemit nos, neq; calix Eucharistiæ cōmunicatio sanguinis eius, neq; panis quem frangimus, cōmunicatio corporis eius est. Sanguis enim non est nisi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ est secundū hominem, substantia, qua verè factū verbum Dei, sanguine suo redemit nos, quemadmodum & Apostolus eius ait. In quo habemus redemptionē per sanguinē eius, & remissionem peccatorum.

IDEM eodem lib. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, sit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur & cōsistit nostra carnis substantia, quomodo negant carnē capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius sit, quemadmodum Apostolus ait in ea, q̄ est ad Ephesios, epistola. Quoniam membrum sumus corporis eius, & de carne eius, & ossibus eius, non de spiritali aliquo & inuisibili homine dicens hæc (spiritus. n. neque carnem neq; ossa habet) sed de ea dispositione, quæ secundū hominē, quæ ex carnibus, & nervis, & ossibus cōsistit, quæ de calice, q̄ est sanguis eius, nutritur, & de pane, qui est corpus eius, augetur.

#### Tertullianus.

Carnem nostrā corpore & sanguine Christi vesci, Tertullianus quoque dixit, his Christi apud D. Ioan. verbis alludens, quibus carnem suam, cibū verè esse dixit. Sic enim scribit lib. de resurrectione carnis. Sed caro abluatur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniat: caro manus impositione adū-

bratur, vt & anima spiritu illuminetur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima Deo saginetur.

#### Cyprianus.

Sermone autem de oratione Dominica B. Martyr Cyprianus Eucharistiam carnem Christi esse docens, ex hoc cap. sexto Ioanniste testimonium desumit ostendens de Eucharistiæ sacramento hæc Christi verba intelligenda esse. Sicut enim ait. Procedente oratione postulamus & dicimus: Panē nostrū quotidianū da nobis bishodie. Quod potest spiritaliter & simpliciter intelligi, quia & vterq; utilitatē diuina proficit ad salutē. Nā panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, & quomodo dicimus pater, quia intelligentium & credentium pater est: sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiā quotidie ad cibū salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, diu abstanti & non cōmunicantes, à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separeremur, ipso prædicente & monente. Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi. Si quis ederit de hoc pane, viuet in æternū. Panē autem quē ego dederō, caro mea est pro seculi vita. Quando ergo dicit in æternū viuere, si quis ederit de eius pane, vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure cōmunicationis accipiunt: ita contrarium est & orādum, ne dum quis abstantus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, cōminante ipso & dicente, Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinē eius, non habebitis vitam in vobis. Et idē panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus.

#### Origenes.

Origenes etiam, cum de Christi corporis & sanguinis sacramento dixerit; veritatē carnis Christi, in eo nobis exhiberi, ex his Christi apud D. Ioan. verbis, pbare assolet. Sicut enim homil. 7. in 12. cap. Numerorū scribit. Moyses, inquit, priusquā acciperet Aethiopiā non est

scriptū, quia in specie locutus sit ei Deus, & nō in enigmate: sed vbi accepit Aethiopiā, tūc dicit de eo Deus, quia os ad os loquar ad eum, in specie, & nō in enigmate. Modo enim cūm Moses venit ad nos, & cōiunctus est huic nostræ Aethiopiæ, lex Dei iā non in figuris, & in imaginibus sicut prius, sed in ipsa veritatis specie agnoscitur: & quæ prius in enigmate designabatur, nūc in specie & veritate cōplentur. Et idcō ille, q̄ species figurarū & ænigmatū diserebat, dicit: Scim⁹ aut̄ quoniam patres nostri oēs sub nube fuerūt, & oēs in Moyse baptizati sunt in nube & mari, & oēs eandē escam spiritalem māducauerūt, & oēs eundē potū spiritalem biberunt. Bibebāt aut̄ de spiritali cōsequēti eos petra. Petra aut̄ erat Christus. Vides quō ænigmata legis Paulus absoluit, & species ænigmatum docet, & dicit quia petra in ænigmate erat apud Moysē, anteq̄ iungeretur huic nostræ Aethiopiæ. Nūc in specie petra Christus est. Nūc enim os ad os loquitur per legē Deus. Antea in ænigmate fuit Baptism⁹ in nube, & in mari, nūc aut̄ in specie regeneratio est in aqua, & in spū sancto. Tūc in ænigmate erat māna cibus, nūc aut̄ in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit: Quia caro mea verē est cibus, & sanguis meus verē est potus. Sic ergo iam nūc Moyses apud nos positus, & huic Aethiopiæ cōiunctus, vel ipse ad nos, vel Deus ad ipsum non loquitur in ænigmate, sed in specie.

Idem hom. 17. in lib. Num. Exponens illud prophetiæ Balaam, Non dormiet donec comedat prādā, & sanguinē vulneratorū bibat; Prophetiam hanc à Christianis impleri docet, dū Christi sanguinē bibunt in Sacramēto Eucharistiæ. Ad quod probandū, ex hoc 6. cap. Ioan. testimoniū sumit, sic scribens: In his (inquit) verbis quis ita erit historica narrationis cōtentiōsus assertor, imō q̄ sic abruptus inuenitur, q̄ nō horrescēs sonum literæ, ad allegoriæ dulcedinē, ipsa necessitate confugiat. Quō enim iste populus tā laudabilis, tā magnificus, de quo tanta p̄conia sermo Dei enumerat, in hoc veniet, vt sanguinē vulneratorū bibat: cū tā validis præceptis cibus sanguinis interdicatur à Deo, vt etiā nos q̄ ex gentibus vocati sumus, necessariō iubeamur abstinere, sicut ijs quæ idolis immolatur, ita & à sanguine. Dicant ergō nobis, quis est iste

populus, q̄ in vsu habet sanguinē bibere. Hæc erant q̄ ea in euangelio audietes ijs, q̄ ex Iudæis Dominū sequebātur, scandalizati sunt. & dixerūt. Quis pōt māducare carnē & sanguinem bibere? Sed populus Christian⁹, populus fidelis, audit hæc, & amplectitur, & sequitur eū qui dicit: Nisi māducaueritis carnē meā & biberitis sanguinē meū, non habebitis vitā in vobis ip̄s: quia caro mea verē est cibus, & sanguis meus verē est potus. Ertiq; qui hæc dicebat vulneratus est p̄ omnibus: ipse enim vulneratus est pro peccatis nostris, sicut Esaias dicit: Bibere aut̄ dicimur sanguinē Christi, nō solū sacramētorū ritu, sed & cūm sermōes eius recipimus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dicit: Verba quæ locutus sum spiritus & vita est.

Et paucis interiectis. Vt aut̄, ait, euidenti⁹ cognoscas hæc de nostro populo, q̄ in sacramētis Christi cōfœderatus est, scribi, audi quō & in alijs Moses similia pronūciat; dicens, Butyrū bonū & lac oñiū, cū adipe agnorū & arietū filiorū, taurorū & hircorū cū adipe reniū, frumētū, & sanguinē vuarū bibēt vinū. Et hic ergō sanguis, q̄ nominatur vuarū, illius vuarū, q̄ nascitur ex illa vite, de qua saluator dicit, Ego sum vitis vera, discipuli verō p̄. I. mites. Pater aut̄ agricola est, q̄ purgat eos vt fructū plurimū afferat. Tu ergo es verus popul⁹ Israel, q̄ scis sanguinē bibere, & nosti carnē verbi Dei comedere, & sanguinē bibere, & vuarū sanguinē illius quæ est ex vera vite, & illis palmitibus quos pater purgat haurire.

B. Hilarius.

B. Hilar. lib. 8. de Trinit. dictum cap. 6. Ioan. de veritate carnis Christi in sacramento manifestē etiā applicat sic dicēs: Eos ait, nūc q̄ inter patrē & filiū voluntatis ingerūt vnitatē, interrogo, vtrumne p̄ naturā veritatē hodie Christus in nobis sit, an p̄ concordia volūtatis? Si enim verē verbū caro factū est, & nos verē verbū carnē cibo Dominico sumimus: quō nō naturaliter manere in nobis existimāmus est, q̄ & naturā carnis nostræ iam in se parabilē sibi homo natus assumpsit, & naturā carnis suæ ad naturā æternitatis sub sacramēto nobis comunicadæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnū sumus, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergō naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius

prius, non naturaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse, quia in Christo pater, & Christus in nobis, vnū in his esse nos faciunt. Si verē igitur carnē corporis nostri Christus assūpsit, & verē homo ille, qui ex Maria natus fuit Christi, nos sumimus, & per hoc vnū erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis: quomodo volūtatis vnitas asseritur, cū naturalis p̄ sacramētū proprietatē, perfectū sacramētū sit vnitatis. Non est humanō aut seculari sensu in Dei rebus loquendū, neq; per violentā atq; impudentē prædicationē celestiuū doctorū sanitati alienæ atq; impiæ intelligentiæ extorquēda peruersitas est. Quæ scripta sunt, legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tūc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate, quæ dicim⁹ nisi ab eo discimus, stultē atq; impiē dicim⁹: Ipse enim ait, Caro mea verē est esca, & sanguis meus verē est potus. Qui edit carnē meā & bibit meū sanguinē, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambiendi locus: nunc. n. & ipsius Domini professione & fide nostra verē caro est, & verē sanguis est. Et hæc accepta atq; hausta id efficiūt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. An ne hoc veritas non est? Contingit planē his verū non esse, qui Christū Iesū verū esse Deū negant. Est ergo ipse in nobis per carnē, & sumus in eo: Dūm secū hoc, quod nos sumus, in Deo est. Quæ autē in eo per sacramētū comunicatæ carnis & sanguinis sumus, ipse testatur dicens. Et hic mundus iā me nō videt, vos autē me videbitis, quoniā ego viuo & vos viuētis, quoniā & ego in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Si volūtatis tantum vnitate intelligi vellet, cur gradū quendā atq; ordinē consummandæ vnitatis exposuit: nisi vt cū ille in patre per naturā diuinitatis esset, nos cōtra in eo p̄ corporalē eius natiuitatē, & ille rursū in nobis per sacramētorū inesse mysteriū crederetur. Ac sic perfecta per mediatorē vnitas doceretur, cū nobis in se manētib⁹ ipse maneret in patre & in patre manēs, maneret in nobis, & ita ad vnitatem patris proficerem⁹, cū qui in eo naturaliter secundū natiuitatē inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente: Quod autē in no

bis naturalis hæc vnitas sit, ipse testatus est, Qui edit carnē meā & bibit sanguinē meū, in me manet, & ego in eo. Non. n. qui in eo erit, nisi in quo ipse fuerit: eius tantum in se assumptā habens carnē, qui suā sumpserit. Perfectē autē vnitatis sacramētū superius iā docuerat, dicēs. Si cut me misit viuens pater, & ego viuo p̄ patrē, & qui māducauerit meā carnē, & ipse viuet p̄ me. Viuit ergo per patrē: & quomodo per patrē viuit, eodē modo nos per carnē eius viuemus. Hæc autē idcirco à nobis sunt cōmemorata, quia volūtatis tantū inter patrē & filiū vnitatē hæretici mētiētes, vnitatis nostræ ad deū vtebantur exemplo, tanquam ad filium nobis, & per filium ad patrē obsequi tantum ac voluntate religionis vnitas, nulla per sacramētū carnis & sanguinis naturalis cōmunionis proprietatē indulgeretur, cū & per honorē nobis datum Dei filij & permanentē in nobis carnaliter filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitas, mysterium veræ ac naturalis vnitatis sit prædicandū.

D. Ambrosius.

D. Ambrosius hoc 6. cap. Ioā. de reali Christi carnis in sacramēto exhibitione etiā intellexit, idq; pluribus suorū diuinorū scriptorū libris testatū reliquit vt lib. de benedictionibus patriarcharū, cap. 9. Itē lib. 4. de fide cōtra Arrianos c. 5. Item lib. 6. de sacramentis ca. 1. Nos hic ex duobus istis posterioribus locis eius verba ascribemus. Sic enim ait li. 4. de fide cōtra Arrianos disputans, qui ex ista Christi sententiā, Sicut misit me viuēs pater & ego viuo propter patrē, & qui manducat me, viuet p̄pter me, aduersus eius diuinitatē aliquid inferre conabatur. Videmus, inquit, quæ ratione dixerit. Sicut misit me viuus pater & ego viuo propter patrē. Exponam⁹ vt possumus, imō ipse pot⁹ exponat. Cōsidera igitur quid ante p̄ miserit. Ait enim, Amen amen dico vobis: antē instruit quædam modū audire debes. Verē, inquit, verē dico vobis: Nisi māducaueritis carnē filij hominis & biberitis sanguinē eius, nō habebitis vitā in vobis. Secūdū filiū hominis se dicere ante præmisit: & tu quæ secundū filiū hominis de carne es loquutus et sanguine, ad diuinitatē putas esse referēdū? Deniq; addidit: Caro. n. mea vera est esca, & sanguis meus est potus. Carnem audis, sanguinē,

audis, mortis dominicæ sacramenta cognoscis; & diuinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum: Quia spiritus carnis & ossa non habet. Nos autem quotiens cumque sacramenta sumimus, quæ per sacra orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annunciamus. Ergo posteaquã seloqui secundum hominis filium declarauit, & carnem sæpè repètiuit, & sanguinem, subdidit postea: Sicut misit me uiuus pater, & ego uiuo propter patrem: Et qui māducat me & ipse uiuit propter me. Quomodo igitur hoc accipiendum putant? Potest enim duplex uideri comparatio. Prima ita: sicut misit me uiuus pater & ego uiuo propter patrem. Secūda: Sicut misit me uiuus pater & ego uiuo propter patrem: ita & qui manducat me, ipse uiuit propter me. Si primam eligunt, hoc significat, quod sicut missus sum à patre & descendi à patre, ita uiuo propter patrem. Quasi quis autem missus est atque descendit, nisi quasi filius hominis, sicut ipsa supra sapientia dixit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis? Ergo si quasi filius hominis missus est atque descendit: Ita quasi filius hominis uiuit propter patrem. Denique & qui manducat quasi filium hominis, & ipse uiuit propter filium hominis. Actum ergo incarnationis suæ, aduentum comparauit. Quod si secunda complacuit, nonne & æqualitatem filij cum patre, & similitudinem eius cum homine manifesta distinctione colligimus? Nam quid est sicut ipse uiuit propter patrem, & nos uiuimus propter ipsum: nisi quod sic uiuificat filius hominem, sicut pater in filio carnem uiuificauit humanam? Sicut enim pater suscitauit mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat, ut ipse Dominus supra dixit. A Equalitas ergo filij ad patrem, per unitatem quoque uiuificationis astruitur, quando sic uiuificat filius ut pater. Agnosce ergo eius vitam & potentiam sempiternam. Similitudo etiam nostra ad filium, & quedam secundum carnem unitas declaratur: quoniam quæ admodum filius à patre, sic homo est uiuificatus in carne. Sic enim scriptum est, quod Deus Iesum Christum à mortuis suscitauit: ita etiam nos quasi homines à Dei filio uiuificamur.

IDEM libr. 6. de sacramentis cap. 1. Sicut, inquit, uerus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita uera eius caro est, sicut ipse dixit, quàm accipimus, & uerus eius sanguis est, quem potamus. Sed fortè dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentem. Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit meum sanguinem, non manebit in me, nec habebit uitam æternam. Fortè dicas: Quomodo uera? Qui similitudinem uideo, non uideo sanguinis ueritatem. Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur ut possit mutare & conuertere generalia instituta natura. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes, quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant: solus tamen Petrus dixit: Verba uitæ æternæ habes, & ego à te quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, ueluti quidam esset horror crucis, sed maneret gratia redemptionis: id eò in similitudine quidem accipis sacramentum, sed ueræ naturæ gratiam ueritatemque consequeris. Ego sum, inquit, panis uiuus, qui de cœlo descendi. Sed caro non descendit è cœlo. i. carnem in terris assumpsit ex uirgine. Quomodo ergo descendit panis è cœlo, & panis uiuus? Quia idem dominus noster IESVS Christus consors est diuinitatis & corporis: & tu qui accipis eius carnem diuinam eius substantiæ, in illo participas alimeto.

IDEM ut habetur de consec. dist. 2. cap. omnia. Omnia, inquit, quæcumque uoluit Dominus, fecit in cœlo & in terra: & quia uoluit sic, factum est ita. Licet figura panis & uini uideatur, nihil tamen aliud, quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credendum est. Vnde ipsa ueritas ait ad discipulos. Hæc, inquit, caro mea est, pro mundi uita: & (ut mirabilius loquar) non alia planè, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro. Hæc, inquit, ipsa est, & ideo Christi caro est, quæ pro mundi uita adhuc hodiè offertur, & cum dignè accipitur, uitam ueritatemque æternam in nobis operatur. Panem quidem istum, quem sumimus in mysterio, illum

illum utique intelligo panem, qui manu sancti spiritus formatus est in uero uirginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim angelorum factus est cibus hominum. Vnde ipse ait, Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Et item, Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita.

IDEM in epistola ad Hebræos cap. 5. Christus est sacerdos propter carnem, quæ assumpsit, aut propter uictimam, quam pro nobis offerebat à nobis susceptam, id est, carnem & sanguinem, de qua uictima ipse in euangelio ait, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis.

### S. Hefichius presbyter.

Figuras Leuitici de Christi corpore exponens Hefichius, uerbis etiam Christi ex 6. hoc capite Ioannis utitur, dicens carnes, quæ manducantur in sacramento, esse corpus panis uiui, qui de cœlo descendit. Sic enim in octauum Leuitici caput scribit. Præcepit dominus eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. Et, sicut addunt septuaginta, in loco sancto. Est autem locus sanctus altare, ibi enim sanctus sanctorum requiescit. Sed quid addidit? Et ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis, siue (ut septuaginta eddunt) & panes qui sunt in canistro cõsummationis edite, sicut præcepit mihi dominus. Aaron & filij eius comedent eos. Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia spiritus? Nullam quippè dubietatem huiusmodi intellectu dereliquit: propterea carnes cum panibus comedit præcipiens, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis uiui qui de cœlo descendit. Propter quod Elicia, secundum septuaginta additionem, manè carnes, panes autem uespere deferebant corui super nẽ, præfigurare hoc mysteriũ domino uolente: quod intus oportet in ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare coqui, & comedi alibi uerò nequaquam. Propter quod Paulus Corinthijs præcipiebat: Cõuenientibus autem uobis in unum, iam non est dominicæ cœnæ nam manducare: unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.

Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei despicitis? Et hoc ideo, ut illic absolute mystica cœna deberet celebrari, Aarõ & filij eius illud rectè comedunt, nisi enim Christus rogatus ore sacerdotum, ipse uenerit, & cœnam sanctificauerit, & initia uerit ea, quæ aguntur, nullatenus sacrificium dominicum fiunt.

### S. Gregorius Nissenus.

Sanctus Gregorius Nissenus in uita Moyse, Manna figuram exponens, ait panem, qui de cœlo descendit & uerus cibus est, ænigmaticè Manna historia significari, quem cibum, Christi corpus esse docet, panem enim ideo uocari. Sic enim ait. Illud uero prætermittendum nullo pacto est, quod posteaquam mare transierunt, posteaquam amaritudo aquarum, sitienti uirtute ligni in dulcedinem conuersa est, posteaquam deliciosè apud fontes & palmas fuerunt, postea denique, quàm ex lapide biberunt, tunc quæ ab Aegypto uatica & cibus sibi assumpserunt, penitus eis defecerunt, tunc omnino nutrimento, quod ab Aegypto ferebant, absumptio, desuper sibi fluit cibus uariis, simul & simplex. Simplex visu atque uenicus. Qualiter uariis ad singulorum, voluptates se uertens. Quid igitur hinc, discimus? Quod oporteat, uidelicet fidei, baptismate, labore, omni uirtute, omni euangelica doctrina, mundos, puroque, animos nostros facere, ita ut omnino alienigeni mores, & Aegyptiacæ uitæ, uirtiorum scilicet omnium turba nos deficiat, & demum depurato defæcatoque, animo cœlestem cibum esse suscipiendum, quem nulla nobis ratio agriculturæ artibus produxit. Sed panis est sine semine, sine aratione, absque alio humano opere nobis paratus. Is desuper defluens, in terris inuenitur. Panis enim qui de cœlo descendit, qui uerus cibus est, qui ænigmaticè hac historia significatur, nõ incorporea quædam res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? Res, uerò quæ incorporea non est, corpus omnino est. Huius corporis panem non aratio, non ratio, non agricolarum opus, efficit, sed terra intacta permanfit, & tamen pane plena fuit, quo famescentes, mysterium uirginis perdocti, facile saturantur.

» rantur. Is igitur mirabilis sine agricultura  
» ra panis, varietate qualitatis ad suscipiē-  
» tium habitudinem, virtutem suam com-  
» mutat. Nam cum sit panis, ignorat labe-  
» fieri, sic in carnem verti, nouit olus imi-  
» tari: quicquid denique assumentis con-  
» ueniens & expectatum sit, ut Apostolus  
» vult, qui hanc nobis mensam prepara-  
» uit, in id commutatur. Sic enim diuinus  
» ille vir perfectioribus solidior, & in car-  
» nis speciem, hunc cibum fieri docet, in-  
» firmioribus olus, infantibus lac.

#### D. Basilius.

**D** Basilius in epistola ad Cestriā pa-  
» tritiam hoc 6. Ioannis cap. de Chri-  
» sti corpore, intelligit, sic inter cetera ei  
» scribens. Et communicare, inquit, per sin-  
» gulos dies & participare de sacro corpo-  
» re & sanguine Christi pulchrum est & val-  
» de utile, ipso manifeste dicente. Qui edit  
» carnem meam & bibit sanguinem meum,  
» habet vitam aeternam. Quis enim ambi-  
» git, quin frequens vitae participatio nihil  
» aliud sit, quam pluribus modis vitare?  
» Nos idcirco quater in singulis hebdoma-  
» dis communicamus, in die dominico,  
» in quarto die hebdomadae, in parasceue,  
» & in sabbato, ac in alijs diebus, si qua me-  
» moria fuerit sancti alicuius.

#### Palladius Episcopus.

**P**alladius Episcopus Cappadociae in  
» Historia sanctorum patrum, cap. 53.  
» verba Christi ex hoc 6. cap. Euangelij D.  
» Ioannis, pro sacramento corporis Chri-  
» sti allegat, sic scribens. Monachos, ait, o-  
» portere, si fieri potest, quotidie comu-  
» nicare sacramentis, Qui enim se ab eis  
» procul amouet, Deus quoque procul ab  
» eo recedit: quia autem hoc facit assidue,  
» assidue suscipit seruatorē. Est enim vox  
» salutaris. Qui comedit carnem meam, &  
» bibit sanguinem meum, manet in me, &  
» ego in eo. Hoc confert monachis, salu-  
» tatis passionis commemorationē con-  
» tinenter facientibus, se etiam quotidie  
» preparare, ut omni ex parte digni sint,  
» qui suscipiant coelestia sacramenta, qua-  
» doquidem sic quoque consequimur re-  
» missionem peccatorum.

#### S. Chromatius.

**S**anctus Chromatius Episcopus in c.  
» 6. Matt. dictum 6. cap. de Christi cor-

» pore intelligendum censet, dum ita scri-  
» bit. Hoc autem spiritaliter nobis praece-  
» ptum esse, debemus aduertere, ut panem  
» quotidianum petamus, id est, panem il-  
» lum coelestem & spiritalem, quem quo-  
» tidie ad medelam animae & spem aeternae  
» salutis accipimus. De quo ait dominus  
» in euangelio. Panis coelestis caro mea  
» est, quam ego dabo pro mundi vita. Et  
» hunc ergo panem quotidie postulare iu-  
» bebimur, id est, praestante domini miseri-  
» cordia, quotidie panem corporis Domi-  
» ni accipere mereamur. Ait enim sanctus  
» Apostolus. Probet se homo, & sic de  
» pane domini maducet, & de calice bibat.  
» Et iterum Qui manducat panem domi-  
» ni indignus, & calicem bibit: reus est cor-  
» poris & sanguinis domini. Unde non  
» immerito semper orare debemus, ut huc  
» panem coelestem quotidie mereamur ac-  
» cipere, ne aliquo interueniente peccato  
» corpore domini separemur.

#### B. Cyrill. Episc. Alexandrin.

**T**otus est B. iste pater in commenta-  
» rijs super Euangelium Ioan. in appli-  
» cando verba ista Christi Ioan. 6. ca. ad pro-  
» bandam realem & veram carnis Christi  
» in sacramento Eucharistiae praesentiam. Ex  
» quo hic aliquam multa verba adducen-  
» da existimauit, ut nostra expositio, quod  
» sit antiquorum patrum sententia con-  
» sona, fullius explicetur. Scribit ergo li. 4.  
» in Ioan. cap. 13. 14. 15. ita, atque sequitur. Co-  
» quirens, ait, quere & apud me habita.  
» Querendum, n. ita semper est, ut apud eum  
» habitemus & ad alienas sententias non  
» deferamur. Sed non ita facit animus ma-  
» lignus. Nam quaecumque non intelligit,  
» statim tanquam frivola falsaque; per arro-  
» gantiam eiecit, nulli credens, nec aliquid  
» supra ipsum esse existimans, quales Iu-  
» daeos fuisse comperimus. Nam cum o-  
» porteret eos, qui diuinam virtutē salu-  
» toris, ac potestatem signorum miraculo per-  
» ceperunt, sermonem eius libenter susci-  
» pere, & si quae difficultates videbantur, eorum  
» solutionem querere: contra omnino faci-  
» unt, & quomodo potest hic nobis sua  
» carnem dare? De Deo non sine magna  
» impietate conclamant, nec in mentem  
» venit, nihil esse impossibile apud Deum.  
» Nam cum animales essent, ut ait Paulus,  
» spiritalia intelligere non poterant. Sed  
» fatuitas

» fatuitas quaedam tam magnam sibi vide-  
» tur mysterium: sed nos magnum quaso  
» à peccatis aliorum, profectum faciamus,  
» & firmam fidem mysterijs adhibentes,  
» nunquam in tam sublimibus rebus, illud quo-  
» modo aut cogitemus, aut proferamus.  
» Iudaicum enim hoc verbum est, & extre-  
» mi supplicij causa. Idem Nicodemus etiam  
» cum diceret: Quo modo haec fieri possunt,  
» merito audiuit, Tu es magister in Israel,  
» & haec ignoras? Aliorum igitur culpa  
» perdocti, cum Deus operetur, non quaeramus  
» quomodo, sed operis sui viam at-  
» que scientiam illi soli concedamus. Nam  
» quemadmodum quamuis nullus nouit  
» quidnam secundum naturam Deus sit,  
» iustificatur tamen per fidem, cum credat  
» praemia illum redditurum quaerentibus  
» eum: sic & si operum eius rationem igno-  
» rat, cum tamen fide omnia illum posse  
» non dubitat, non contemnenda probita-  
» tis huius praemia consequetur. Ita verò  
» nos affici per prophetam Esaiam domi-  
» nus ipse hortatur. Non enim sunt confi-  
» lia mea, inquit, ut consilia vestra, nec sic  
» ut viae vestrae viae meae sunt, inquit Domi-  
» nus: sed sicut exaltatur coelum à terra, sic  
» exaltatae sunt viae meae à vijs vestris, & co-  
» gitationes meae à cogitationibus vestris. Qui  
» autem sapientia ac virtute adeo excellit, quo-  
» modo non operabitur ita miraculose,  
» ut operum suorum ratio mentem nostram  
» effugiat? Nonne vides quid sapienter  
» moechanici faciunt? Incredibilia non  
» nunquam nobis videntur enarrare: sed  
» tamen quia similia ipsos fecisse vidimus,  
» posse peragi ab ipsis facile credimus. Quo-  
» modo igitur summis cruciatibus digni  
» non erunt, qui rerum omnium opificem  
» Deum ita contemnunt, ut, quomodo,  
» in operibus suis dicere audeant, quem to-  
» tius sapientiae largitorem esse non igno-  
» rant, quem omnia posse scriptura nos do-  
» cet. Si verò de Iudaeis, quo etiam nunc cla-  
» mas, hanc tuam imperitiā ego quoque; se-  
» cutus, libenter quomodo ex Aegypto ex-  
» iuisti, rogabo: quo modo in serpentem  
» Mosaiica fuit virga conuersa? quomodo  
» in naturam sanguinis aquae transierunt?  
» quomodo patres tui per media maria ut  
» per aridam effugerunt? innumerabilia  
» sunt, in quibus si quomodo quaeris, vni-  
» uersam euertere scripturam tibi necesse  
» erit, Prophetarum doctrinam & ipsius Moysis  
» scripta contemneris. Quare credidisse Chri-

» sto potius vos oportuit, & si quod arduum vi-  
» debatur, ab eo humiliter petere, quam vel-  
» uti temulentos exclamare, quomodo potest hic  
» nobis sua carnem dare? Amē, amē dico vo-  
» bis, nisi manducaueritis carnem filij homi-  
» nis, & biberitis eius sanguinem, non habebi-  
» tis vitam in vobis: Misericors certe ac mi-  
» seris Christus est, ut à rebus ipsis videre li-  
» ceret: non enim asperè ad incredulitatem  
» eorum respondit, nec villo modo conten-  
» dit, sed viuificantem huius mysterij cogni-  
» tionem iterum atque iterum in mentibus eorum  
» imprimere studet, & quomodo quidem carnem  
» suam dabit ad manducandum non docet,  
» quia illi intelligere non potuerunt: quam  
» magna verò bona si cum fide maducabunt,  
» adipiscuntur, id iterum atque iterum aperit, ut  
» aeternae desiderio vitae ad fidem compellā-  
» tur, per quam etiam doceri facilius pote-  
» rint. Sic enim Esaias dixit: Si enim (inquit)  
» non credideritis, non intelligetis. Opor-  
» tebat igitur primum fidei radices in ani-  
» mo iacere, deinde illa quaerere, quae ho-  
» mini quaerenda sunt. Illi verò antequam cre-  
» deret importunè quaerebant. Hac igitur  
» de causa dominus, quomodo id fieri possit non  
» enodauit, sed fide id quaerendum horta-  
» tur: sic credentibus discipulis fragmenta  
» panis dedit, dicens: Accipite & mandu-  
» cate, hoc est corpus meum. Calicem etiam  
» similiter circumtulit, dicens: Bibite ex  
» hoc omnes, hic est calix sanguinis mei,  
» qui pro multis effundetur in remissionem  
» peccatorum. Paspicis, quia sine fide quaerentibus,  
» mysterij modum nequaquam  
» explicauit, credentibus autem etiam non  
» quaerentibus exposuit.

Audiant haec qui ex arrogancia non-  
» dum Christi fidem suscipere volunt. Ni-  
» si maducaueritis, inquit, carnem filij ho-  
» minis, & biberitis eius sanguinem, non ha-  
» bebitis vitam in vobis. Non enim possunt,  
» cum sanctificatione beatæ vitae fieri par-  
» ticipes, qui per mysticam benedictionem,  
» Iesum non susceperunt. Vita enim secun-  
» dum naturam ille est, qui ex viuo patre ge-  
» nitus est: sed non minus corpus quoque; su-  
» um viuificat. Coniunctum enim est ineffa-  
» biliter filio Dei, à quo vniuersa viuifica-  
» tur. Idcirco corpus suum dicitur, & vniuersum  
» eo est. Quoniam igitur saluatoris caro ver-  
» bo Dei, quod naturaliter vita est, coniun-  
» cta est, viuifica effecta est: quando eam coe-  
» dimus, tunc vitam habemus in nobis, illi  
» coniuncti, quae vita effecta est. Hac de  
» cau-

caussa in exsuscitandis mortuis, non solum modo verbo atque imperio, ut Deus vocabatur, verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat: ut re ipsa ostenderet carnem quoque suam esse. Non ergo verbo solus semper (ut diximus) verum etiam tactu mortuos excitabat, ut ostenderet corpus quoque suum vivificare posse. Quod si solo tactu suo corrupta redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam et gustamus et manducamus? reformabit enim omnino ad immortalitatem suam participes sui. Nec velis iudaice quomodo querere, sed recordare, quamvis naturaliter aqua frigidior sit, adventu tamen ignis frigiditatis sue oblita, aestuat. Nec putet ex tarditate mentis suae iudeus inaudita nobis excogitata esse mysteria: videbit enim si attentius querit, hoc ipsum à Moyse temporibus per figuram semper factitatum fuisse. Quod enim maiores eorum ab ira Aegyptiorum liberavit, quando mors in primogenita Aegypti seniebat? Nonne omnibus palam est, quia divina institutione perdocti, agni carnes manducarunt & postea ac subliminaria sanguine pertulerunt, propterea mortem ab eis diuertisse. Qui Christi carnem manducat, vitam habet aeternam: habet enim haec caro Dei verbum, quod naturaliter vita est, propterea dicit: Quia resuscitabo cum in novissimo die: Ego, enim dixit (id est, corpus meum quod comedetur) resuscitabo cum. Non enim alius ipse est, quam caro sua. Qui manducat, inquit, carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicut enim, quis liquet factae cereae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ita si quis carnem & sanguinem domini recipit, cum ipso ita coniungitur ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur. Simile quoddam apud Mattheum comperies. Simile est, inquit, regnum caelorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farinae satis tribus. Sicut parum (ut Paulus ait) fermenti totam massam fermentat: sic parvula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo: Verè enim totum fermentum in totam massam pertranst. Nos verò si vitam aeternam consequi

volimus, si largitorum immortalitatis habere in nobis desideramus, ad recipientem benedictionem libenter concurramus, caueamusque ne loco laquei, danoque fam religionem diabolus nobis praestet. Rectè, inquit, dicitis: scriptum tamen esse non ignoramus: iudicium sibi commedere atque bibere illi, qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probo me ipsum & indignum invenio. Quando igitur quicumque tu es, qui ista dicitis, dignus eris? Quando Christo te ipsum offeres? Nam si peccando indignus es & peccare non desinis. (Quis enim delicta intelligit secundum palamistam) expers omnino ex huius vivificatione sanctificationis. Quare pias, quae, cogitationes suscipias, studiosè sancteque vias & benedictione participes, quae (mihi crede) non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, seipientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat: perturbationes animi extinguit, nec in quibus sumus peccatis considerat: sed agrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu.

#### D. Gregorius.

Gregorius ex dicto cap. Ioan. allegat Christi verba ad idem propositum 12. lib. Moral. cap. 1. sic scribens. Nunc, quid, ait, rugiet Onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante praesepem plenè steterit? Quid namque per Onagerum, id est, agrestem asinum, nisi gentilis, populus designatur? què sicut natura extra stabula disciplinae cecidit, ita vagus in voluptatum suarum capio permansit? Quid, per bonè nisi plebs iudaica significatur? quae iugo supernae damnationis supposita: ad spiritum profelytos colligens, per corda quae valuit, vomerem legis traxit. Sed beati Iob vita attestante cognoscimus, ut expeccasse redemptoris adventum, multos etiam gentiles credamus. Et nascete domino, Simeone in spiritu in templum veniente, didicimus quanto desiderio ex plebe israelitica sancti viri incarnationis eius mysterium videre cupierunt. Unde & per eundem redemptorem discipulis dicitur. Dico vobis, quod multi iusti & prophetae desideraverunt videre, quae videtis & non viderunt. Herba ergo Onagris & fenum bouis, est haec ipsa me-

diato.

diatoris incarnatio, per quam simul gentilitas, & iudaea satiatur. Quia enim per prophetam dicitur: Omnis caro fenum, universitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens, fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenum remaneret. Tunc ergo herbam onager invenit, cum gentilis populus gratiam divinae incarnationis accepit. Tunc bos vacuum praesepem non habuit, cum plebs iudaica eius carnem expectanti lex exhibuit, quem diu expectatum prophetavit. Unde & natus dominus in praesepem ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, quae ieiuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis eius feno satiarentur. Praesepem enim natus implevit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium praebuit, dicens: Qui comedit carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Idem libr. 12. in Iob cap. 3. per panem Christi corpus significari docet exponendo illud Hierem. 11. Mittamus lignum in panem eius: Lignum quippe, inquit, in panem mittere, est corpori Dominico crucem adhibere.

#### Theodoretus.

Idem dicit Theodoretus, exponens illud Hierem. cap. 11. Venite mittamus lignum in panem eius, & cetera. Illud, inquit, omnino non convenit Prophetae. Qui enim fieri poterat, ut lignum immitteretur in panem? At Christo Domino sermo prophetiae vel maxime quadrat. Nam suum ipsius corpus panem appellavit, Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Panem hunc ligno confixerunt, qui putabant se memoriam illius extincturos.

#### Tertullianus.

Tertullianus libr. 4. contra Marcionem, dicta Hierem. verba de Christi corpore intelligenda censet. Illius huc integram de sacramento corporis Christi sententiam afferam. Sic enim scribit inter cetera. Professus itaque se concupiscentia concupivisse edere Pascha, ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est, corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei: Fingura autem non fuisset, nisi veritatis ef-

set corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis proponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Adversus me cogitaverunt cogitatum, dicentes: Venite, coniciamus lignum in panem eius, scilicet crucem in corpus eius? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis potest esse sanguis, nisi carnis. Nam & si corporis qualitas non carnea opponitur nobis, certè sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis: Ut autem & sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias. Quis, inquit, qui advenit ex Edom? rubor vestimentorum eius ex Bosor, sed decorus in stola violeta, cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua? & indumenta sicut de fortorcularis pleno conculcato. Spiritus enim propheticus velut iam contemplandus, dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum, ut in ea passum, cruentum habitum carnis, in vestimentorum rubore designat, conculcatam & expressam vi passionis tanquam in fortorcularis, quia exinde quasi cruentati homines de vini rubore descendunt. Multo manifestius Genesis in benedictione iudae, ex cuius tribu, carnis ceteris Christi processurus, iam tunc Christum in iuda delinibat, Lauabit, inquit, in vino stolam suam, & in sanguine vultus amictum suum: stolam & amictum carnem demonstras & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.

#### Lactantius.

Lactantius item Firmianus li. 4. divi Inst. ca. 18. Per panem, Christi carnem interpretatur, exponens dicta Hierem. verba

de



» de Christo. Lignum, inquit, crucem si-  
gnificat, & panem, corpus eius, quia ipse  
» est cibus & vita hominum, qui credunt  
» in carnem quam portauit, & in crucem  
» qua pependit.

*D. Hieronymus.*

**H**ieronymus in ca. 7. Osee exponens  
illud prophetæ. Super tritico & vi-  
no dissecabantur, eruditi sunt in me &  
ego confortavi brachia eorum, & con-  
tra me cogitauerunt, mala, cõuerſi sunt  
in nihilum & cæt. de hæreticis prophetæ  
verba interpretatur, qui super corporis  
Christi mysterijs falsis, diuersa sibi taber-  
nacula. i. synagogas & sc̄ctas construxit:  
& ex hoc sexto capite, Christi verba de  
corporis & sanguinis Christi mysterio  
allegat, sic scribens: Sed ruminabant, &  
ideo recesserunt à domino qui dicit. E-  
go eos erudii, ego fortitudinem præ-  
bui, & contra me suas erexere ceruices:  
non quod aliquid possint facere & no-  
cere creatori suo, sed quod solum facere  
potuerunt, cogitauerunt mala cõtra me.  
Et quomodo à principio fuerunt, prius-  
quam vocarem eos per Abraham, & post-  
ea per Moysen & Aaron: & erant absq;  
iugo, legisque notitia & cunctis nationi-  
bus miscebantur: ita etiam nunc reuerſi  
sunt in pristinum statum: vt absque iugo  
& frenis deferrètur per præcipitia, & mu-  
tarentur in arcum dolosum, vt quos De-  
us contra aduersarios intenderat, ipsi cõ-  
tra suum dominum verterent, & mitte-  
rent aduersum eum blasphemiarum sa-  
gittas. Vnde principes eorum, qui infeli-  
cem populum deceperunt, cadēt gladio  
propter furorem linguæ suæ, quod au-  
reos vitulos deos appellare sunt ausi, vt  
hoc facerent in terra repromissionis, qđ  
in A Egypto didicerant, colentes Apim  
A Egyptium, & omnia eorum portenta  
venerâtes: ita enim & in solitudine, quã-  
do egressi sunt de A Egypto, dominum  
subannauerunt, dicentes: Iiti sunt dij  
tui Israel, & vtinam essemus in terra A E-  
gypti, vbi sedebamus super ollas carniũ  
& c. Super tritico & vino, falsis mysterijs  
corporis & sanguinis Christi, qui dicit in  
Enangelio: Nisi ceciderit granum tritici  
in terram, & mortuum fuerit, ipsum so-  
lum manet. Et in alio loco; Ego sum vi-  
tis vera. Et, Nisi biberitis sanguinem me-  
um. Super hoc ergo tritico & vino hære-

Ioan. 6.

tici conciditur, & diuersa ibi construitur  
tabernacula: sine præciduntur ab eccle-  
siæ corpore, & legem Dei meditari, & ru-  
minare se simulant. Sed hoc facientes,  
recedunt à domino, qui docuit eos in  
Ecclesia, & dedit eis fortitudinem, qua  
contra aduersarios dimicarent. Illi verò  
cogitauerunt maliciam contra dominũ,  
impijssimam hæreses extruentes, & reuerſi  
sunt in statum gentilium, vt essent absq;  
Dei notitia & iugo: siue reuerſi sut in ni-  
hilum, non quod deserierint esse, sed quo  
ad comparisonem eius, qui loquitur ad  
Moysen: Vade dic populo Israel, qui est,  
misi me: omnes qui contra dominum  
sapiunt, non esse dicuntur, iuxta illud qđ  
in Hester legimus in 70. duntaxat: Ne tra-  
das sceptrum tuũ ijs qui nõ sunt: Haud  
dubium quin idola significet. Si enim  
Deus est veritas, quicquid cõtrarium ve-  
ritati est, mendacium est, & nihil nomi-  
natur. Hoc hæreticis conuenit qui instru-  
cti de scripturis sanctis aduersum Domi-  
num legis & prophetarum, & euangelij,  
verba vertunt, & sunt quasi arcus dolo-  
sus siue peruersus. Dolosus arcus neque  
peruersus est, qui percutit diagentem, &  
vulnerat dominum suũ: Siue frõcti sunt,  
quasi arcus intentus, parati ad pugnam  
& contentiones, in subuersionem audi-  
entium.

**I D E M** libr. 2. in Hieremie cap. 11.  
exponens illud prophetæ, Mittamus li-  
gnum in panem eius; per panem intelli-  
gendum esse Christi corpus ex hoc 6. ca.  
Ioann. sumpto testimonio docet. Om-  
nium ecclesiarum, inquit, iste est cõsen-  
sus, vt sub persona Hieremie à Christo  
hæc dici intelligant, quod ei pater mon-  
strauerit, quomodo cum oporteat lo-  
qui, & ostenderit illi studia Iudæorum,  
& ipse quasi agnus ductus ad victimam,  
non aperuerit os suum: & non cogno-  
uerit, subauditur peccatum. Iuxta illud  
quod ab Apostolo dicitur: Qui cum nõ  
cognouisset peccatum, pro nobis pecca-  
tum factus est: & dixerint; Mittamus li-  
gnum in panem eius: crucem videlicet  
in corpus saluatoris. Ipse est enim qui  
ait. Ego sum panis qui de celo descendi.  
Et eradiceinus siue conteramus eum de  
terra viuentium. Hoc enim scelus ani-  
mo cogitauerunt, vt nomen eius dele-  
rent in perpetuum.

**I D E M**

**I D E M** in 6. c. Matt. exponens illud o-  
rationis Dominicæ: Panẽ nostrũ super sub-  
stantialiẽ da nobis hodie: dicit panẽ istum  
esse illum, qđ dicit: Ego sum panis viuus, qđ  
de celo descendi, semper ista Christi verba  
Ioã. 6. c. de eius corporis esca intelligẽdo.  
Qđ nos, inquit, super substantialiẽ expressi-  
mus, in Græco habetur *ἐπιτοσίον*: qđ verbũ  
» interpretēs *ἐπιτοσίον* frequentissime trã-  
» ferũt. Cõsiderauimus ergo in Hebræo, &  
» vbicũq; illi *ἐπιτοσίον* expresserunt, nos in-  
» uenim⁹ *πῶρον*, qđ Symmach. *ἐπιτοσίον*. i. præ-  
» cipuũ, vel egregiũ, trãtulit: licet in quodã  
» loco peculiari interpretat⁹ sit. Quãdo ergo  
» petimus, vt peculiariẽ vel præcipuũ nobis  
» Deus tribuat panẽ, illũ petimus qđ dicit: E-  
» go sum panis viuus, qui de celo descendi.

Ioan. 6.

Porro epist. vel lib. ad Hebid. q. 2. aduer-  
sus Chiliaſtas, qui ex illis Domini verbis,  
Dico aut̄ vobis non bibã amodò de hoc  
genimine vitis, vsq; in diẽ illũ, quo bibã  
illud nouũ nobiscũ in regno patris mei,  
& c. occasione arripiebãt (omniãdi, Chri-  
stũ rediturũ, & hic mille annis corpora-  
liter regnaturũ, & bibiturũ vinũ, quod ex  
illo tẽpore vsq; ad cõsumptionẽ mũdi  
nõ biberit, scribit in hunc modũ: Nos aut̄  
» audiamus, panẽ, quẽ fregit Dominus, de-  
» ditq; discipulis suis, esse corpus Domini  
» saluatoris, ipso dicẽte ad eos: Accipite &  
» comedite: hoc est corpus meũ: & calicẽ il-  
» lũ esse, de quo iterũ locutus est: Bibite ex  
» hoc oẽs. Hic est sanguis meus noui testa-  
» mẽti, qđ pro multis effundetur. Iste est calix  
» de quo in propheta legim⁹: Calicẽ saluta-  
» ris accipia: Et alibi: Calix tuus inebriãs qđ  
» p̄clarus est. Si ergo panis, qđ de celo descẽ-  
» dit, corpus est domini, & vinũ quod disci-  
» pulis dedit, sanguis illi⁹ est noui testamen-  
» ti, qđ pro multis effusus est in remissionẽ pec-  
» catorũ, Iudaicas fabulas repellamus, & c.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

**E T** paulò infrã: Nec Moyses, ait, dedit no-  
bis panẽ verũ, sed Dominus Iesus: ipse cõ-  
uiuã & conuiuũ: ipse comedẽs & qui co-  
meditur. Illius bibim⁹ sanguinẽ, & sine ip-  
so potare nõ possum⁹: & quotidie in sacri-  
ficijs eius de genimine vitis verã, & vineã  
» Sorec, qđ interpretatur electa, rubẽtia mu-  
» sta calcamus, & nouũ ex his vinũ bibimus  
» de regno Patris, nequaquã in vetustate lite-  
» terã, sed in nouitate spũs, cantãtes canti-  
» cũ nouum, quod nemo põt cãtare, nisi in  
» regno ecclesiã, quod regnũ patris est, & c.  
» Quorũ verborũ hæc mēs est & sententia,  
» nouũ vinũ quod Christus promiserit se  
» nobiscũ bibiturũ in regno patris sui, verũ

esse corpus & sanguinẽ suũ noui testamẽ-  
ti, quẽ ille iam quõtidie nobiscũ bibat  
in regno patris sui. i. sancta ecclesiã sua ex-  
tra quã nemo illũ salubriter potare pos-  
sit: ipsumq; Christũ nobiscũ bibere, cum  
nos sine illo eũ potare nõ possimus: itaq;  
fabulas esse Iudaicas, illum post mille de-  
mũm annos vinum nouum bibiturũ.

In psalms quoq; 104. versum illum, Pa-  
ne cœli saturauit eos, sic scriptũ reliquit:  
Sicut enim illi de cœlis fluente manna re-  
fecti sunt, ita nos hodie in ecclesiã corpo-  
re agni accepto reficimur.

**I T E M** in psal. 109. versum illũ, Iurauit  
domin⁹, & nõ pœnitẽbit eũ, tu es sacerdos  
in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedech,  
scribit in hunc modũ: Hoc solũ dicamus,  
quare dixerit secundũ ordinẽ. Nequaquã,  
inquit, sacerdos eris secundũ victimas,  
Iudaicas, sed eris sacerdos secundũ ordi-  
nem Melchisedech. Quõ enim Melchise-  
dech rex Salẽ obrulit panẽ & vinũ, sic &  
tu offeres corpus tuũ & sanguinẽ, verũ pa-  
nẽ, & verũ vinũ. Iste Melchisedech, ista vi-  
na quã habemus, dedit nobis. Ipse est, qui,  
dixit: Qui manducauerit carnẽ meã, & bi-  
berit sanguinẽ meũ, secundũ ordinẽ Mel-  
chisedech tradidit nobis suũ sacramẽtũ.

**I N** Psal. 145. exponens illã Dominicæ  
orationis precẽ, Panẽ nostrũ quotidianũ  
da nobis hodie, ita ait: Putat aliquis quod  
panem cœlestẽ de mysterijs dicat. Et hoc  
quidẽ accipim⁹, quia vera caro Christi est.

Tertio quoq; libro aduersus Pelagia-  
nos, his vitur verbis: Panẽ quotidianum  
siue super oẽs substantias, venturum Apo-  
stoli deprecatur, vt digni sint assumptio-  
ne corporis Christi: & vos (Pelagiani) per-  
nitiã sanctitatem, securamq; iusticiã, au-  
daçter vobis cœlestia dona vendicatis.

*D. Augustinus.*

**D**August. lib. 3. de consensu Euan-  
gelistarũ manifestẽ docet, hoc 6. ca. D.  
Ioan. de sacramẽto intelligendũ esse Chri-  
sti corporis, vti & ea Christi verba, quã in  
institutione huius sacramenti Christũ di-  
xisse ceteri testantur Euãgelistã. Scribit e-  
nim ibi in hunc modum circa dicti libri  
initiũ, dum quid alij Euãgelistã de Chri-  
sti coena scripserint, annotasset. Ioannes  
aut̄, inq; de corpore & sanguine Domini,  
hoc loco nihil dixit, sed planẽ alibi mul-  
tò vberius hinc dominũ locutũ esse testat.  
In libro aut̄ contra aduersarium legis  
& prophetarũ manifestẽ ait, Christũ hoc

I

in

in capitulo de sacramento corporis & sanguinis sui locutus esse. Videte, inquit, si non sunt isti ex isto genere hominum, qui loquuntur Christo de Sacramento corporis & sanguinis sui, dixerunt, Durus est hic sermo, quod potest etiam audire. Nisi, qui excusabiliores sunt, qui verba divina, quae non intelligebant, non in maledictione, sed in benedictione horribilia non ferebant. Mirum enim non est, si maledictum quando auditur horretur. Nec exigendum est, ut verbis non horredis dicatur, quod ad hoc dicitur, ut ab exhorrente timeatur. Dominus autem talia dicebat, quae avari perciperet, non timeri: & tamen qui infidelitas sufferat, Caro mea verè cibum est, & sanguis meus verè potus est: etenim nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Si ergo Dei sapientia, verbis sacramento congruis, pascens animam credentem, non curavit insipientiam nauseantem, quantum magis eadem ipsa sapientia, ubi locus & tempus timoris fuerat, non amoris, salubre volens importare terrorem, non curavit insipientis errorem, quamvis eius praevideret horrorem.

**Q**uamvis in scripturis secundum res gestas, quae nobis de David conscripse sunt, quando sit factum, quemadmodum inuenimus titulum psalmi, cum su-

geret David a facie Absalon filij sui. Legimus enim in Regnorum libris, & inuenimus, quando David fugeret a facie filij sui Absalon. Et verissimum est, quia contingit quod scriptum est: Et quoniam titulus psalmi in mysterio sic scriptus sit, tamè ductus est de re quae gesta est. Sic credo & quae hic scriptum est: Cui mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit. Scriptum est, sed in regnorum libris, ubi omnia nobis scripta sunt quae pertinent ad res gestas David, sed non inuenimus hoc, & tamè aliquid inuenimus, unde appareat hoc esse tractum. Nam scriptum est: Quia cui fugeret David persecutorem Saul, contulit se ad Achis regem Geth. i. ad regem cuiusdam gentis vicinam regno Iudaorum: ibi latitabat, ut persecutionem Saulis euitaret. Reversus autem erat gloria eius, unde per benefactum meruit inuidiam, quando Goliath interfecit: & una pugna gloriam securitatemque regno & regi & populo comparauit. Saul autem cum puero cantem Goliath aequaret, prostrato Goliath, hostis esse coepit ei, per cuius manum hostem Deus necauerat, & inuidit gloriae David: maxime quia populus in exultatione constituitur, & choro iam facta mulieres cantauerunt gloriam David, quod Saul percussisset in millibus, & David in denis millibus. Hinc ille commotus, quod coeperat habere maiorem gloriam per vnam pugnam puer, & iam in laudibus omnium regis & superbia seculi, inuidere ei coeperat, & cum persequi. Tunc ille se, ut dixi, contulerat ad regem Geth, qui vocabatur Achis. Suggestum est autem regi ipsi, quod illum apud se haberet, quae magna gloria habere coeperat in populo Iudaorum: & dictum est illi, Nonne iste est David, cui choros fecerunt mulieres Israelitarum, dicentes: Saul percussit in millibus, & David in denis millibus? Si autem propter hanc gloriam inuidere ei coeperat Saul: nonne metuendum erat David, ne & ille rex ad quem confugerat, vellet opprimere eum, quem posset de vicino hostem habere, si saluum seruaret? Timuit & illum, & sicut scriptum est, Mutauit vultum suum coram ipsis, & affectabat & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur in manibus suis, & procidebat ad ostia portarum, & saluam decurrebant super barbam eius. Vidit eum Rex ille, apud quem latebat, & ait suis, Vt quid mihi arreptitum adduxistis? Nunquid nam intraturus est in domum meam? Et sic illum dimisit, proiecit illum, & recessit inde David incolumis per istam figuratam nē furoris. Videtur ergo ad ipsam historiam per-

pertinere, quod hic scriptum est, Psalmus David cui mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit. Sed ille Achis erat, non Abimelech. Nomen enim solum non videtur conuenire. Nam res gesta prope ipsis verbis pariter designata est in psalmis, sicut scriptum est in Regnorum libro. Ideo magis mouere nos debet ad quod tendit sacramentum, quia nomen mutatum est: Nam neque illud sine causa factum est quamuis sit factum, sed quia aliquid figurabat: neque hoc sine causa scriptum est, nomine commutato. Videtis certe profunditatem sacramentorum, fratres. Si non est in mysterio, quod a puero Goliath occisus est, non est in mysterio, quia vultum suum immutauit, & affectabat, & tympanizabat, & cadebat ad ostia ciuitatis, & ad ostia portarum, & saluam decurrebat super barbam eius. Unde fieri potest, ut non hoc aliquid significaret, quandoquidem aperte dicitur Achis postolus, Haec autem in figura contingebant illis, Scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum obuenerit. Si nihil significat manna, de quo dicit Apostolus. Et cibum spiritum manducarunt, si nihil significat quod diuisum est mare, & per medium ductum est populus, ut euaderent persecutionem Phaetonis, cum dicit Apostolus, Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Mosen baptizati sunt in nube & in mari, si nihil significat, quod percussa petra aqua profuxit, cum dicit Apostolus, Petra autem erat Christus. Si ergo illa nihil significat, quoniam sint gestata, si nihil denique significant duo filij Abrahamae nati secundum ordinem nascendi hominum, & tamè ipsos duos filios duo testameta appellat Apostolus, vetus & nouum, & dicit: Haec sunt duo testamenta, quae sunt in allegoria. Si ergo illa nihil significat, quae videtis auctoritate apostolica in mysterio futurarum rerum gesta esse: debemus arduum bitrati, nihil significare etiam hoc quod vobis ex libro Regnorum de David paulò ante narrauimus. Nihil ergo significat, & quod nomen mutatum est, & quod hic dictum est coram Abimelech, ibi coram Achis. Intendite mecum. Omnia enim quae dixi modo, quasi ad manum pertinent pulsanis, non dictum apertum est. Pulsauimus cum ista dicere: pulsastis & vos, cum ista audiretis: adhuc pulsemus orando, & dominus aperiat nobis. Nominum hebraeorum habemus interpretationem. Non desuerunt

virii docti, qui nobis nomina ex Hebraeo in Graecam linguam, & inde in Latinam transferrent. Consulentes ergo nomina ista, inuenimus interpretari, Abimelech, patris mei regnum, & interpretari Achis, quod est. Haec nomina attendamus, inde incipit nobis aperire pulsanis. Si quaeris, quid est Achis? Respondetur, quomodo est. Quomodo est, verbum est admirantis, & non intelligentis. Abimelech patris mei regnum. David, manu fortis. In figura Christi David, sicut Goliath in figura diaboli: & quod David prostravit Goliath, Christus est, qui occidit diabolum. Quid est autem Christus, qui diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nominamus, fratres mei, maxime nobis humilitas commendatur. Via enim nobis fecit per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo: redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus, & quae nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumescit. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erat Propheta, Patriarcha, dedignabatur genus hominum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis: ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. Erat autem, ut nostis sacrificium Iudeorum antea secundum ordinem Aaron in victimis peccatorum, & hoc in mysterio. Nondum enim erat sacrificium, corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & quae Evangelium legunt, quod sacrificium diffusum est nunc toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo sacrificia, & illud secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. De quo dicitur: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech? De Domino nostro Iesu Christo. Quis erat Melchisedech? Rex Salem. Salem ciuitas fuit antea illa, quae postea, sicut docti perdidit, Hierusalem dicta est. Ergo antea ibi regnaret Iudaei, ibi erat ille sacerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi, Sacerdos Dei excelsi. Ipse occurrit Abraham, quando liberauit Loth de manu persequentium: & prostravit eos a quibus ille tenebatur, & liberauit fratrem. Post liberationem fratris, occurrit ei Melchisedech. Et tatus erat Melchisedech, a quo & vinum, & benedixit Abraham, & dedit

„ci victimas Abrahamā. Videte quid protulit  
 „ei, quem benedixit. Et dictū est ei postea,  
 „Tu es sacerdos in æternū secundū ordi-  
 „nē Melchisedech: Dauid hoc in spū dixit  
 „longē post Abrahamā. Temporibus autē A-  
 „brahæ fuit Melchisedech. De quo alio di-  
 „cit: Tu es sacerdos in æternū secundū or-  
 „dinē Melchisedech, nisi de illo cuius no-  
 „stis sacrificiū. Sublatū est. n. sacrificiū Aa-  
 „ron, & cœpit esse sacrificiū secundū ordi-  
 „nē Melchisedech. Ergo mutauit nescio  
 „quis vultū suū. Quis est iste, nescio quis?  
 „Non sit nescio quis: Notus est. n. Domi-  
 „nus noster Iesus Christus. In corpore &  
 „sanguine suo voluit esse salutē nostram.  
 „Vnde autē cōmendauit corp⁹ & sanguinē  
 „suū? De humilitate sua. Nisi. n. esset humi-  
 „lis, nec māducaretur, nec biberetur. Respi-  
 „ce ipsius altitudinē. In principio erat ver-  
 „bū, & verbū erat apud Deū, & Deus erat  
 „verbū. Ecce cibus sempiternus: sed man-  
 „ducāt angeli, māducāt supernæ virtutes,  
 „māducant coelestes spūs, & manducāt &  
 „saginātur, & integrū manet quod eos fa-  
 „tiat & lactificat. Quis autē homo posset ad-  
 „illū cibum? Vnde cor tā idoneū illi cibo?  
 „Oportebat ergo vt mēsa illa lactesceret et  
 „ad paruulos pueniret. Vnde autē fit cibus  
 „lac? Vnde cibus in lac cōuertitur, nisi p  
 „carnē traiciatur? Nam mater hoc facit.  
 „Quod māducatur mater, hoc māducatur in-  
 „fans. Sed quia minus idone⁹ est infans, q  
 „pane vescatur, ipsum panē mater in car-  
 „nat: & per humilitatē māmilla & lactis  
 „succū, de ipso pane pascit infantē. Quō  
 „ergo de ipso pane pascit nos sapiētia Dei?  
 „Quia verbū caro factū est, & habitauit in  
 „nobis. Videte ergo humilitatē: quia panē  
 „angelorū manducauit homo, vt scriptū  
 „est. Panē coeli dedit eis, panē angelorum  
 „manducauit homo. i. verbū illud, quo pa-  
 „scūtur angeli sempiternū, quod est aqua  
 „le patri, manducauit homo: quia cum in  
 „forma Dei esset, non rapinā arbitrat⁹ est  
 „se esse æqualē Deo. Saginantur ergo illo  
 „āgeli, sed semetipsū exinaniuit, vt mādu-  
 „caret panē angelorū homo, formā serui  
 „accipiens, in similitudine hominū fact⁹,  
 „& habitu inuentus vt homo, humiliavit  
 „se factus obediens vsq; ad mortē, mortē  
 „autē crucis: vt iā de cruce cōmendaretur  
 „nobis caro & sanguis Domini, nouū sa-  
 „crificiū, quia mutauit vultum suum  
 „coram Abimelech, id est, coram regno  
 „patris. Regnum enim patris, regnum c-

rat Iudæorū. Quō regnū patris? Regnū  
 „David, regnū Abraham. Nam regnum Dei  
 „patris, magis Ecclesia, quā popul⁹ Iudæo-  
 „rū, sed secundū carnē regnū patris, popu-  
 „lus Israel. Dictū est enim: Et dabit ei De⁹  
 „sedē Dauid patris eius. Demōstratur er-  
 „go secundū carnē pater Domini esse Da-  
 „uid: secundū diuinitatē autē Christus nō  
 „filius, sed Domin⁹ Dauid. Iudæi verō se-  
 „cundū carnē Christū norunt, secundum  
 „diuinitatē nō norūt. Ideō fecit illis quæ-  
 „stionē, & dixit: Cuius filium esse dicitis  
 „Christū? Et responderunt, filiū Dauid. Et  
 „ille. Quō ergo Dauid in spū vocat eū do-  
 „minum, vbi ait: Dixit Domin⁹ Domino  
 „meo, sedē à dextris meis, donec ponā ini-  
 „micos tuos sub pedibus tuis. Si ergo Da-  
 „uid in spiritu vocat eum Dominū, quō  
 „filius eius est? Et nō potuerunt illi respō-  
 „dere: quia nō nouerāt in Domino Chri-  
 „sto, nisi quod videbatur oculis, nō quod  
 „corde intelligebatur. Si autē intus habe-  
 „rēt oculos, sicut habebāt foris, ex eo qd  
 „foris videbāt, intelligerent filiū Dauid:  
 „ex eo quod intus intelligebant, intellige-  
 „rēt dominū Dauid. Mutauit ergo vultū  
 „suū corā Abimelech. Quid est ergo corā  
 „Abimelech? corā regno patris. Quid est  
 „corā regno patris? Corā Iudæis. Et dimi-  
 „sit eū & abiit. Quem dimisit? Ipsum popu-  
 „lū Iudæorū dimisit, & abiit. Quæris mo-  
 „dō Christū apud Iudæos, & non inuenis,  
 „Vnde dimisit, & abiit? Quia mutauit vul-  
 „tū suum. Hærentes enim illi sacrificio se-  
 „cundū ordinē Aaron, non tenuerunt sa-  
 „crificiū secundum ordinē Melchisedech:  
 „& amiserunt Christū, & cœperunt eū ha-  
 „bere gentes, quō nō miserat ante præco-  
 „nes. Nā ad illos præcones miserat ipsum  
 „Dauid, Abraham, Isaac & Iacob, Esaiam,  
 „Hieremiā & cæteros prophetas miserat,  
 „& pauci inde cognouerunt, & ipsi pauci,  
 „in cōparatione pereuntū, nā multi erāt.  
 „Milia enim legim⁹ fuisse. Scriptū est. Re-  
 „liquiæ salutis sicut. Sed quæris modō cir-  
 „cumcisos Christianos, & non inuenis: E-  
 „rāt autē de circūcisione recentioribus tē-  
 „poribus fidei multa milia Christianorū.  
 „Quæris modō, & nō inuenis. Meritō nō  
 „inuenis. Mutauit vultū suū corā Abime-  
 „lech, & dimisit eū, & abiit. Et corā Achis  
 „mutauit vultum suum, & dimisit eum  
 „& abiit. Ideō enim mutata sunt nomi-  
 „na, vt ad mysterij significationem nos ex-  
 „citaret mutatio nominū: ne putaremus,

non

„nō narrari aut cōmemorari in scripturis  
 „Psalmodum, nisi quod in libris regnorū  
 „gestū inuenitur, & non hic quæreremus  
 „figuras futurorum, sed tanquam res ge-  
 „stas acciperemus. Cū ergo nomina mu-  
 „tantur, quid tibi dicitur? Clausum est hic  
 „aliquid, pulsa noli hærec in litera, quia  
 „litera occidit: sed desiderā spūm: spirit⁹  
 „n. viuificat. Intellect⁹ spiritualis credentē  
 „saluum facit. Quō ergo dimisit Achis re-  
 „gem, attendite fratres. Achis dixi inter-  
 „pretari, quomodo est. Recordamini Eu-  
 „angelium: Quādo loquebatur dominus  
 „noster Iesus Christus de corpore suo, ait:  
 „Nisi quis manducauerit carnem meam,  
 „& biberit sanguinē meum, non habebit  
 „in se vitam æternam. Caro enim mea verē  
 „est esca, & sanguis meus verē potus est.  
 „Et discipuli eius qui cum sequebantur,  
 „expauerunt, & exhorruerunt sermonē:  
 „& non intelligentes, putauerunt nescio  
 „quid durum dicere dominum nostrum  
 „Iesum Christum, quōd carnem eius quā  
 „videbant, manducaturi erant, & sangui-  
 „nem bibituri, & non potuerunt tolera-  
 „re, quasi dicentes, quomodo est? Error  
 „enim & stultitia in persona regis Achis.  
 „Vbi enim dicitur, quomodo est, non in-  
 „telligitur, vbi non intelligitur, tenebræ  
 „ignorantiæ sunt. Erat ergo in illis regnū  
 „ignorantiæ, quasi rex Achis, id est, regnū  
 „erroris eis dominabatur. Ille autem di-  
 „cebat: Nisi quis manducauerit carnem  
 „meam, & biberit sanguinem meum:  
 „Quia vultum suum mutauerat: Quasi  
 „furor iste & insania videbatur, dare car-  
 „nem suam manducandam hominibus,  
 „& bibendum sanguinem. Ideō magis in-  
 „sanus putatus est Dauid: quando dixit i-  
 „pse Achis, arreptitum hunc mihi adduxi-  
 „stis. Nōne videtur insania, manducate  
 „carnem meam, & bibite sanguinem me-  
 „um: Et quicumq; non manducauerit car-  
 „nem meam, & non biberit sanguinem  
 „meum, non habebit in se vitam? Quasi  
 „in sanire videbatur. Sed regi Achis insa-  
 „niæ videbatur, id est, stultis & ignorantibus:  
 „ideō dimisit eos & abiit. Fugit corda  
 „corū intellectus, ne cum possint cōpre-  
 „hendere. Et quid dixerūt illi? Quasi quō  
 „est, quod interpretatur Achis. Dixerunt  
 „enim. Quomodo potest hic nobis dare  
 „manducare carnem suam? Arreptitum  
 „putabant dominū, & nescire quid loque-  
 „retur, & insanire. Ille autē qui nouerat qd

dicebat in illa mutatiōne vultus sui, &  
 „quasi furore & insania, sacramenta præ-  
 „dicabat: & affectabat, & tympanizabat  
 „ad ostia ciuitatis. Quærendū est quid sit,  
 „& ipse affectabat, & ostia tympanizabat.  
 „Nō sine causa dictū est, procidebat ad o-  
 „stia: non sine causa dictū est, & sa-  
 „liuæ decurrebant super barbam eius: nō  
 „frustra dicta sunt, sed indigent intelligē-  
 „tia. Diuturnus sermo onerosus esse non  
 „debet. Nostis, fratres, Iudæos ipsos, corā  
 „quibus ille mutauit vultum suum, & di-  
 „misit eos, & abiit, hodie vacare. Si illi qui  
 „Christū amiserūt, quos dimisit, & abiit,  
 „habent in anem vacationē: nos habemus  
 „fructuosam vacationē, vt intelligamus  
 „Christū qui illos dimisit, & venit ad nos.  
 „Omnia non frustra facta sunt: & in illo  
 „furore Dauid, quod dicitur, affectabat, &  
 „tympanizabat ad ostia ciuitatis, & fereba-  
 „tur in manib⁹ suis, & procidebat ad ostia  
 „portæ, & saliuæ decurrebant super barbā  
 „eius. Affectabat ille: Quid est affectabat?  
 „Affectū habebat. Quid est affectū habe-  
 „re? Quia cōpass⁹ est infirmitatib⁹ nostris:  
 „& ideō voluit ipsam carnē suscipere, in  
 „qua mortē occideret. Cōpassus ergo nō-  
 „bis, affectasse dictus est. Ideō reprehendit  
 „Aplūs eos, qd duri sunt, & sine affectu. Re-  
 „prehēdens enim quōsdā, ait: Sine affectu  
 „sine misericordia. Vbi misericordia est?  
 „Miseratus est nos de supernis. Si exinani-  
 „ri se nollet manēs in ea forma, in qua  
 „qualis erat Patri sempiternus, in morte  
 „remanissemus: sed vt nos de morte  
 „sempiterna liberaret, quo nos peccatum  
 „superbiæ perduxerat, humiliavit te, fact⁹  
 „subditus vsq; ad mortē, mortē autē cru-  
 „cis. Ergo affectauit, quia peruenit vsq; ad  
 „mortē crucis. Et quoniā qui crucifigitur,  
 „in ligno extenditur: vt autē tympanū fiat,  
 „caro est coriū, in ligno extenditur: Dictū  
 „est, & tympanizabat. i. crucifigebatur, in  
 „ligno extendebatur. Affectabat. i. affectū  
 „in nos habebat: vt animā suā poneret p  
 „ouibus suis. Tympanizabat. Quomodo?  
 „Ad ostia ciuitatis. Ostiū nobis est, quod  
 „aperitur, vt credam⁹ in Deū. Clauseram⁹  
 „ostia cōtra Christū, & aperuimus diabo-  
 „lo. Cōtra vitā æternā clausū cor habeba-  
 „mus, ille autē Dominus Deus noster, quia  
 „clausum cor habebam⁹ homines, aduer-  
 „sus vitā æternā, nec poteram⁹ videre ver-  
 „bum, quod vident angeli: cruce aperie-  
 „bat corda mortaliū, id est, tympanizabat,

„ad ostia ciuitatis. Et ferebatur in manibus suis. Hoc verò fratres, quomodo possit fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non inuenimus, in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis: quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus. Ad ipsam nos hortatur fratres, ut viuamus, id est, humilitatem ipsius imitemur, ut percutiamus Goliath & tenentes Christum, vincamus superbiam. Procidebat enim ad ostium portæ. Quid est, procidebat? Ad humilitatem se ipse deiciebat. Quid est ad ostia portæ? Ad initium fidei, quo salui efficiuntur. Nemo enim incipit, nisi ab initio fidei, sicut dicitur in Canticis canticorum: Venies & pertransies. Ab initio fidei venturi sumus facie ad faciem, sicut scriptum est: Dilectissimi filij Dei sumus & nōdum apparuit quod erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Videbimus. Quando? Cum ista transferint: Audi etiam Paulum Apostolum. Videamus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Antequam ergo videamus facie ad faciem verbum, quod videt angeli, opus nobis est adhuc ostijs portæ, ad quæ procidit dominus, humilians se vsq; ad mortem. Quid est quod saluæ decurrebāt super barbā eius? In hoc enim immutauit vultum suum coram Abimelech vel Achis, & dimisit eum & abiit, non intelligentes dimisit. Ad quos abiit? Ad gentes. Ergo nos intelligamus quod ipsi non potuerunt. Decurrebant super barbā David saluæ. Quid sunt saluæ? Quasi verba infantilia. Saluæ enim currunt infantibus. Nōne erant tanquam infantilia verba, māducate carnem meā, & bibite sanguinem meū? Sed ista infantilia verba tegebāt virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Saluæ igitur decurrentes super barbā eius, quid sunt nisi verba infirma virtutem eius tegentia?

**H**AEC Augustinus. Ex cuius verbis manifestum est, secundum litteram accipienda Christi verba esse, quæ in hoc 6. Ioan. cap. continetur de Christi edenda carne & sanguine potando, vti & ea verba cœnæ, quibus corpus se suū Apostolis tradere testabatur. Neque est quod ex obscuro aliquo B. Augustini textu quicquam illum his contrarium sensisse concludere conemur. Manifestiora enim hæc sunt, quam quæ vlla glossantium astutia vel subtilitate in alium peruertere sensum possint.

### S. Euthimius.

**S.** Euthimius Eremita Idem sentit scribens in 6. cap. Ioan. Panis, inquit, quem ego dabo caro mea. Duobus modis Christus dicitur esse panis: secundum diuinitatem videlicet & humanitatem. Postquam ergo docuit de modo, qui secundum diuinitatem est, nunc etiam docet de modo, qui est secundum humanitatem. Non autem dixit, quem dabo, sed quem dabo. Daturus namque erat in vltima cœna, quando sumptam panem a discipulis gratis fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Decurrant ergo Iudæi inter se, dicentes: Quo modo potest hic nobis dare carnem suam ad māduandum? Turbantur, non potentes sermoni credere, quod hoc impossibile videretur. Nā cum omnia secundum naturam inquirerent, nihil quod supra naturam erat, admittebant. Dixit ergo eis Iesus: Amen dico vobis, nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Illi quidem hoc impossibile iudicabant, ipse verò possibile ostendit omnino, neque id tantum, sed etiam necessarium, quod etiam fecit ad Nicodemum. Addit autem & de sanguine, significans & de pane & poculo, quæ (vt dictum est) daturus erat discipulis in vltima cœna. Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Verus est cibus, siue aptissimus, ut pote animam, quæ propriissima hominis pars est, nutrens: & similiter de sanguine. Aut hoc dixit confirmans, quod non ænigmaticè, neque parabolicè loquitur. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. In me manet, vnitur mihi per

trans-

transumptionem & communicationem meæ carnis meique sanguinis, & vnum corpus meum efficitur, ac particeps vite, quæ in me est. Quod si ille in me est, vti que & ego in illo. Si ergo videritis filium hominis ed ascendentem, vbi prius erat. Deficit, quid dicetis? Loquitur autem de futura in cœlum assumptione. Ascendentem, quoad humanitatem: vbi prius erat quod ad diuinitatem. Qui enim potest hanc carnem reddere cœlestem, potest vtiq; & ipsam hominum cibum efficiere.

### D. Chrysostomus.

**S.** Extum hoc caput, Ioannis Chrysostomus clarissimis verbis de corporis Christi sacramento intelligendum esse docet. Sic enim scribit hom. 44. in Ioan. Non propterea (inquit) Dominum manna non verum panem appellasse, quod falsum fuerit in manna miraculum, sed quod figura esset, non veritas, suum autem corpus, quod daturum se promiserat propter aduenientem ei spiritum, verè panem cœlestem effici.

**I**DEM hom. 45. ostendit, quam obrè necesse fuerit, vt ad Iudæos Dominus his vteretur verbis, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo mundi vita. Cum enim, inquit, Capharnatæ in petendo cibo instarent, & patribus suis datum memorarent, & manna tanquam magnum quiddam laudarent, Dominus ea diluere volēs, ait manna & alia eius generis mysteria, nō nisi figurā & vmbra fuisse, rerum autem veritatem præsentem adesse. Sed erat (inquit) dicendum: Patres vestri manducauerunt manna in deserto: ego autem vobis panem præbui æquè in deserto, septem panibus vos reficiens. Sed quia inter manna & cibum de terra petitem magna erat differentia, respondere illi poterat, quod ipse fecisset, minus hoc, quam illud esse: atque ita manna miraculum extulisset, suum de panibus depressisset. Cum igitur de cœlo cibum quærerent, de septem panibus tacens, panem cœli, quem ipse daturus esset, commemorat, & mysteriorum & sacramentorum corporis & sanguinis sui sermonem adducit, licet ea necdum caperent, vt attentiores eos redderet, & ad interrogandum quærendūque excitaret. Sed nihilominus illi abierunt

retro, cum tamen quem prophetam arbitrabantur, eius verbis credere debuissent. Non tamen duodecim discipuli, dempto Iuda, diffidebant, etianisi obscuriora erant, quæ hoc loco dicebat, quam quæ prius dixerat: vt, verbi gratia: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod enim propheta suscitasset interim mortuos, norant: quod autem carnem suam quisquam alijs edendam præbuerit, id verò necdum didicerant. Verumtamen persuasi sunt, & sequebantur, & habere eum verba vitæ confitebantur. Hoc discipuli est, quæ magister asserit, non curiosius inuestigare, sed audire & credere, & idoneum solutionis tempus expectare. At Capharnatæ abierunt retro propter stultitiam suam. Quando enim subit quæstio, quomodo aliquid fiat, simul subit & incredulitas. Ita & Nicodemus perturbatus est, dicens: Quomodo potest homo in venter matris suæ iteratō introire. Itidem & hi, nunc: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad māduandum? Nam si hoc inquiris, Iudæe, cur non idem in quinq; panum miraculo dixisti, quomodo eos in tantum auxit? Quia tunc saturari curabant tantum, non considerare miraculum. sed res ipsa tunc docuit, in quies. Ergo ex eo & hæc credere oportuit ei facilia factu esse. Propterea id prius fecit miraculum, vt per illud non essent amplius increduli his, quæ postmodum diceret. Illi quidem tunc temporis, nihil ex his dictis, nos ipsius beneficijs utilitatem cepimus.

**I**DEM homil. 46. in ea Domini verba, inquit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, scribit in hunc ferè modum: Etenim cum id fieri posse negarent non solum non impossibile, sed & necessarium asserit: hac quidem ratione, quod doceat hic Dominus, vt vitam possimus habere æternam, videlicet, manendo in ipso. Eius porro verba sunt: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ille viuet propter me: quasi dicat. Quando is, qui me manducat, in me manet, qui æternum viuo perinde vt pater: sequitur inde, vt qui me edit, ipse

se quoque uiuat in æternum.

DE INDE in ea uerba, durus est hic sermo, ita scribit: Quid ergo est, Durus est hic sermo? Nimirum difficilis intellectu, & quem capere non possit eorum imbecillitas, plenus formidinis. Putabatur enim cum supra uires suas loqui.

ITEM QV E exponens ea uerba, Spiritus est qui uiuificat, uult non secundum carnem, sed secundum spiritum Christi uerba audienda. Nihil enim carnale, nec ullam naturalem consequentiam habentia hic proponuntur, sed omni hac terrena necessitate, & huius uitæ legibus libera.

ITEM in ea uerba, Caro non prodest quicquam, hæc eius sunt commentaria: Non de ipsa carne sua dicit Dominus, Absit: sed de his qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur, nec longius prospiciunt, quæ externis possint oculis assequi, cum tamen mysteria hæc interioribus sint oculis consideranda, id est, spiritualiter: Qui non manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, non habet uitam in semetipso. Quomodo nihil prodest caro, sine qua nemo potest uiuere? Vide quod ea particula, Caro non prodest quicquam, non de ipsa carne, sed de carnali auditione dicta est.

IN eam quoque sententiam, Verba que loquutus sum uobis, spiritus sunt, de quo sic scribit: Doctrinam meam rerum consequentia & necessitati subiacere, ne arbitremini. Spiritalia terrenis legibus seruire non patiantur, quod & Paulus inquit: Ne dicas in corde tuo, Quis ascendit in cælum? hoc est Christum deducere. Vel quis descendit in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reuocare.

DENIQUE in eam, qua Petrus uisus est, orationem, Verba uitæ æternæ habes, ait Petrus, ea Christi uerba, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, de resurrectione rectè intellexisse, cum ipse Dominus dixerit: Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ideoque dixisse Petrum, Verba uitæ æternæ habes.

*Leo Papa.*

LEO Papa sermone 6. de ieiunio, primi mensis ubi contra hæresiarchas Nestorium & Eutychem, duas in Chri-

sto naturas, & unam indiuiduamque personam asserit, ita scribit: Tunc enim & sacrificij munda est oblatio, & misericordiae sancta largitio, quando iij, qui ista dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente Domino, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, sic sacre mensæ communicare debetis: ut nihil prorsus de ueritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis, amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur.

EVNDEM in modum scribit idem epistola 22. ad Clerum & plebem urbis Constantinopolitanæ, contra Eutychanos, ueritatem carnis in Christo negantes. In quibus isti, inquit, ignorantia tenebris, in quo hæcenus desidia torpore iacuerunt, ut nec auditu discerent, uel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis ueritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur: Quia in illa mystica distributione spiritualis alimonie hoc impartitur, hoc sumitur, ut accipientes uirtutem celestis cibi, in carne ipsius, qui caro nostra factus est, trans-

*Petrus Rauennas.*

Petrus Rauennas idem sentit sermone 67. ista Dominicæ præcationis uerba, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, interpretans: Coelestis pater, inquit, coelestem panem coelestes filij ut postulemus, hortatur. Ipse dixit: Ego sum panis, qui de cælo descendi. Ipse est panis, qui satus in uirgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, in ecclesijs conditus, illatus altaribus, coelestem cibum quotidie fidelibus subministrat.

ET sermone sequenti: Post coelestem regnum, ait, panem quis postulet temporalem? Sed quotidianum, & in diem uult nos in sacramento sui corporis, panis uiacij postulare, ut per hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam, ut uide hic gustum sumimus, inde ubi plenitudinem totaque satietates capiamus.

SER-

SER M. 70. sic habet: Post regnum cælestem, terrenum panem petere non iubemur, prohibente ipso, cum dicit: Nolite solliciti esse animæ uestræ quid manducetis, aut quid bibatis. Sed quia ipse est panis, qui de cælo descendit, petimus & precamur, ut ipsum panem, quo quotidie, id est, iugiter sumus in æternitate uiuui altaris sancti, ad uirtutem corporis mentisque, capiamus.

ET sermone 71. Christus, inquit, mandatis suis contraria non mandat. Ipse dixit: Nolite solliciti esse animæ uestræ quid manducetis, aut quid bibatis. Sed quia ipse est panis, qui de cælo descendit, qui legis & gratiæ mola aptatus est in farina, qui crucis confectus est passione, qui magnæ pietatis fermentatus est sacramento, qui conspersio leuamentum sustulit de sepulchro, qui ut diuinitatis suæ calore coqueretur, ipse clybanum decoxit inferni, qui ad coelestem cibum quotidianus Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit, & enutrit ad uitam: hunc panem quotidie donari nobis petimus, donec illo in die perpetuo perfruemur.

ITEM sermone 95. cum Lucas exponens locum, Et ingressus domum Pharisæi: Quam, inquit, domum? Nempe synagogam ingressus, accubuit. In synagoga fratres tunc accubuit, quando occubuit Christus: sed corpus suum Ecclesiæ transmissit ad mensam, ut esset coelestis caro manducaturis gentibus ad salutem. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quemadmodum autem manducatur caro Christi, quomodo bibatur & sanguis eius, norunt illi, qui sunt sacramentis coelestibus instituti.

SER M. 160. de conuersione aquæ in uinum, Ioan. 2. loquens: Hodie, inquit, Christus initium dat signorum coelestium, dum conuertit aquas in uinum: ut quem pater filium uoce iam probarat, ipse se Deum uirtutibus approbaret, qui elementa commutat, & naturam fecit ipsæ: qui contra naturam facere non laborat, aquam transfert in uinum, ut diuinitatis in uigore, naturam nostram proficiat hebetudo.

ET post pauca: Sed aqua in sanguinis

erat conuertenda mysterium, ut mera pocula de uase corporis sui Christus bibentibus propinaret, ut implet illud Prophetæ: Et calix meus inebrians quæ præclarus est.

ET sermone eodem extremo: Sed quia, ait, festiuitas ipsa ad mensam nos Domini, & calicis istius latitiam commouet iam venire, res amplas breui sermone ne sufficit conclusisse.

*Sanctus Prosper Episcopus  
Regiensis.*

PROSPER in prima parte de prædicationibus & promissionibus cap. 39. idem cum superioribus sentit. Consumptis, inquit, panibus, quos secum attulerat ex Aegypto, panem à Moysse murmurando poposcit, carnes enim desiderans Aegypti. Verum mediator ille Moyses panem eis & carnem oculis à Domino impetrauit. Iubetur populus manere panem, in uesperum carnes accipere. Sed hæc figuræ nostræ fuerunt. Panem illum sanctum qui de cælo descendit, suscepit primo populus manducandum, postea carnem Christi in passione confectam. De qua ipse Dominus dicit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis. Caro eius est, quam forma panis operam in sacramento accipimus & sanguis eius quem sub uini specie & sapore potamus.

*Damasceus.*

Adiatur etiam & Damasceus scribens lib. 4. Orthodoxæ fidei. Non est, inquit, figura, panis & uinum, corporis & sanguinis Christi: Absit enim hoc: Sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus, & non figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc, ipsis Iudæis: Quoniam nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam æternam. Caro mea uerus est cibus, & sanguis meus uerus est potus. Et rursus: Qui manducat me, uiuet. Proinde, omni cum timore & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis, quemadmodum credimus, non dubitantes, & ueneremur ipsum omni puritate animi & corporis. Accedamus eum desiderio ardenti: manus in-

CRU-

» crucis in odum formantes, crucifixi cor-  
 » pus suscipiamus. Et apponentes oculos,  
 » & labia, & frontem diuinum carbonem  
 » concipiamus, vt ignis in nobis (spirita-  
 » lis) desiderij, assumens ex eo carbone ig-  
 » nitionem, comburat peccata nostra, &  
 » illuminet corda nostra, & participatio-  
 » ne diuini ignis igniamur & deificemur.  
 » Carbonem vidit Esaias. Carbo autem  
 » simplex non est, sed vnitus igni. Sic pa-  
 » nis communionis, non panis simplex  
 » est, sed vnitus diuinitati. Et corpus vni-  
 » tum diuinitati, non vna ac eadem illi na-  
 » tura est, sed vna corporis, & vnitate diui-  
 » nitatis altera. Quare amborum simul  
 » non vna natura est, sed dua.

#### S. Fortunatus.

» S. Fortunatus Episcopus Pictauien. in  
 » orationem dominicam. Item, in-  
 » quit, panem nostrum quisquis ad veram  
 » salutem peruenire meruit, Christum ef-  
 » se panem vite perpetuae non ignorat,  
 » quia dixit: Ego sum panis viuus, qui de  
 » caelo descendi. Vnde iste panis non est  
 » communis cum reliquo, quia ille cor-  
 » pus protegit, iste nouit animas enutrire,  
 » & qui illum manducat, esurit, qui autem  
 » isto fruitur, nulla fame torquetur, & id-  
 » eò tantò magis iste cibus quaerendus est,  
 » quantò plus reficit epulatus. Quòd verò  
 » quotidianum panem petimus, hoc infi-  
 » nuare videtur, vt communionem cor-  
 » poris eius (si est possibile) omnibus reue-  
 » renter sumamus diebus, quia cum ipse  
 » vita nostra sit, à nutrimento nostro per-  
 » egrinos nos facimus, si ad Eucharistiam  
 » tardi accedamus.

#### Sanctus Victor Episcopus Cumanus.

» P. Atis, inquit, substantiam filium ef-  
 » se, prophetis iam olim designatū  
 » est oraculis, dicente Salomone: Substan-  
 » tiam enim & dulcedinem tuam, quam  
 » in filios habes, ostendebas. Quam in fi-  
 » gura & imagine panis coelestis, populo  
 » Israel coelitus apparet profluxisse. Quia  
 » ipse Dominus in Euangelio exposuit, di-  
 » cens: Non Moyses dedit vobis panem  
 » de caelo, se, vtiq; panem esse designans,  
 » cum dicit: Ego sum panis viuus, qui de  
 » caelo descendi. De quo etiam Propheta

David dicit: Panem angelorum manducauit homo.

#### S. Cassiodorus Senator.

» T. Ves, inquit, sacerdos in aeternum  
 » secundum ordinem Melchisedech. Cui  
 » enim potest veraciter & euidenter  
 » aptari, nisi Domino saluatori, qui cor-  
 » pus & sanguinem suum in panis & vini  
 » erogatione salubriter consecrauit, sicut  
 » ipse in Euangelio dixit, Nisi manducaue-  
 » ritis carnem filij hominis, & biberitis eius  
 » sanguinem, non habebitis vitam in vo-  
 » bis, scilicet aeternam. Sed in ista carne ac  
 » sanguine nihil cruentum, nihil corrupti-  
 » bile mens humana concipiat, ne sicut  
 » dicit Apostolus, qui Domini corpus in-  
 » dignè manducat, iudicium sibi mandu-  
 » cet. Sed viuificatricem substantiam, atq;  
 » salutarem, & ipsius verbi propriam fa-  
 » ctam, per quam peccatorum remissio, &  
 » aeternae vitae bona praestantur. Quem or-  
 » dinem per mysticam similitudinē Mel-  
 » chisedech iustissimus rex instituit, quan-  
 » do Domino panis & vini fructus obtu-  
 » lit. Constat enim pecudum victimas pe-  
 » rijse, quae fuerunt ordinis Aaron, & Mel-  
 » chisedech, manere potius institutū, qui  
 » toto orbe in sacramentorum erogatio-  
 » ne celebratur.

#### Theophilactus.

» Theophilactus in 6. c. Ioan. Manife-  
 » ste autem, inquit, nobis hoc loco  
 » de mystica communionem corporis sui  
 » dicit: Nam panis, inquit, quem ego da-  
 » bo, caro mea est, quae ego dabo pro mun-  
 » di vita. Porro potestatem suam indicās,  
 » quod vt non seruus, & minor patre cru-  
 » cifigendus sit, sed voluntariè, inquit, e-  
 » go dabo carnem meam pro mundi vita.  
 » Attende autem quod panis, qui à nobis,  
 » in mysterijs manducatur, non est tantū  
 » figuratio quaedam carnis Domini, sed i-  
 » pla caro Domini. Non enim dixit, panis,  
 » quem ego dabo, figura est carnis sed ca-  
 » ro mea est. Transformatur enim arcanis  
 » verbis panis ille per mysticam benedi-  
 » ctionem & accessionem sancti spiritus,  
 » in carnem Domini. Et ne quem contur-  
 » bet, quod credendus sit panis caro: ete-  
 » nim & in carne ambulante Domino, &  
 » ex pane alimoniam admittente, panis  
 » ille qui manducabatur, in corpus eius  
 » mutabatur, & similis fiebat sanctae eius,  
 » carni,

» carni, & in augmentum & sustentatio-  
 » nem conferebat iuxta humanū morem.  
 » Igitur & nunc panis in carnem Domini  
 » mutatur. Et quomodo, inquis, non appa-  
 » ret nobis caro, sed panis? Vt nō abhorre-  
 » amus ab eius esu: Nam si quidem caro  
 » apparuisset, in sua uiter affecti essemus er-  
 » ga cōmunionem. Nunc autē condescen-  
 » dente Domino nostrae infirmitati, talis  
 » apparet nobis mysticus cibus, qualibus  
 » alioquin assueti sumus. Decertabāt ergò  
 » Iudei intra se dicentes: Quomodo po-  
 » test hic nobis dare carnem suam ad edē-  
 » dum? Dixit eis Iesus: Amen amen dico  
 » vobis, nisi ederitis carnem filij hominis,  
 » & biberitis eius sanguinem, non habebi-  
 » tis vitam in vobis. Qui edit carnem me-  
 » am, & bibit sanguinem meum, habet vi-  
 » tam aeternam, & ego suscitabo eū in no-  
 » uissimo die. Caro enim mea verè est ci-  
 » bus, & sanguis meus verè est potus. Iudei  
 » cum audissent de esu carnis illius, discre-  
 » dunt. Ideò & incredulitatis verbum  
 » dicunt, quomodo. Nam quando cogi-  
 » tationes incredulitatis ingrediuntur in  
 » animam, ingreditur simul, quomodo.  
 » Propterea ipse volens hoc ostendere,  
 » quod non sit impossibile, sed etiam val-  
 » de necessarium, ait: Non potest aliter ha-  
 » beri vita, nisi mea carnē comedatis & e-  
 » ra. Ita & Nicodemus ex incredulitate dice-  
 » bat, Quomodo potest homo intrare in  
 » ventrem matris? Oportet igitur nos  
 » cum audierimus: Nisi ederitis carnem  
 » filij hominis, non habebitis vitam: in  
 » sumptionibus diuinorum mysteriorum  
 » indubitata retinere fidem, & non qua-  
 » rere quopactò: Nam animalis homo, id  
 » est, qui sequitur cogitationes humanas  
 » & animales siue naturales, non est capax  
 » eorum q̄ sunt super naturā & spiritualiū  
 » atq; ita & spiritualē esum carnis domini  
 » carē nō intelligit: cui q̄ nō sunt participes,  
 » nō erūt participes aeternae vitae, eò quod  
 » non susceperunt Iesum, qui est vita aeter-  
 » na. Nō enim nudi hominis caro est, quae  
 » manducatur, sed Dei, & quae deificare va-  
 » let, vt pote contempta Deitati. Ista et-  
 » iam verè est cibus, eò quod nō ad paruum  
 » tempus duret, neq; corrumpatur sicut  
 » corruptibilis cibus, sed vitæ aeternae sit  
 » subsidium. Similiter & potus sanguinis  
 » Domini verè est potus: quia non ad tem-  
 » pus sufficit siti, sed semper absq; siti con-  
 » seruat, neq; indigere permittit bibentē:

» sicut & ad Samaritanam dicebat: Qui bi-  
 » bit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet.  
 » Nam quisquis gratiam sancti spiritus per-  
 » sumptionem diuinorum mysteriorum  
 » susceperit, neq; famem spiritualem, ne-  
 » que sitim patietur, qualē increduli. Qui  
 » edit meam carnē, & bibit meum sangui-  
 » nē, in me manet & ego in illo, sicut misit  
 » me viuens pater, ita & ego vino propter  
 » patrē. Et qui ederit me, & ipse viuet pro-  
 » pter me. Hic est panis, qui de caelo descē-  
 » dit, non sicut comederunt patres vestri  
 » manna & mortui sunt, qui edit hunc pa-  
 » nē, viuet in aeternū. Hoc loco discimus sa-  
 » cramentū cōmunionis. Nam qui edit &  
 » bibit carnē & sanguinē Domini, in ipso  
 » manet Domino, & Dominus in ipso. Cō-  
 » temperatio enim fit noua & super ratio-  
 » nē, ita vt sit Deus in nobis, & nos in Deo.  
 » Non audis terribilē auditum, nō Deum  
 » nudū māducamus: Tangi enim nequit,  
 » & in corpore est, & neq; oculis, neq; ma-  
 » nibus apprehēdi potest. Iterum nudi ho-  
 » minis caro nihil pdesse potest, sed quia  
 » Deus vniuit sibi carnem secundum inef-  
 » fabilem temperationē, viuifica est caro,  
 » non quod in Dei naturam transferit, ab-  
 » sit, sed ad similitudinem candentis ferri,  
 » quod & ferrū manet, & ignis ostendit o-  
 » perationē. Sic igitur & Domini caro ma-  
 » nens caro, viuifica est, sicut caro Dei.

#### Paschasius.

» Paschasius Corbientis li. de corpore  
 » & sanguine Domini in sacramento  
 » Eucharistiae. Neq; sic, inquit, condidit o-  
 » mniū artifex Deus rerū naturas, vt suum  
 » velle ab eis auferret: quia omniū creatu-  
 » rarū subsistētia in eadē Dei volūate sub-  
 » sistit & virtute, à qua causā habet, nō solū  
 » vt subsistat quicquid est, sed etiā vt sic sit,  
 » sicut ipsa Dei volūtas decreuerit, quae cau-  
 » sa est omniū creaturarū. Alioqn nec sub-  
 » sisteret vlla creaturarū existētia, nisi in e-  
 » ius volūate, à quo toti⁹ eius esse manat.  
 » Et ideò natura creature quoties mutatur,  
 » aut augetur, vel subtrahitur, non ab illo  
 » esse diuertitur in quo est: quia sic est, & sic  
 » fit, vt ille decernit à quo est. Pater igitur  
 » q̄ nihil extra vel contra Dei voluntatē  
 » potest, sed cedūt illi omnino omnia. Et  
 » ideò nullus moueatur de hoc corpore  
 » Christi & sanguine, quod in mysterio ve-  
 » ra sit caro, & verus sit sanguis: dum sic  
 » ille voluit, qui creauit. Omnia enim,  
 » quae

quæcunq; voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra. Et quia voluit, licet figura panis & vini hic sit, tamen omnino nihil aliud, quam caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt. Vnde ipsa veritas ad discipulos, hæc inquit, caro mea est pro mundi vita. Et, vt admirabilius loquar, non alia planè quæ nata est de Maria, & passa in cruce & resurrexit de sepulchro. Hæc, inquam, ipsa est, & idèd Christi caro est, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur. Et cum dignè percipitur, vita vtiq; in nobis æterna reparatur. Quod si minus alicui quod dicimus, credibile videtur, attendat vniuersa veteris aë noui testamenti miracula, quæ contra naturæ ordinem ob fidei firmitatem à Deo gesta sunt: & videbit luce clarius, quod nihil impossibile sit Deo, dum omnium esse Dei voluntas est, & quicquid Deus voluerit, hoc singula fiunt. At verò si quis ista non credit, si vidisset Christum in cruce, in specie serui, quomodo Deum illum intelligeret, nisi per fidem prius credidisset? Ita & in hoc corpore, vbi species alia monstratur, quomodo carnem Christi videat, nisi per fidem veracius credat? Cogitet ergò si mare rubrum olim habuit in natura diuidèdi se, vt populus per medium sic vestigio transiret, aut si habuit omnis illa Aegyptiorum aqua ex se, licet per Moysen, vim conuertendi se in sanguinem. An in voluntate Dei fuit, vt impius os permulceret ad fidem, & monstraret in specie coloris eius, quod omnis eorū doctrina & morum aspersio versa esset in sanguinem? Deinde in Euangelio, si aqua perhausta de fonte habuit potentiam se in vini demurandi saporem? Et vt de innumeris pauca commemorem, habuit ignis ille Babylonis, vbi tres pueri missi sunt, per naturam ne caleret? An in voluntate Dei fuit, vt fieret tanquam spiritus roris flantis, vt refrigerium magis, quam incendium præstaret sanctis? Cogitet ergò quisq;, panes illi in eremo quinque aut septem, si habuerunt substantialiter ex se, vt tot homines satiant, deinde vt tot sportas implerent, an in gratia Dei fuit, quod factum est creantibus omnia? Minuendo enim multiplicabantur: Nec non & Maria virgo habuit, vt virgo pareret sine coitu DEVM, an in virtute DEI? Et vt apertius dicam,

caro nostra vel cæterorum animalium nunquid nō terra? Imò terra, quia dictū est: terra es & in terrā ibis. Quamuis ergò terra vera caro est, licet corruptibilis, quæ si seruauerit, iura legis, & mandatorum Dei præcepta, vestiatur adhuc immortalitate, per ista quæ exponimus, & quamuis caro, tamen incorruptibilis erit. Quæ velim diligenter attendas o homo, & tūm per omnia quæcunq; natura liter videntur esse, vel quæ contra naturam facta leguntur ab initio creaturæ, e nucleatius obsecro considera, vtrum ex sese, in sua natura fiant singula, vel quæ demutantur in aliud, quod non erant, vtrum per ordinem sui iuris vt sint mirabilia, aut certè, quod magis fatebere, & illa quæ sunt quasi naturalia, & ista quæ quasi contra naturam veniunt, prorsus omnia in voluntate Dei esse, & in sapientia singula pro vtilitate rationabilium procreari. Et idèd causam omnium existentium, voluntatem Dei rectè fatemur. Nec immeritò, quoniam voluisse eius, fecisse fuit. Vnde quotiescumque aliquid fit ex aliquo, virtute voluntatis sit: & in sapientia eius qualiter fiat, præparatur. Neque igitur voluntas eius sine virtute, neque virtus sine sapientia quicquam efficit. Quia ergò voluntas Dei, virtus & sapientia est, idèd quicquid vult, ita fit vt vult, & in nullo fallitur: quia in sapientia sua omnia vult, imò ipsa sapientia eius voluntas est, & propterea nihil mali, nihil quod non possit, vult. Vnde quia sic voluit, vt caro eius esset & sanguis hoc mysterium, in nullo dubites, si Deū credis: sed vera fide habeas in animo, quod hæc est caro illa quæ oblata est pro mundi vita: quam qui dignè comederit, mortem non videbit in æternum. Nihil enim Christus Ecclesiæ suæ maius aliquid in mysterio reliquit, quam hoc, & Baptismi sacramentum, nec non & scripturas sanctas: in quibus omnibus spiritus sanctus, qui pignus totius ecclesiæ est, interius mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur. Vnde nec mirū si spiritus sanctus, qui hominem Christū, in utero virginis sine semine creauit, etiam ipse panis ac vini substantiam, carnem Christi & sanguinem inuisibili quotidie, potètia, per sacramenti sui sanctificationem operatur, quamuis nec visū exterius, nec gustu saporis comprehendatur.

Sed

Sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu pro certo, sicut veritas prædixit, plenissime sumuntur. Quod in veritate corpus & sanguis fiat consecratione mysterij: nemo qui verbis diuinis credit, dubitat. Vnde veritas ait: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Et vt discipulis non rectè intelligentibus claresceret, de qua dicebat carne, vel de quo sanguine, manifestas insinuat: Qui manducat meam carnem, inquit, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ergò si verè est cibus, & vera caro: & si verè est potus, vtiq; & verus sanguis. Alioquin quomodo verum erit quod dicit, Panis quem ego dederò, caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro: Vtiq; & verus panis, panis qui de cœlo descendit. Sed quia Christum vorari fas dentibus nō est, voluit in mysterio hūc panem & vinū verè carnem suam & sanguinem cōsecratione spiritus sancti potentialiter creari, creando verò quotidie pro mundi vita mysticè immolari, vt sicut de virgine per spiritum vera caro sine coitu creatur: ita per eundem ex substantia panis ac vini mysticè idem corpus Christi & sanguis consecretur. De qua videlicet carne ac sanguine: Amen, amen, inquit, dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vbi profectò non aliam quam veram carnem dicit, & verum sanguinem, licet mysticè. Vnde quia mysticum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus. Sed si figura est, quærendum quomodo veritas esse possit. Omnis enim figura, alicuius rei figura est, & temper ad eum refertur, vt sit res vera, cuius figura est. Nam figuras veteris testamenti vmbra fuisse, nemo qui sacras literas legit, ambigit. Hoc verò mysterium, aut veritas est, aut figura, ac per hoc vmbra est: aut certè quærendum est hoc totum: vtrum veritas dici queat, sine falsitatis vmbra, quamuis mysterium huiusmodi res appellari debeat. Sed figura esse videtur, dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quam quod visu carnis & gustu sentitur, deniq; sanguis in calice miscetur simul cū aqua. Porro illud fidei sacramētū iure veritas appellatur. Veritas ergò dum corpus Christi & san-

guis virtute spūs in verbo ipsius, ex panis viniq; substantia efficitur: figura verò, dum sacerdos quasi aliud exterius gerens, ob recordationem sacræ passionis ad aram venit, & quod semel gestum est, quotidie immolatur agnus.

## D. Bernardus.

D. Bernardus in sermone de cœna Domini. A fidei, inquit, ministro Christi (bono videlicet sacerdote) vitulus saginatus, integer ac perfectus, agnus anniculus, plenus & immaculatus, cum omni suauitate, dulcissimo sapore, gratissima iucunditate percipitur, & sumptus non consumitur. Cibus enim vitæ est, qui de cœlo descendit. Potestne æstimate mare quale vel quantum hoc sanctum sanctorum, & sacramentum sanctorum, amor amorum, & dulcedo omnium dulcedinum? Hæc sunt verè festa paschalia, hæc sunt gaudia & fercula vitalia iustorum, hæc sunt spirituales delicia iustorum & sanctorum. Hic libantur in loco vberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis. Hic efficitur vna caro sponsa cum sponso, vnus spiritus sancta anima cum Christo. Experientia horum & similibum, spiritus & vita est: nec animalis homo horum sensu fruatur vel accessu. Amici sponsi, id est, boni Episcopi, boni Abbates, & ceteri timorati & religiosi viri, gustauerunt, & plenissime sunt experti, quod nos dicimus. Ideoque ad mensam altaris frequentius accedunt, omni tempore candida facientes vestimenta sua, id est, coram se in vini demurandi saporem? Et vt de innumeris pauca commemorem, habuit ignis ille Babylonis, vbi tres pueri missi sunt, per naturam ne caleret? An in voluntate Dei fuit, vt fieret tanquam spiritus roris flantis, vt refrigerium magis, quam incendium præstaret sanctis? Cogitet ergò quisq;, panes illi in eremo quinque aut septem, si habuerunt substantialiter ex se, vt tot homines satiant, deinde vt tot sportas implerent, an in gratia Dei fuit, quod factum est creantibus omnia? Minuendo enim multiplicabantur: Nec non & Maria virgo habuit, vt virgo pareret sine coitu DEVM, an in virtute DEI? Et vt apertius dicam,

Postea Dominum fatir his verbis quælibet è nobis compellantem: Hostia quæ vides iam non est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis: virtus hoc facit, non virtus: effectus est potentia, non virtus natura: dignatio est, non ratio. Hic pereat physcale nutrimentum. Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ conferendam. Iste est panis angelorum, qui nescit putrescere, non vadit in secessum, sed tendit in excelsum: illuc,

K re-

reducit hominem, unde traxit imaginē. Caro autem mea verè est cibus. Similiter liquor iste quem vides, iam non est vinū, sed sanguis meus, quē pro te fudi in pretium, tibi reseruās in altari poculum, in peregrinatione tua praesidium, in exitu de Aegypto conductum, in caelo viaticū. Ego borrius carnis, pro salute tua portatus sum ad torcular crucis: inde eliqua tum est mustum tuae redemptionis. Sanguis autem meus verè est potus. Mira sunt fratres, quae de sacramento isto dicuntur. Fides est necessaria, scientia rationis superuacua. Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non iuuētum putet incredibile, aut repertū nō credat singulare. Et idē credi oportet simpliciter, quā inuestigari non potest vtiliter. Nolite itaque, nolite quærere quomodo fiat, nolite te dubitare vtrum fiat: nolite irreuerenter accedere, ne vobis ad mortē fiat. Deus enim est: & quanquam panis mysteria habeat, mutatur tamen in carnem. Deus & homo est, qui testatur veraciter panem fieri carnem suam. Vas est electio nis, qui minatur iudicium non diiudicanti tam sanctam carnem. Idipsum, o Christiane, de vino sentias, id honores in vino. Creator vini est, qui vinum prouehit in sanguinem Christi. Item, quemadmodum enim illic species videntur, quorum res vel substantiae ibi esse non creduntur: sic res veraciter & substantialiter creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & vini: & substantia panis & vini non creditur: creditur autē substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur.

ET post pauca idem: Tria, inquit, quippe in sacramento altaris attendere debes: speciem panis, veritatem carnis, virtutē gratiae spiritualis. Vsq; ad speciem panis sensus pertingit exterior, ad carnis veritatem fides interior, ad virtutem gratiae spiritualis, charitas superior. Speciem panis rodit aliquando forex paruius, veritatem carnis Christianus recipit etiā pefsimus, virtutem gratiae spiritualis, nō nisi praedestinatus recipit. Quod itaque videmus, species est panis & vini: quod autem & verus Christi sanguis, quod pependit in cruce, & qui fluxit de latere. Comestio itaque sacramentalis, quantum ad visibilem speciem, & quantum ad corporis Christi

veritatem, conuenit bonis & malis comunitur. Sed est alia comestio, sicut iam diximus, bonorum solummodo, quam per Dei gratiam, & fidē ex dilectione operantē, vitam meritū efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium, intercedente spiritali & subtiliori quadam vnione capitis & membrorum. Vnde est istud: Vt nobis fiat corpus & sanguis filij tui. Nobis, inquit, fiat. fit enim pcul dubid corpus Domini in mensa altaris semper, cum solenne illud celebratur mysteriū ritu debito: sed nō semper eis fit, per quos fit. Vnde illud itē in canone: vt quotquot ex hac altaris participatione Sacramentū filij tui sumptimus, omni benedictione caelestis & gratia repleamur.

#### Gilbertus Abbas.

Gilbertus Abbas ordinis Cisterciensis, qui piissimos Bernardi in Cantica sermones, ab eo loco, vbi mortē praeventus ille desijt, porrō psecutus est, pulcherrimam habet serm. 7. in Cantica de hoc sacramento sententiā, ex qua dictum 6. D. Ioan. ca. de corporis Christi sacramento cum intellexisse manifeste colligitur. Isigitur in ea verba Esa. 43. Ne memineris priorum, nota ego facio: scribit hoc pacto: Quid est, inquit, magis nouū, quā quod in mysterio, id est, sacramento, Domini corpus mutatur, materies & species seruat? Pristina manet forma, sed noua gratia, quia noua substantia. Noua quidem non in se, sed in huiusmodi specie. Nouū planē quod carnis Dominicae substantia, in aliena specie sumpta, sanctificationis virtutem animae confert, & spiritalē emūdat substantiā in mysterio altaris immaculata caro. Nouum quidē, & supra reliquorum vsum sacramentorum, quod nō modō sanctificationis noua gratia datur, sed substantia naturalis mutatur. Nam per sacramenti benedictionē accipit oblatas panis hanc ineffabilem mutationē, & ex mystica consecratione, & verbi viuētis copulatione haec viuificatrix gratia in carne Christi redūdat. Caro enim non prodest quicquid, sed spiritus est qui viuificat, sacrosanctae carni conferēs in solenni sacramento spiritalē efficaciam ad viuificandos tāti participes mysterij.

#### S. Isidorus.

S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, lib. 1. de offi. Eccles. cap. 18. Sacrificium,

autem, inquit, quod à Christianis Deo offertur, primum Christus Dominus noster & Magister instituit, quando commendauit Apostolis corpus & sanguinem suum priusquam traderetur, sic & legitur in Euangelio: Accipit, inquit, Iesus panem & calicem, & benedicens dedit eis. Quod quidem sacramentum Melchisedec rex Salem figuraliter in typum corporis & sanguinis Christi primus obtulit, primusque mysterium tanti sacrificij imaginariē idem expressit, praefrens similitudinem Domini & saluatoris nostri Iesu Christi Sacerdotis aeterni, ad quem dicitur, Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec. Hoc ergo sacrificium Christianis celebrare praecceptum est, relictis ac finitis Iudaicis victimis, quae in seruitute veteris populi celebrari imperatae sunt. Hoc itaque fit à nobis, quod pro nobis ipse Dominus fecit, quod non manē sed postea, in vesperum enim obtulit. Sic enim Christum oportebat id implere circa vesperam diei, vt Dominus ipsa hora sacrificij ostenderet vesperam mundi. Proinde autem non communicauerunt ieiuni Apostoli, necesse erat, vt pascha illud typicum antea impleteretur, & sic denud ad verū Paschae sacramentum tranfirent. Hoc enim mysterium tunc factū est, quod primum Discipuli corpus & sanguinem Domini nostri non acceperunt ieiuni, ab vniuersa autem Ecclesia nūc à ieiuniis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honore tanti sacramenti in os Christiani ieiuni prius Dominicum corpus intraret, quam caeteri cibi: & idē per vniuersum orbē mos ille seruat. Panis enim, quem frangimus, corpus Christi est, qui dicit, Ego sum panis viuus, qui de caelo descendi. Vinum autem sanguis eius est. Haec autem duo sunt visibilia, sanctificata tamen per spiritum sanctum in sacramentum diuini corporis transeunt.

#### VValafridus Strabo.

VValafridus Strabo, Abbas, lib. de rebus Ecclesiasticis scribit in hūc modum: Igitur ait, cum ipse filius Dei dicat: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: ita intelligendum est, cadē redemptionis nostrae mysteria, & ve-

rè esse corpus & sanguinem Domini vt illius vnitatis perfectae, quam cum capite nostro, iam spe, postea re, tenebimus pignora, credere debemus. Inde & sacramenta à sanctificatione vel secreta virtute dicuntur. Vnde etiam criminū feditate capitalium, à membris Christi deuiantes, ab ipsis sacramentis, ecclesiastico suspenduntur iudicio. Qui enim corpus & sanguinem Domini dignè manducat & bibit, designat se esse in Deo, & Deum in eo: Qui verò medicinam vel non habet, vel ea indignè vtitur, longè se à medico esse, languendo testatur. Nō enim mentitur, qui dicit, Nō manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

#### Remigius Episcopus.

Remigius Episcopus in Canonem Missae sic scribit: Si in veritate inquit, corpus Christi est, quare appellatur mysterium? Propterea vti que quia post consecrationem aliud est, & aliud videtur. Videtur siquidem panis & vinum, sed in veritate corpus Christi est & sanguis. Consulens ergo omnipotens Deus in firmitati nostrae, qui vsum non habemus comedere carnem crudam, & bibere sanguinem, facit vt in pristina remaneant forma illa duo munera, & est in veritate corpus Christi & sanguis, sicut ipse dixit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus, verè est potus.

#### Cyrillus.

Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, Catechesi mystagogica 4. Haec ait, beati Pauli doctrina satis potest efficere, vos certissimos de diuinis mysterijs, quae vobis donata sunt, qui facti estis corporis & sanguinis participes. Ille enim modo clamabat, quod nocte qua Dominus noster Iesus Christus tradebatur, accepit panem, & gratias agens dedit discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, agens gratias, dixit: Hic est sanguis meus: quis (inquam) dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galileae, sola voluntate: & nō erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transf-



mutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus, stupendum miraculum operatus est, & non multo magis corpus & sanguinem suum filijs sponsi dedisse illi consistebimur? Quare omni cum certitudine, corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis: ut sumpto corpore, & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. Sic christophori erimus, id est, Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinem in membra nostra recepimus: atque ita, ut beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ confortes efficiemur. Olim Christus cum Iudæis differens, dicebat; Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Illi verò non audientes ea secundum spiritum, scandalisati abierunt retrò, eò quod existimarent se se ad humanarum carniarum esum incitari. Erant & in veteri testamento panes propositionis, sed illi ad legem veterem pertinentes, finem adepti sunt. At in lege noua panis coelestis, poculumque salutis animam & corpus sanctificant. Sicut enim panis corpori, sic & verbum animæ conuenit. Ne ergo consideres tantam panem nudum, & vinum nudum: corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet. Ne ex gustu rem iudices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem. Explicat hanc vim David, his verbis: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulāt me: Quod hic dicit, tale quiddam est. Ante tuum Domine aduentum, dæmones hominibus mensam pollutā, & diabolica cõtaminatam facultate parabant: sed postea quam tu aduenisti, parasti in conspectu meo mensam. Quid aliud significat, nisi mysticā illam & spiritualem mensam, quam Deus nobis proposuit, aduersariam illi quæ nobis antea parabatur? A dæmonibus communionem habebat, hæc cum Deo habet. Impinguasti in oleo caput meum. Impinguauit tuum caput in fronte per signaculum Dei. Et calix tuus inebrians me quā præclarus est? Vidēs hic dici de calice, quem accipiens IESVS, gratias egit &

dixit, Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. (Et post pauca) Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiam si gustus panem esse sentiat: sed esse corpus Christi. Et vinum quod à nobis conspicitur, tamen si sensus gustus vinum esse videatur: non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi. Et quia de hoc dixerat olim David in Psalmo, Panis cor hominis confirmet, ut exhilaret faciem in oleo. Confirma cor tuum participans de hoc pane, ut spiritali: & exhilara faciem tuam.

*S. Fulbert. Episc. Carnoten.*

Quia inquit, corpus suū, quod semel, pro nobis offerebat in precium, paulò post à nostris visibus sublaturus fuerat in cælum: ne sublato corporis fraudemur presenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante spiritu sancto, CHRISTI corpus verum, quod quotidiana veneratione sub visibilis creaturæ forma, inuisibiliter virtus, secreta in sacris solemnibus operatur. De quo sub hora passionis suæ, ipse familiaribus suis ait, Hoc est corpus meum; Et paulò post, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis fundetur. Et alibi: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Qua veri magistri autoritate animati, dum corpori & sanguini eius, communicamus, audenter fatemur, nos in corpus illius transfundi, & ipsum in nobis manere. In nobis ipsum manere, dico, non solum per concordiam voluntatis, sed per naturæ vnitæ veritatem.

*Lanfrancus Archiepiscop. Cantuariensis.*

VM diuina, inquit, pagina corpus, Domini panem vocat, sacrata ac mystica loquutione id agit, seu quoniam ex pane conficitur, eiusque nonnullas retinet qualitates, seu quia animam incomprehensibiliter pascendo sariat, eique æternæ vitæ substantiam subministrat: vel quod corpus est filij Dei, qui est panis

panis angelorum; & in quem, sicut ait princeps Apostolorum, desiderant angelis prospicere: seu alio aliquo modo, qui à Doctoribus comprehendere potest. Cõstitur enim Ecclesia toto retrarum orbe diffusa, panem & vinum ad sacramentum proponi in altari, sed inter sacramentum dum incomprehensibiliter & ineffabiliter in substantiam carnis & sanguinis commutari. Non tamen panem negat, imò confirmat. Sed panem qui de cælo descendit, & dat vitam mundo: panem quem Augustinus & Ambrosius eisdem verbis vocant epioiusion, id est, super substantialem: quia caro Christi omnibus creatis substantijs maior existit, omnes creaturas excellentissima dignitate præcellit. Vinum quoque non qualecunque, sed hominū, non quidem omnium, sed seruorum Dei corda latificat, quod animas inebriat, & à peccatis purgat. Quoniam modo panis efficiatur, caro videtur quæ conuertatur in sanguinem, virtusque essentialiter mutata natura, iustus, qui ex fide viuunt, scrutari argumentis, & concipere ratione non quærit; Mult enim coelestibus mysterijs nunc fidem adhibere, ut ad fidei præmia quantum valeat peruenire; quam fide omnia in comprehendendis ijs, quæ comprehendendi non possunt, superuacue laborare, sciens scriptum esse: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre tuis oculis: diuina tamen potentia mirabiliter operante fieri posse concedit.

*Adelmannus Episcopus Briximensis.*

OSTRI illi patres (loquitur de S. Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & alijs Ecclesiæ doctoribus antiquis) humiles corde, ac pauperes spiritu, pro quibus saluator patrem glorificat hoc modo: Cõfiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, reuelasti ea paruulis. Ideò veraces sunt, quia participauerunt, & coheruerunt illi, qui ait: Ego sum via veritas & vita. De quo etiam intus didi-

cerunt, quod de sacramento hoc de quo agimus, foris docuerunt. Audierunt enim eum de seipso in Evangelio prædicentem; Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit de hoc pane, viuet in æternum. Et: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Dabo, inquit, non ait, dedi. Quando coepit dare? Quando? Pridie quam pateretur, accepit panem, & eleuatis oculis in cælum, gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Similiter & calicem postquam coenauit, dicens; Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quis hoc ita esse non credit: nisi qui aut CHRISTO non credit, aut ipsum hoc dixisse non credit. Sed de incredulis nihil ad nos.

*S. Anselmus.*

Sicut enim exigit necessitas salutis humana, ut adsit ubi opus est: Sic etiā exigit, ut sic adsit corpus eius, sicut opus est. Iam enim non est necessaria nobis, illa manifesta eius præsentia, qua hic cū hominibus conuersatus est CHRISTVS, cum natura nostra morte fuit redimenda, in quo solo innocentem se inuenit: & cum aliter crucifigi non posset, nisi ex infirmitate, & nisi in manifestatione carnis, & distinctione membrorum exhiberet se talem, qui crucifigi posset, necessaria nobis tamen est præsentia eius; eò modo quo eam necessariam ipsa veritas testata est, dicens: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis manentem. Oportet igitur nos carnem Christi manducare, si vitam in nobis manentem volumus habere. Nam caro eius vere est cibus, & sanguis eius vere est potus. Oportebat autem, ut sicut cum necessaria fuit nobis visibilis illius præsentia, inuisibile in suis, visibile factum est in nostris (verbum enim caro factum est) sic cum res exigit salutis nostræ, ut manducetur caro eius, quod non est caro ipsa in natura sua, fiat in aliena manducabilis, quod in nullis rebus aptius fieri potuit, quam in eis, quæ inter omnia humani corporis victualia, quodam-

modo tenent principatum, quæ sunt panis & vinum. Nam etiam ad literam præ cunctis cibis cor hominis confirmat panis, & vinum lætificat. Quæ igitur dignatione & pietate dignus est, in humeros suos leuare ouem perditam, id est, in vnitatem suæ personæ assumere corruptam nostram naturam: eadem pietate & dignatione nunc terrenam substantiam panis suscipiens, in virtute diuinæ potentia, cui in omnibus & per omnia subest, cum voluerit, posse transferat in veritatem carnis suæ. Cum vero mutat naturam in naturam, substantiam in substantiam, corpus in corpus: hoc solum de eo immutatum, in eo in quod mutatum est, facit superesse, quod res exigebat, scilicet, vt cum panis substantiam in illam transferit substantiam, quæ sedet in dextera patris, de qualitate prioris substantiæ hoc sibi vendicat: vt secundum mysterij ritum, tractabile fiat & gustabile ex illa natura, quod non erat ex sua. Sed contra omnem secularis philosophiæ rationem & intellectum mutata panis substantia in aliam substantiam, ad quoddam mysterij obsequium quædam accidentia, quæ illi inhærebant sic transfuit non mutata: vt corpus Domini, licet albedo adsit, non faciat album, nec rotunditas rotundum. Sed exterius seruiencia ad corpus Domini quodam modo obtegendum, quod in forma & natura sua verè persistit, vnum quiddam, quod panis inerat naturaliter, & non inerat corpori Domini, & inesse illi exigebat res sacramenti, vt supra tetigimus, sui obsequio in illud faciat transire: vt verè fiat secundum ritum mysterij, tractabile & gustabile, quod non erat in qualitate naturæ suæ.

#### Algerus.

Algerus Cluniacensis, libro de veritate corporis & sanguinis in Eucharistia. Notandum est, inquit, cum diuina pagina corpus Domini panem vocat, non substantialiter, sed mysticè & figuratè dici: vel quia ex eo conficitur, eiusque nonnullas retinet qualitates: vel quoniam animam pascit, eiusque vitæ æternæ ministrat substantiam: vel quoniam panis est angelorum. Solent enim scripturæ quaslibet vocare nominibus

illarum rerum, ex quibus fiunt: vt cum dicitur homini, quid superbis terra & cinis, cum homo non sit cinis, sed ex cinere factus: seu quæ putantur esse & non sunt, vt cum legitur Abraham vidisse tres viros, cum essent angeli: seu quibus similes aliquo modo existunt, vt cum Deus dicitur Leo propter fortitudinem. Sic igitur corpus Domini panis vocatur, vel quia, vt dictum est, ex pane conficitur: vel quia inuentum oculis, cum sit caro, panis videtur: vel eadem similitudine, qua sicut panis materialis carnem, sic ipse spiritalis alit mentem. Si enim panis omnino ita mutetur in corpus CHRISTI, vt nihil ex ipso superfit vel appareat, aut si quod apparet, non verum, sed phantasticum fiat, rationi videtur contrarium. Si enim panem mutato nihil visibile reseruaretur, minueretur fidei meritum, vel pro euidenti miraculo, quia in consecratione sacramenti, panis omnino euanesceret: vel quia obliuione sopita, fidei deuotio torperet, cum in tanto mysterio signum aliud quod, vnde memoria admoneretur, non superesset. Non enim superesset aliud quod visibile, circa quod mystica passionis signa, & crucifixionis CHRISTI in Missa possent celebrari, nec vnde in perceptione corporis & sanguinis eius, incorporationis suæ, & nostræ mysteria compleri, vel infirmis viaticum dari, nec coetera quæ visibiliter & salubriter per ipsum in sancta Ecclesia fiunt, possent administrari. Non enim frustra dixit Dominus: Hoc facite in meam commemorationem. Sacramentum exhibens, sicut verum fidei, sic verè visibile, excitandæ commemorationi, vt quod fidei certum est, mentem pascat: quod visui certum est, deuotionem accendat. Quia enim illum secundum carnem celos oportuit penetrare, vt illuc confidentius tenderemus: reliquit nobis carnalibus, huius sacramenti visibilem figuram, & characterem carnis & sanguinis sui, vt suæ passionis memoria incitanti constantius hoc faceremus. Item si elementa omnino mutarentur in CHRISTI carnem: nihil amplius esset Christi caro, quam modo est. Sed & si propria species humana carnis, corporaliter appareret: nihilominus spiritalis crederetur, quam creditur & est. Et quid prodesset

desset videre eum in propria specie humana carnis, qui tamen credendus esset verè habere spiritualem speciem resurrectionis? Minueretur fidei meritum pro tam manifesto veritatis experimento: vel impediretur perceptionis eius commoditas, pro humani corporis comedendi horrore injecto. Sed quia de consecratione sacramenti dictum est: quomodo sacramentum corporis CHRISTI ab alijs differat sacramentis, vel quomodo conueniat, videamus. Cætera enim sacramenta noui testamenti, & veteris figuræ tantum fuerunt, nec aliquæ species eorum, vt id fierent, quod significabant, ab hoc quod fuerant, vt manna, petra aliquatenus mutata sunt. Aqua verò Baptismatis, & oleum Chriftismatis in sacramento ab hoc quod est, non mutatur, nec spiritum sanctum, quem significat aqua ablucem emundantem, oleum verò roborantem, illuminantem, quamuis credentibus suo mysterio exhibeat, non tamen continere essentialiter, sed figuratiue tantum creditur. Solum sacramentum panis & vini ita mutatur, vt substantialiter non sit quod ante fuerat, sed substantia eius corpus CHRISTI fiat: forma verò remanens, ipsum significet & contineat. Hanc autem panis & vini substantiam, idè Christus in suo sacramento remanere non voluit ne si duæ substantiæ veritates panis scilicet communis nostre, & ipse viuus & verus panis in eodem sacramento essent, errorem gignerent veritatis: dum ipse esset & ibi verus panis, quia vitæ æterna, & panis communis suo modo verus, quia temporalis vitæ substantia. Facilius enim & certius creditur corpus Christi in sacramento illo fieri & esse, vbi corporaliter non fuerat, non solum pro sacramento, sed & pro miraculo: dum ibi panis definit esse, quod fuerat. Et forsitan ne hæreses impanationis & fœdæ digestionis huic singulari suo sacramento ascribi possent, ipsum ab omni corruptibilis naturæ vel materiæ contagio, purum esse voluit. Si quæris quomodo res corruptibilis in incorruptibilem, existens in coexistentem, noua in antiquam, sine illius inuolutione vel immutatione mutetur: respondet tibi Augustinus in libro sententiarum Prosperi, si quæris modum, quo id possit

fieri, breuiter ad præsens respondeo: mysterium fidei est, credi salubriter potest, inuestigari vtiliter non potest. Item idem contra Felicianum. Omittamus in Deo corporalis intelligentiæ legem, ne operibus suis similem dicamus esse factorem. Et post pauca. Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inuentum putet incredibile, aut reperiunt non credat singulare. quia ergo spirituale & inuisibile corpus Christi astruimus, & per ipsum tamen non solum spiritualiter, sed & corporaliter humanitatis & diuinitatis eius participamus: eundem habentes ad tuitionem nostram in viatico, quem ad glorificationem habituri sumus in premio, vt substantialiter & verè in sacramento suo esse creditur, quod ipse nobis, & nos sibi vniuer. Cum igitur & Augustinus dicat: erit ei mors non vita, qui mendacem existimauerit vitam: quis non credat ei, quæ pater Deus mundo commendans, & vt summum pontificem præferens, ait: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Inobedientes Deo patri erimus, si vt ipse præcepit non audierimus filium auribus audiendi, id est, auribus fidei. Ipse autem filius testis est mundo, quia nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et quia omnis caro in sua est potestate, ne possit alia quam sua propria caro intelligi, subiecit: qui manducat me, viuet propter me. Sed quia manducare hominem erat contra humanam consuetudinem & legem, Discipuli eius scandalizati, dixerunt: Durus est hic sermo, & recesserunt ab eo. Ne ergo vt isti discipuli putat per frustra discerptus & crudus, vel coctus manducari crederetur, ipse summus sacerdos seipsum patri pro nobis offerens, Sacramentum quod verè ac salubriter manducari posset, & bibi, confecit; tradensque discipulis, ne in mysterio mysticè & non proprie, vel verè loqui putaretur, ait: Non futurum prædico, non absens aliquid denuntio: sed hoc quod præsentialiter, do, est corpus meum non figuratum, sed verum ipsum quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus idem ipse, qui pro multis effunderetur, addēs etiã propriam suam carnis effectum, & sanguinis,

scilicet in remissionem peccatorum. Cum enim folius Dei sit, remittere peccata, cui soli debetur peccatorum remissio, cuius sanguis nisi ipsius DEI posset peccatorum remissionem operari? Cum igitur certissimo sui sanguinis privilegio veritatem carnis & sanguinis sui astruxerit in mysterio, ille cuius obedientia nobis iniuncta est patris edicto: restat, tantum, & scandalizatorum stultitiam vitantes, ipsum, ut pater de celo iussit, audiamus, & quia veritas & vita, veraciter esse sicut verè est, credamus, quod ut certius & verius fiat, scandalizatis discipulis à Christo recedentibus, princeps Apostolorum Petrus requisitus cum alijs num, & ipse vellet abire, quid responderit, audiamus. At enim pro se & pro alijs, Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Quam eius responsonem nē meo sensu interpretari videar, exponit Augustinus in sermone 27. super Ioannem ita: Videte, quemadmodum Petrus dante Deo, intellexerit. Vnde, nisi quia credidit? Verba vitæ æternæ habes. Vitæ enim æternam habes in ministracione corporis & sanguinis tui. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, id est, quia ipsa vita æterna tu es, & non das in carne & sanguine tuo, nisi quod es. Ecce idem quod Christus de veritate corporis sui testatur, & Petrus: & quia pro alijs etiam loquebatur, cum eo & alij Apostoli loquebantur. Quid ergo de veritate corporis & sanguinis Christi in sacramento dici potest certius: nisi fortè eam ipsam oculis videre velimus? In quo tamen nec ipse Dominus nobis deesse voluit, sed modicæ fidei nostræ per omnia consuluit.

#### Rupertus.

Inter omnes Rupertus foelicissime & apertissime hoc 6. ca. Ioan. de reali & vera corporis Christi manducatione interpretatus est, ex quo sequentia tantum annotabimus, remittendo lectorem ad ipsius authoris in Ioannem clarissimos iuxta & doctissimos commentarios. Sic enim scribit lib. 3. de spiritus sancti operibus, Cœnantibus ait itaque, id est, sedentibus adhuc in cœna, qua manducauerant, carnes agni, carnes Paschæ veteris, accipit panem & benedixit. Panem cōmunē accepit, sed benedicendo longè in aliud,

quàm fuerat, transmūtavit, ut veraciter diceret sic: Hoc est corpus meū quod pro vobis tradetur. Item vini substantiā accipit, sed itidem gratias agendo vel benedicendo sic in aliud vertit, ut diceret veritas, quæ non mentitur: Hic est sanguis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur. Sed non videtur oculis carnis, non sentitur gustu oris, quod panis ille, caro Christus factus sit, quod vinū illud, in sanguinem versum sit. Nimirum si videretur color, aut sentiretur sapor carnis, & sanguinis humani, homini non plus salutis, sed plurimū afferret horrois. Sic, ergo est corpus vel caro & sanguis Christi, quomodo esse vel ad vsū nostram conuenit, & ad salutem nostram sufficit. Quomodo, vel quibus essentia modis? Nimirū nomine, re atq; effectu. Nominè videlicet esse intelligim, in eo quod dicit, Hoc est corpus meū, hic est sanguis meus, sicut nusquam, ita nec in isto, imò, maxime, nec in isto nomen Domini in vanum accipere debemus. Si enim in cūctis sanctificationib, quæ per ministros Domini ad nominis eius inuocacionē, aguntur, nequaquam nomen Domini, in vanum accipere audemus, quāto magis in ista sanctificatione, in nomen corporis & sanguinis sui ore proprio posuit Dominus, nequaquam in vanum id ipsum nomen accipere debemus. Re quod, que corpus Christi & sanguinem esse intelligimus, in eo quod ait: quod corpus tradetur, qui sanguis effundetur. Effectu, esse intelligimus in eo, cū dixisset: quod tradetur, qui effundetur, addidit, pro vobis in remissionem peccatorum. Itaque, sicut in illa specie, qua pepēdit in cruce, sanctus sanctorū est, & in illa specie præteritis omnibus electis, remissionē peccatorū operat, sic in ista specie panis, & vini nihilominus sancti sanctorū est, & omnib, electis, qui post eandē passionem ad fidē eius veniunt, idem illū efficere, id est, remissionē peccatorū, & vitæ æternam conferre non dubium est. Nam, & alibi dicit: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Et protinus addit: Et ego, resuscitabo eum in die nouissimo. Accipite, inquit, & comedite: Hoc est corpus meum. Et alibi: Qui manducat carnem meā, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Cū hæc, dicit

dicit, agnus Dei, oportune nobis ad memoriam recurrit illud, quod dixit serpens, imò per serpentem diabolus hostis humani generis: Accipite & comedite, & eritis sicut dii. Optimæ & spectabiles hæc propositiones. Ille serpens erat; iste agnus est. Ille verus peccator, iste antiquus creator. Ille spiritu Diaboli falsum sibilans, iste spiritu Dei verum euangelizans. Ille de ligno non suo raptor obrulit, iste de corpore & sanguine suo largitor dedit. Ille quod nō habebat, mendaciter promisit, eritis, inquit, sicut dii; iste quod habebat, quod semper naturaliter habet, fideliter dedit ut simus dii, dum manet ipse in nobis. Illi tādē nefandissime creditum est plusquam Deo: credatur è contrario huic Deo, si non plus, aut saltem quantum creditum est illi diabolo. Creditum est enim quod illi pōmo inesset, quod non videbatur, scilicet vis Deos efficiēdi: credatur huic sacramento inesse, quod non videtur, videlicet veritas carnis & sanguinis, valens efficere nos corporales vnigenito filio Dei. Hoc enim ordo vel ratio iusticiæ exposcit. Accipite ergo, inquit, & comedite. Accipere enim est fideliter credere, cum gratiarum actione diligere, compatiēti affectu corporis huius traditionem, et sanguinis huius effusionem respicere. Hoc fieri non potest, nisi prius rejiciatur id, quod ab illo male acceptū est. Illud igitur mendacium execrantes, hanc veritatem accipite, approbate, amplectimini, & contra cibum mortis, panem comedite vitæ æternæ; & calicem bibite salutis perpetuæ.

#### Petrus abbas Cluniacensis.

ET quia, inquit, iam expeditior via se præbuit, per quam liberior sermo ad ostendendum, & confurandum stultissimum errorem decurrat. Audite nō me, sed dominum: non Christianum, sed Christum: non hominem tantum, sed Deum: Audite eum, quem qui non audierit, exterminabitur de populo suo. Dic, Domine Iesu Deus noster, saluator noster, sacerdos noster, hostia nostra: Dic, responde aduersarijs testamenti tui, qui volunt rescindere quod statuisti, e radicare quod plantaisti, destruere quod constituisti. Dic, forsitan acquiescenti

tibi, qui ecclesiæ tuæ resistunt: Verentur faciem tuam, qui tuis irrencrenter obuiant: & si oues tuæ sunt, vocem tuam audient. Planè isti redemptorem te negant, qui pretium redemptionis humanæ, quod nobis & pro nobis dediti (corpus dico tuum) redemptis auferre contendunt. Volunt rursus vincere, à te autem solutum nodum captiuitatis, dum largitorem respuunt libertatis. Dic ergo Domine, testator noui & æterni testamenti, vtrum testamentum hoc vnus Dei, ut isti dicunt, esse volueris, an potius æternum esse decreueris. Audiant isti non me, sed te, ut conuertantur non ad me, sed ad te. Quid ergo? In cœna vltima, quam cum discipulis tuis, vetus pascha nouo commutans, celebraisti, accepisti panem, gratias egisti, fregisti, dedisti discipulis tuis. Sed quid dixisti? Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et quid addidisti? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnasti, dicens: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Audistis? Nolite fieri simulachra, quæ oculos habent, & non vidēt, aures habent & non audiunt. Audistis hoc nō à quolibet doctore, sed ab illo, de quo Pater clamans præcipit: ipsum audite. Auditis eum dantem corpus, sed quod corpus? Sunt enim corpora cœlestia & terrestria, & quicquid visui, auditui, olfactui, gustui, tactui hic subiacet, corpus est. Vnde ne quis putaret, animalis cuiuslibet, aut hominis cuiuslibet hoc esse corpus, ad omne aliud sensibile excludendum, vel insensibile corpus, postquam dixit, accipite, hoc est corpus, adiunxit, meum. Suum ergo nō alterius corpus discipulis dedit. Rursum, ne alicui cogitatio occulta obreperet, potuisse creare in manibus suis corpus, quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat, non esset, addidit, Quod pro vobis tradetur, ac si diceret, Nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare, quia hoc est corpus, non alterum aut alterius, sed meum, non permutatum, vel nouiter creatum: sed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur,

pro

pro vobis morietur. Sic & de calice, Hic est, inquit, sanguis non bouis, aut arietis, non agni, aut cuiuslibet hominis, sed meus: non alius, vel noua creaturae productus, sed qui pro vobis fundetur, flagellis prouocabitur, clavis extortus, lancea excussus. Quid ad demonstrandam veritatem corporis & sanguinis Domini dici potuit clarius, lucidius, manifestius? Nonne & longe ante passionem, commendans magnificum & salutare sacramentum, discipulis & Iudaeis saepe dicebat? Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: & Panis quem ego dabo caro mea est, & caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus. Hoc quare? vt nomine corporis circa diuersa corpora cogitando vagaris, audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate reuocaris. Rursus audito nomine filij hominis, non alterius alicuius carnis existimes, nisi illius, qui cum esset Dei filius, factus est hominis filius. Vnde quia tenacissimè recolendum, quia vnicè amplectendum est tantum tantæ misericordiae opus, tacito saepe nomine filij Dei, quod pro se est, nomen filij hominis frequentat, quod pro nobis est. Idcirco vocat carnem, nè quodlibet corpus putetur: idcirco filij hominis, nè alterius, quam sua aestimetur. Sed forte impossibile putatur, vt vel panis in carnem, vel vinum in sanguinem commutetur. Fortassis & hoc cogitatur, illius vnus corporis Christi finitam, satisque modicam quantitatem, moribus totius mundi, per tanta saecula non sufficere posse. Hoc enim est, quod quondam Berengarium dixisse audiui. Nam forte Andegauis constitutus, & de hoc corporis Christi sacramento cum quibusdam agens: Si, inquit, corpus Christi tantæ fuisset magnitudinis, quantæ turris hæc, quæ in conspectu nostro immensa mole attollitur, à tot totius orbis populis comestum ante multa iam annorum spatia defecisset. Quantum peruersus, tantum peruersa locutus. Sed quid respondendum est eis, qui nihil volunt Deum posse, nisi quod possunt, nihil scire nisi quod sciunt, nihil agere nisi quod agunt? Quid respondebitur ijs, qui æternæ sapientiae altitudinem, qui diuinae virtutis omnipotentiam sic coarctare nituntur, vt si eis assensus præbeat, sapientia Dei & omnipotentia pereunte, Deus iam Deus esse non possit? Quid dicitur surdis, & audire nolentibus per prophetam clamantem, Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Et in alio loco: Quæ est via sapientiae, aut quis locus intelligentiae? abscondita est ab oculis omnium viuentium. Et aliud: Quis transiit mare, & adduxit eam, & attulit super aurum electum? Nonne à mari vsq; ad mare, ab ortu solis vsq; ad occasum, totus mundus insonat. Omnia quæcumq; voluit Deus, fecit in caelo & in terra, in mari & in omnibus abyssis? Et quis vniuersa enumeret? Esto ergo Deo, quod est iumentum tuum tibi. Non nititur illud perscrutari secreta tua, non coneris temerare arcana Dei. Docet, vt de vilioribus loquar animalibus, asinus tuus, quid te velit facere Dominus Deus tuus: cuius si secreta penetrare volueris, eius iumentum esse non poteris, de quo Psalmis: vt iumentum factus sum apud te. Serua ergo Deo tuo, quod tibi vis seruari ab asino tuo, neque altiora te quaesieris, nec fortiora te perscrutatus fueris: sed ea cogita semper, quæ Deus præcipit, & in multis operibus eius hæc fueris curiosus. Hæc omnia maiestati Dei superbiam tuam, sapientiae Dei stultitiam tuam, vt dignum est, subiiciunt, neque aliquid contra ipsum stultum loqui, vel non audendum audere permittunt. Sed licet auctoritibus & ratione obstructum esse os iam debeat loquentium iniqua, nec insipientiam vel imbecillitatem creaturæ Creatoris sapientiae vel virtuti audeant comparare: subiiciantur tamen exempla, quibus (si omnino bestia, aut impij non sunt) eorum non solum auribus, sed & oculis satis fiat. Vide igitur, quisquis in sacramento Ecclesiae, panem in CHRISTI carnem, vinum in eius mutari sanguinem aut non credis, aut dubitas, quia vel de voluntate eius, vel de potentia, vel de utroque diffidis. Nulla enim alia res te vel ad non credendum, vel dubitandum impellit. Aut enim voluit, & non potuit, aut potuit & non voluit, aut neque voluit, neque potuit. Sed quod voluerit, si Euangelio credis, dubitare non potes. Nam in sui memoriam

riam hoc fieri non præciperet, si hoc fieri noluisse. Quod verò poterit, si propheta credis, certum tenebis. Nam si omnia quæcumque voluit, fecit, vtique & hoc, quia voluit, fecit. Voluit ergo & potuit, vt panis in carnem suam, & vinum conuertatur in sanguinem suum, & quia voluit & potuit, idcirco & fecit. Si enim Deus omnipotens est, & Christus Deus est, sequitur: quia ad conuertendum panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum, omnimodè, sicut & ad vniuersa, potens est.

### Iunilius Episcopus

Præterieram ferè antiquum illum & doctissimum patrem Iunilium Episcopum, qui claruit anno Christi 440. Hic & ipse 6. Diui Ioannis caput de sacramentali & reali carnis Christi esu semper intellexit. Sic enim scribit in Genesis: Secundus Adam, inquit, mediator videlicet Dei & hominum, in quo tanta plenitudo erat imaginis Dei, in mundo apparuit, & de latere eius dormientis exiit sanguis & aqua. De quibus sacramentis nascitur ac nutritur Ecclesia: quæ est mater omnium per orbem vera vita viuentium, quod Eua nomen sonat. Vnde de eisdem sacramentis dicit ipse Dominus: Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.

IDEM Iunilius Antiquæ lib. primo interrogatorio 20. sic scribit. Cum in libro Geneseos vel in alijs locis scripturarum, Israelitico populo prohiberent, specialiter tamen in libro Leuitici, ubi Dominus dicit: Dixi filijs Israel, Sanguinem vniuersæ carnis non comedetis: quomodo in libro Numeri è contrario de ipso eodemq; populo Israelitico scribitur: Non dormiet donec comedat prædam & sanguinem vulneratorum bibat. Responso. Dicant nunc Iudæi, quis est iste populus, qui in vsu habet sanguinem bibere? Hæc quippe erant quæ in Euangelio audientes, scandalizati sunt, & dixerunt: Quis potest manducare carnem, & sanguinem bibere? Sed populus Christianus audit hæc, & amplectitur, & sequitur eum, qui dicit: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis

vitam in vobis ipsis: quia caro mea verè cibus est, & sanguis meus verè potus est. Et vtique quia hæc dicebat, vulneratus est, pro peccatis nostris, sicut Esaias dicit: Bibere autem dicimus sanguinem Christi, non solum sacramentorum ritu, sed & cum sermone eius recipimus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dixit: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

IDEM eodem libro, interrogatorio 36. sic scribit. Cum Dominus, ait, in Deuteronomio præcipies, dicat: Dominum Deum tuum adorabis: quomodo psalmista è contrario in Psalmo nonagesimo octauo terram nos iubet adorare, præcipiendo. Adorate scabellum pedum eius? Quod vtique terra est, iuxta quod alius propheta dicit: Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Responso. Illam terram dicit adorandam Propheta, quam Dominus Iesus incarnationis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem crux Christi, quam hodie quoque in mysterio adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorant. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accipit: Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Inuentum est quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini, vt non solum non peccemus adorando, sed peccamus non adorando.

IDEM lib. 2. interrogatorio 24. Quo inquit, Christus dicit, Caro non prodest quicquam: cū è contrario dicat, nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? Responso. Caro quippe sine viuificante spiritu ita non prodest quicquam, sicut scientia sine charitate inflat potius quam ædificat. De hac fortasse Apostolus loquitur: Caro & sanguis regnū Dei non possidebunt. Iam verò quod ait, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: sacramentum manducationis carnis suæ, & potationis sanguinis sui manuit intelligi, per quod & nos in illo maneamus, & ipse in nobis.

*Nicolaus Episcopus*

**N**icolaus Episcopus oratione ad eos qui hesitant, aiuntq; consecratum panem & vinum non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, in hunc modum loquitur: Mysticam, ait, hanc & incruentam consecrationem, qua panem & calicem consecratos in corpus & sanguinem Domini credimus transmutari, à quonam principium accepisse dicas? nonne ab ipso Deo ac seruatore nostro Iesu Christo, quemadmodum nos sacra docet Euangelia? Prorsus ab eo. Quis verò ille est sermo, quod id traditur? Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Et Diuus Paulus: Quotiescunq; enim comeditis panem hunc, & calicem hunc bibitis, mortem Domini annuntiat. Quomodo, quodque ritu, ab ipso seruatore didicimus. Accipiens enim, inquit, panem, & gratias agens, fregit, ac dedit discipulis, & ait, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur & traditur: similiter & calicem postquam coenauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Id autem idem est, quod & D. Mattheus inquit, Hic est sanguis meus noui testamenti. Quis verò scopus ac finis huius traditionis? Quid aliud quam participatio Christi, & vita in Christo participantium aeterna? Si quis enim, inquit, comederit ex hoc pane, viuet in aeternum: & Panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo, pro mundi vita: Et, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Carnem enim suam quasi escam hamo circumponens, diuina sua virtute, serpentem quidem deprimat, nos autem erigit. Papae, quam expauescendum & tremendum mysterium. Qui hoc tradidit, Deus est, qui propter clementiam & benignitatem suam homo quoque factus est, & tanquam ouis ad maculationem & mortem processit, ut, obnoxium morti propter peccatum, hominem morte eximeret. Causa huius traditionis est magni huius beneficii recordatio. Corpus & sanguis Christi, ea sunt, quae hoc ritu perficiuntur, ritus finis participatio Christi & vita aeterna, quod idem est, quasi diceret, participationem deificatio. Nam quia vniuersa no-

stra caro corrupta est à peccato, opus nobis fuit noua carne. Quis ergo tam audax & prorsus temerarius existat, ut aduersus hanc traditionem aliquid nouum moliatur, mysteriumque falsitatis accuset, atque abroget eum, qui ita tradidit & instituit? Si quis legem Moysi abroget, inquit Apostolus, sine misericordia vlla, sub duobus aut tribus testibus moritur: quanto dignus deteriori supplicio censendus erit, qui filium Dei conculcavit, & sanguinem testamenti profanum existimavit, & spiritum gratiae iniuria affecerit? Verum quis ille, qui conculcavit filium Dei, & aliorum quae diximus, reus censetur? nonne qui sanguinem eius, ingratus abrogat, nec admittit, & veracis ab omni; mendacio alieni oris traditionem & mandatū nihili facit? Hoc est corpus meum dicens: &, Hic est sanguis meus. Quid haeritas? Quid omnipotenti impotentiam attribuis? Nonne ipse est, qui ex nihilo omnia, ut essent, fecit? vnus trium personarum diuinitatis? qui postremis temporibus incarnatus est, & panem in suum corpus transmutari iussit? Quid requiris causam & ordinem naturae panis transmutationis in Christi corpus, & aquae viniq; in sanguinem? cum supra naturam, rationem, mentem & cogitationem ex virgine sit natus. Non credes itaque nec mortuorum resurrectionem, nec in caelos eius assumptionem, & alia Christi miracula supra naturam, mentem & cogitationem eminentia. Id tibi accidit, quod Christum, non Deum verum, ac filium Dei confiteris, sed Arrianismum, vel potius Iudaismum respicis. At fortassis dubitas, minimeque credis, quod non videas carnem & sanguinem, sed panem & vinum. Qua de re scias oportet, tu qui ingrato, iniquoque animo erga beneficium es affectus, Deum qui omnia nouit cum humanis hominum imbecillitatem se demittens, ne auersarentur multi arrhabonem aeternae vitae, & aegre ferrent, carnem & sanguinem intuentes. Itaque rebus naturae consuetis hoc fieri voluit, ijs suam diuinitatem coniungens, cum dixit, Hoc est corpus meum: &, Hic est sanguis meus. Hoc facite in meam commemorationem.

D. Au.

*D. Augustinus.*

**O**ccurrunt adhuc ex Augustino praeclearae aliquot ad idem confirmandum sententiae, quas his adijcere expedire visum est. Libro etenim primo contra Cresconium cap. 25. sic ait: Quid de ipso corpore & sanguine Domini, vnico sacrificio pro salute nostra? Quamuis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: Nonne idem Apostolus docet etiam, hoc perniciosum male vtentibus fieri? Ait enim, Qui cumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Idem sermone in Dominica prima Aduentus haec scribit: Rogo & moneo, inquit, vt quantum possumus, cum Dei adiutorio laboremus: vt in illo die natalis Domini cum sincera & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad altare Domini possumus accedere: & corpus & sanguinem eius non ad iudicium, sed ad remedium animae nostrae mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit, sicut ipse dixit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis occiditur, quam viuificetur: Sic enim dixit Apostolus, Qui manducat corpus Domini indignè, eiusque sanguinem bibit, iudicium sibi manducat, & bibit.

Idem sermone 2. de verbis Apostoli sic ait: Audiuius veracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum saluatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo, corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles. Audiētes autem quid aliud quam audiunt? Cum ergo commendans talem escam & talem potum, diceret: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis (& hoc diceret de vita, quis alius, quam ipsa vita? Erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putauerit vitam) scandalizati sunt

discipuli eius, non quidem omnes, sed plurimi.

Idem quaestionum super Leuiticum libro 3. Cum Dominus dicat, inquit, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: quid sibi vult, quod à sanguine sacrificiorum (quae pro peccatis offerebantur) tantopere populus prohibetur, si illis sacrificijs vnus hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum? A cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes excitantur, qui volunt habere vitam.

Idem de salutaribus documentis cap. 33. A his, ait, venenis pietas Domini nostri Iesu Christi nos liberet, & seipsum nobis edendum tribuat, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de caelo descendit. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam in semetipso. Sed vnusquisque antequam corpus & sanguinem Domini nostri IESU CHRISTI accipiat, seipsum probet: & (secundum Apostoli praecipit) sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quia qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non diuificans corpus Domini.

Quid magis dici perspicue potest, vt & expositionis nostrae ratio, & fidei maiorum nostrorum veritas comprobetur? Quae cum ita sint, quis non videat, quam pulchre haec oecumenicorum conciliorum, & sanctissimorum pariter atque eruditissimorum Ecclesiae Doctorum verba interpretationi nostrae ac maiorum nostrorum de verbis Christi intelligentiae congruant? Possimus sane & alios multo plures, pro rei huius confirmatione sanctos patres in medium producere. Verum quid opus est multis? Siquidem & omnes alij, qui iam dictos subsequuti sunt, vno pariter consensu caput illud Ioannis, non nisi de corporis Domini in hoc augustissimo sacramento veritate ac praesentia intelligendum esse censuerunt. Verum qui illis, quos iam recensuimus, credere noluerit, cui tandem (quae) fidem adhibebit? Quare nē in rebus nimium apertis aequo prolixior sim, finem iam iam fecero, si vel vnicam adhuc D. Augustini sententiam

L. (qua

Ioan. 6.

Ioan. 6.

(qua apertissime caput hoc de sacramēto nostro intelligendum esse asserit) velut pro coronide adiecerō: Hicigitur beatissimus pater libro 4. feriæ, cap. 6. ita ait. Tu autem anima Christiana, quæ es ascensura ex sacratissimo fonte, ruboreatque decore perfusa, nimis speciosa & candida, serua decorem tuum, vide ne deferas mensam sponsi tui, vt pulchra permanceas, carnem eius quotidie manducabis, vt vitam æternam habeas, sanguinem eius potabis, Mensa sponsi tui panem habet integrum, & calicem sanctum, quem etsi fractum cōminutumque vidimus in passione, integer tamen mansit in illa sua cum patre indiuidua vnitatem, de isto pane & de isto calice dicebat ipse Dominus: Panis, quem ego dederō; caro mea est pro faculi vita, & calix quem sanctificauerō, sanguis meus est, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum. Quid clarius? Quid apertius dici potuit, vt iam ante sapius dictum, Ioannis caput de vera CHRISTI carne, deque vero eius sanguine intelligi debere comprobetur? Quis proinde non videat iam, quàm iustis rationibus maiores nostri adducti fuerint, vt ita CHRISTI verba interpretarentur? Nam tot rationibus, tot sanctissimorum atque antiquissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum testimonijs, quæ supra posuimus, bene pensulatis, nunquam illa Christi verba aliter exponere ausi fuissent. Quanta enim foret impudentia, tam multorum sapientissimorum virorum autoritatem contemnere, ac si scripturam nullo modo ipsi intelligere potuissent, quam eorum tamen aduersarij facile, & absque vilo negotio (pro ut ipsis lubet) intelligere se iactant? Certè, quod ad me attinet, nihil equidem absurdius vnquam aut magis inopinabile audiuisse me memini, quam aut dicere, aut credere, nihil CHRISTVM in hoc euangelio de vera carnis suæ manducatione, aut de vero sanguinis sui potu dixisse. Nec verò minus absurdum mihi videtur velle contendere tot sacros Ecclesiæ Doctores, quos paulò antè citauimus, suo tempore, verum, ac genuinum euangelij illius sensum in-

tellectu consequi non potuisse. Quid fit, vt nullo vnquam pacto Maiores nostri persuadere sibi potuerint, aut Christum tam multa absque iustis rationibus verba de sanguine suo bibendo, aut carne manducanda replicuisse, aut antiquos illos Ecclesiæ Doctores, hæc ita interpretatos fuisse, quin probè intelligerent, quidnam dicerent. Quæ cum ita sint, nemo planè (cui vel aliquid saltem honesti iudicij fuerit) malitiæ imputabit, si cum tantis, ac tam sapientibus viris hæctenus Ecclesiæ senserit.

Præter hæc sanctorum tot Patrum testimonia, habemus Conciliorum quoque generalium, & quidem celeberrimorum firmissima, præclarissimaque decreta, ex quibus Christi, in hoc o. cap. verba, de reali carnis eius, & sacramentali esu intelligenda esse, manifestissime colligitur. Aliquot eorum in medium sententias afferemus.

#### Concil. Ephesinum.

**S**ANÈ in celeberrimo illo generali Ephesino concilio, cui Celestini Romani Pontificis nomine Cyrillus iunior cum laude & honore præsedit, quæ de sacramento Eucharistiæ fides Catholica esset, realique carnis Christi in ea præsentia, clarissime explicatum fuit. Puta, quod in venerabili sacramento veram & viuentem atque viuificantem CHRISTI carnem, quæ verbi æterni propria caro effecta, eique vnita est, accipiamus, eius quoque Concilij sententiam lucè ascribere visum est. Ea verò his constat verbis: Necessariò igitur & hoc adijcimus: Annunciantes enim filij, qui secundum carnem, mortem vni geniti filij Dei, id est, IESU CHRISTI, & resurrectionem eius, & in cœlis ascensionem pariter consistentes, in cruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamus, participes sancti corporis & preciosi sanguinis CHRISTI, omnium nostrum redemptoris effecti, non vt cōmunem carnem percipientes, (quod absit) nec vt viri sanctificati, & verbo coniuncti, secun-

secundum dignitatis vnitatem, aut sic ut diuinam possidentis habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter vt Deus existens, quia propria carni vnitus est, viuificatricem eam esse professus est.

Joan. 6.

Et idè, quamuis dicat ad nos, Amen, amen dico vobis, nisi mādūcaueritis carnem filij hominis, et biberitis eius sanguinem, non tamen eam, vt hominis vnus ex nobis, existimare debem? (quomodo enim iuxta naturam suā viuificatrix esse caro poterit hominis?) sed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus.

**ITEM QVÆ** in II. Anathematismo ista habentur. Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum, coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi diuinam habitatis habitationem, ac non potius viuificatricem esse, quia facta est propria verbi, cuncta vini ficare valentis, anathematizet.

#### Concil. Nicenum.

**C**ONCILIVM generale Nicenum secundum dictum 6. Ioan. caput de sacramentali & reali Christi manducatione exponit. In qua actione 6. to. 3. sic Patres loquuntur: Nemo vnquam sanctorum Apostolorum (qui tubæ sunt spiritus sancti) aut gloriosorum patrum nostrorum incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi Domini Dei nostri & totius suæ dispensationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Nam is qui accepit à Domino, sic non dicit aut confitetur, sed audiuit eum dicentem euangelicè, Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et cum accepisset panem, & gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, dicens, Accipite, edite, hoc est corpus meum: Et accepit calicem, cum gratias egisset, dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Non autem dixit, Sumite, edite imaginem corporis mei. Quin etiam Paulus diuinus Apostolus, è sacris

Domini verbis hauriens, dixit: Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quia in ea qua traditus est, nocte, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, & dixit, Accipite, manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis frāgitur. Et cætera.

Legas quousque voles, nunquam inuenies neque Dominum; neque Apostolos; neque patres, incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse: verum ipsum corpus, & ipsum sanguinem.

#### Concil. Cabilonense.

**C**ONCILIVM Cabilonense celebratum circa annum 806. hæc habet: In perceptione corporis & sanguinis Domini magna discretio habenda est. Cauendum est enim, nè si nimium in longum differatur, ad perniciem animi pertineat, dicente Domino, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiscretè accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi māducat & bibit. Iuxta ergo eiusdem Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo māducare, & de calice bibere: vt videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis & purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum.

*Exaggeratio adverbij illius (verè) vt 6. hoc caput Ioannis, de vera Christi carne, in rei veritate loqui comprobetur.*

#### CAPVT XXXX.

**CVM** Christus ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Vehementer equidem adverbio illo (verè) vrgeor, imò verè credere omnino compellor, ipsum non alia de re, quàm de sua ipsius carne suoque sanguine locutum esse. Nam dictio illa (verè) non tantummodò oppositum significat, quod est esse per ænigma, figuram, signum, parabolam; verum etiam ei, quod est esse in spiritu, fide cognitio-

ne, & cogitatione tantum. Quocirca, si Christi caro, figura, signo, fide vel cogitatione solummodo cibus esset; nullo sane pacto, verè cibus dici posset; unde verbum DEI (quod spiritualiter cibus est) nunquam verè cibus nuncupatum fuit. Sic nec manna, nec agnus paschalis (quæ Christi corporis signa & figuræ tantummodo erant) nunquam verè Christi corpus dicta fuerunt; nec qui illa comedisset, unquam verè Christi corpus comedisset dictus est. Si hæc dictio (verè) rem ab ea, quæ est (spiritualiter) distinctam non significat, cur (quæso) spiritus sanctus eos, qui spiritualiter in typis, ac figuris illis Christi corpus comederunt, nusquam in scripturis verè comedisset pronunciat? Nusquam enim Christi corpus verè cibum illorum esse aserit, sicut nunc in Evangelio hoc, verè cibus noster dicitur. Certissima igitur probatio est, nos illud, non spiritualiter tantummodo, sed etiam verè ac realiter, pro cibo habere. Adde quod & Christus non modo verè cibus, sed & verum panem se nuncupat. Idque adeo; ut corporis sui singularem efficaciam, ac eximiam virtutem ostendat. Panis enim verus est (inquit) qui dat vitam mundo. Cæterum manna, agnus paschalis, panes propositionis, aut azymi, vitam mundo conferre non poterant: non igitur veri cibi, neque veri panes erant. Sic & verum illud vinum, verusque potus dicitur; qui & veram lætitiā parit, & sitim in perpetuum extinguit. Ipse solus proinde vera vitis nuncupari potest, qui tam nobile vinum, id est, preciosum sanguinem suum, nobis producit, qui cum bibitus fuerit, vitam mundo tribuit, & ab æterna siti nos eximit. Arbor illa vitæ, quæ iam ab initio in paradiso terrestri plantata fuerat, verum sanè cibus proferebat, utpote cuius fructus tantæ virtutis erat, ut comestus & hominem à morte seruaret, & in perpetua vita conseruaret. Unde Deus Adamum post peccatum ab eo fructu remouit, ne fortè vitam, quam pomum læthiferum comedendo perdidit, in æternum recuperaret. Quo factum est, ut nec ipse, nec eius posterius ab eo tempore verum unquam cibum habuerint, donec Dei filius pacata cœlestis patris sui ira, vitæ cibum nobis cœlitus attulisset, quem omnibus,

qui illum sumere voluerint, gratis obtulit. Quam ob rem non amplius iam prohibemur, ne ad verum vitæ fructum manum porrigamus, ne æterna vita potiamur, quin potius manum extendere iubemur, ut illum apprehendamus, & comedamus, ac sic æternam vitam quæ perdidimus, recuperemus. Non est igitur nunc amplius Seraph, neque romphæa versatilis, & ignea, quæ viam, qua ad fructum illum perueniatur, obfideat, illumque custodiat. Siquidem noui testamenti angelus, ille (inquam) magni consilij angelus (qui Christus & seruator noster est) planum iter (omni iam impedimento sublato) nobis patefecit, quo ad beatam illam vitæ arborem peringamus. Imò (quod magis est) blandè nos inuitat, seque nobis vitæ comitem præbet, ut eam, & de eius fructu comedamus, quo sic in perpetuum viuere valeamus. Quocirca tantum abest, ut quenquam ab eo iam fructu coerceat, ut ipsi potius, qui neque ad illum venire, neque de eo sumere voluerint, atrocissimam, atque ad eam æternam mortem comminetur. Notum est, quemadmodum astutus, ac versipellis ille serpens diabolus primæ parenti nostræ Euzæ, iam olim læthifere arboris fructum obtulerit, ac ut comederet, persuaserit, falsò promittens, eam nulla ob hoc ratione morti obnoxiam fore, sed tantam potius scientiam inde consecuturam, ut Deo similis euaderet. Quid opus est multis? Credidit illa, atque à Diabolo mortis fructum accepit: quo factum est, ut & se & virum suum, ac vniuersam denique posteritatem suam perderet. Ceterum vnigenitus ille Dei filius è sinu patris in hunc mundum veniens, & non profectò serpens, sed homo nobis similis factus: vitæ fructum nobis obtulit, dicens: Accipite & comedite de fructu hoc, ut non moriamini, sed ut vitam perpetuam consequamini, Deo quæ similes efficiamini. At nihilominus tamè hodiè nescio qui, nunquam satis profectò deplorandi homines inueniuntur, qui neque ei credere, neque efficacissimū, & excellentissimū, quæ ipse eis vltro offert, cibum recipere volūt. Et vnde hoc (quæso)? Ecquis (inquam) ò increduli, ac omnium hominum miserrimi, iram mentis vestræ oculos fascinavit? Ipse, ipse Diabolus est, mihi credite, ipse est (inquam) qui denuò vos decipere conatur. Ipse est,

est; qui Berengarij, ac sequacium eius ore blasphemio contra expressum DEI verbum rursus suum (nequaquam) obrudit. Nam quemadmodum iam ab initio homini magnopere inuidit; vbi eum sic à Deo conditum esse conspiceret, ut perpetuo immortalis posset esse si vellet; ita & nunc longè maiori adhuc inuidia ringitur, cum ipsum ad beatam illam immortalitatem (quæ suo semel suafu perdidit) denuò reparari videt. Moueat igitur vos (quæso) moueat (inquam) vos misera illa primi parentis nostri Adæ ruina. Ille enim Diabolo magis quam Deo credēs, ei; obediens, mortis fructum edere præsumpsit, atque ita fructum vitæ deinceps attingendi potestatem amisit. Quò factum est, ut ipse, qui Deo credēdo, Dei filius efficeret, ac ei similis esse debuerat, longè à Deo ac eius similitudine recederet, ita ut eum Deus postea videns, irrideret, ad angelos inquires, Ecce Adam factus est similis vobis, sciens bonum & malum. Nunc igitur ne ad fructum vitæ manū extendens, immortalitate potiat, è paradiso eiciatur, ut dignus est. Ita tum Dominus. At verò nunc Dei filius omnibus qui ei crediderint, facultatem dedit, ac eis viam ostendit, qua filij Dei esse possint. Nam si fidem ei adhibuerimus, cum se verè cibum esse dicit, si eius carnem, quæ & verus vitæ fructus ac verus cœlestis panis est, manducauerimus, vitam æternam recuperabimus, deoque similes efficiemur, ac mira quadam & ineffabili, sed vera tamen vnione, in Deum transformabimur. O felicem metamorphosin. Sed quid tandem euenit? En rursus totius mali ac miseriæ nostræ fons, & origo: homines minime antiqui illius serpentis (qui Caluini, Oecolampadij, Bezae, aliorumque ministrorum eius ore sibilat) fraude & astutia decepti, neque Dei filio credere, neque hunc vitæ fructum, quem admodum eis ipse suo ore præcepit, recipere volunt; sed signa & figuras tantummodo, ac nescio quæ alia, quæ ipsi de fructu hoc, nefanda incredulitate sua contra expressum DEI verbum excogitant, haberi volunt. Eheu quam miseri sunt illi, qui ab huiusmodi Diaboli ministris, se ita miserè decipi patiuntur, ne verum illum carnis CHRISTI, quem ipse eis præparauit, cibum accipiant, & comedant? Verum has lamentationis

voces, in aliud tempus reijciamus; ut vnde digressa est, eò nostra reuertatur oratio. Christi igitur caro, verus vitæ cibus est, in remedium contra maledictum illum mortis fructum à Deo institutus, utpote qui solus homini vitam illam restituere potest, quam ipse falsum à Diabolo cibum accipiens, perdidit. Cæterum quid perpetuus iste hostis noster Diabolus ageret, quid aliud (inquam) ageret, quam ut hominem ad hoc prouocet, ac incitet, ut cibum illum contemnat, despiciat, ac omninò fastidiat? Verum quid (quæso) agit, ut huiusmodi conatus suos consequi possit? Sua nempe verba, Dei verbis opponit. Nam vbi Deus ait, nos in perpetuum esse morituros, nisi carnem eius manducauerimus, & sanguinem eius biberimus, ipse contra suum (nequaquam) obrudit; dicens: Nequaquam moriemini, etsi non manducaueritis eius carnem. Nequaquam potestis comedere carnem eius. Quomodo enim posset carnem suam vobis dare ad manducandum? Aut quare rem tam absurdam vobis præciperet? Nequaquam caro eius est verè cibus, aut sanguis eius verè est potus: Panis, quem vobis promittit, nequaquam caro eius est. Signa tantum manducate, non ipsam carnem: umbras, non corpora; figuras, non ipsa bona figurata: paleas, non grana; siliquas porcorum, non panem angelorum, & filiorum Dei, falsos scilicet cibos, & vanos, qui non possunt vitam dare mundo, & non verum panem illum cœlestem, qui dat vitam mundo. Mihi plus credite, hæc dicenti contra verba Dei vestri, quam illi. Ego enim melius scio veritatem (ait mendacij pater) quam ipsamet veritas. En venenosus illius serpentis sibilus. En Diaboli astutia. En immanis illius beluæ execranda oratio, quam clanculum perfitos serpentulos, ut homines incautos fallat, atque decipiat, verbo Dei rursus obrudit. Nunc igitur qui nam Deo potius, quam Diabolo credere maluerint; videamus: Nunc qui dulcissimam Christi vocem audire magis quam venenosum illius serpentis sibilum, attendamus. Hi profectò fuerunt imprimis; sanctissimi illi Maiores nostri, qui CHRISTO potius quam Diabolo credere, illiusque voci magis, quam serpentis sibilu obedire voluerunt. Hi namque illum verum Dei filium

esse, quæ probè nouerant; & vt ei auscultaremus, à Deo Patre cælitus mandatum esse optimè sciebant. Vnde nunquam perfidum illum Berengarium; ore sacrilego, ac verbis impijs, Deo, sanctissimisque eius legibus oblatrantem audire dignati sunt, sed ipsum potius, eiusque errorem ac dogma impium tanquam venenosum sibilum, à tota procul Ecclesia reiecerunt, condemnarunt, ac nullo penitus modo ei auscultandum esse censuerunt. Proinde omnes dominici corporis umbras, signa & figuras remouentes, ipsissimam veritatem, ambabus (quod aiunt) manibus amplexi sunt. Te igitur nunc appello, te conuenio à Berengari minister Diaboli. Quod (quæso) signum, quam figuram mihi dabis, quæ verè cibus dici queat, quæve tam excellens sit, vt vitam mundo conferre possit? Quodnam dico, signum habes ad eò efficax, ad eò illustre, ad eò potens? Quodnam signum (inquam) in phantastico cerebro tuo excogitare possis, cui simile nunquam ante Christi aduentum, mundus habuerit? Ante ipsius aduentum omnia signis, umbris ac figuris plena erant, post eius autem aduentum gratia, & veritas completa est. Nunc igitur non de figuris, signis, aut umbris, sed de veritate ipsa loquitur. Lex enim Moyfi non nisi typus, ac figura erat. Lex siquidem, hoc est, umbra typus & figura per Moysen data est; gratia autè & veritas, per Iesum Christum facta est. Futurorum itaque bonorum signa per Moysen ostensa sunt, bona verò ipsa per Christum in rei veritate exhibita sunt. Ipse proinde verus & cibus & potus est. Ipse enim non amplius signa aut figuras, sed verum corpus suum nobis manducandum, ac verum sanguinem bibendum porrigit. Quamuis autem iam olim & ante legem, & sub lege, per innumerabilia propemodum signa, caro eius spiritualiter manducaretur; nunquam tamen verus cibus appellata fuit. Quid igitur causæ haberet Christus, cur eam nunc potius verè cibum diceret; si iam non amplius, aut non aliter; verus cibus esset, quam olim cum in spiritu & fide sub tam multis signis, in veteri testamento manducaretur? Necessariò igitur colligamus, necesse est, aut ipsum illam, nunquam verum cibum nuncupare debuisse, aut certè intellexisse, eam longè alio nunc modo cibum hominibus

esse, quam antea vnquam fuerat. Atqui non immerito tum sanè spiritualiter cibus dici poterat, cum sub signis & figuris illis in spiritu tantum & fide, & non verè ac realiter comederetur. Quocirca consequens est, vt aduerbium illud (verè) verè ac realem aliquem manducandi modum designet, ac nobis innuat, qui ante apud homines nunquam in vsu fuit. Alioqui enim vox ista (verè) omnino superflua, vana, ac inutiliter planè, à Christo prolata esse videretur. Quod absit, vt dicere audeamus. Vnde ex vi vocis illius patet, quemlibet recti iudicij virum necessariò cogi, vt veram, ac realem in hoc sacramento, corporis dominici presentiam credat. Quò factum est, vt maiores nostri nunquam aliter Christi verba intelligere potuerint, necita vnquam effrontes, aut impudentes fuerint, vt dicere præsumerent, quod gloriosuli eorum filij temerè nunc dicere audent, Christum videlicet in hoc sexto Ioannis capite nihil de vera, ac reali, sed de spirituali tantummodo corporis sui manducatione locutum esse.

*Confutatio erroris eorum, qui Christum hic de sola spirituali carnis sue manducatione locutum fuisse contendunt.*

## CAPVT XXXXI.

**N**ON est difficile ex ijs quæ hactenus dicta sunt à nobis, maximè vero ex illis Patrum testimonijs, quæ superius citauimus, erroris huius fraudem detegere, refellere, conuincere. Verum nulla, errorem hunc, aut verbi Dei, aut antiquorum Patrum auctoritate solidari, sed ei ex diametro potius repugnare, ex ipso rursus Dei verbo planum faciemus. Nam qui dicit, Caro mea verè est cibus, necessariò sequitur, vt eam verè etiam manducari posse asserat. Nullo etenim modo id verè cibus est, quod verè manducari non potest. Falsò siquidem cibus dicitur, quicquid manducabile (vt sic loquar) non fuerit. Ita & quod in signo tantum comeditur, non verè cibus, sed signatus tantummodo cibus est. Qui proinde dicit, carnem suam verè cibum esse, hoc ipso, illa quoque verè manducari posse monstrauit. Quocirca falso, à Oecolampadi, Christum de vera, ac reali carnis suæ manducatione hoc in Euangelio locutum esse negas. Illius

lius proinde mentem atque sententiam à Maioribus nostris longe melius quam à te intellectam esse comperio. Illi namque Christum de vtraque simul, hoc est, de spirituali, pariter ac reali manducatione locutum esse, semper existimarunt, ac publicè professi sunt. Vtraque siquidem, vt vita æterna restitui posset, ex quo sacramentum istud institutum est, semper necessaria fuit, quemadmodum superius satis copiose monstrauius. Nihil insuper credendum antumas, quod verbo Dei parabari confirmarique non possit. Atqui certe, quicquid de sublimissimo sacramenti huius mysterio dicitur, magna verbi Dei, & non humanæ opinionis auctoritate confirmetur, necesse est. Quæ cum ita sint, ostende mihi (quæso) quo Dei verbo hæc tua propositio, qua potissimum totius erroris opinionis tuæ (quæ omnium antiquorum patrum auctoritati, ac sententiæ ex diametro trepugnat) robur, ac firmitamentum innititur. Dic mihi (inquam) vbinam Christus in Euangelio, se hic de reali corporis sui manducatione locutum esse negauerit. Id Christus certe nusquam dixit. Hæc præcipua tamen legis tuæ basis est, nihil scilicet recipiendum esse, quod scriptura non dixerit. Cum diabolus olim cum Christo disputaret, dicebat illi, scriptum est, Ac sic, re vera, quemadmodum ille citabat (etsi non eodem sensu) scriptum erat. Verum tu patre tuo diabolo longe amplius facis. Tu siquidem nos cogere vis, vt verbum tuum, quod ex diametro, Dei verbo repugnat, pro vero Dei verbo suscipiamus. Quod ad me attinet, cum de vera, ac reali corporis sui manducatione, Christum locutum fuisse credo; ego ipsa deum, quæ verba, ac facta in suis Euangelistis credo. Tu vero, cum negas, eum de huiusmodi manducatione locutum esse, cuiam (obsecrò) credis? Vbinam hoc scriptum est? Quis (quæso) propheta, quis Apostolus, quis Euangelista hoc vnquam dixit? Verborum tuorum auctorem (si potes) nobis ostende, num hæc tua somnia sunt, an vero alius quispiam ea tibi dixit? Neque enim Christus, neque eius Apostoli, neque Euangelistæ, neque Catholica Ecclesia, neque veteres vlli doctores istud vnquam asseruerunt. Restat igitur, vt tu ipse huiusmodi verba excogitaueris, vt diabolo, ad opponendum Dei verbo, suum (nequaquam) sub-

sidio fores. A nullo plane alio, nisi ab altero vestrum, imò ab vtroque potius dixerim, auctore huiusmodi verba prodierunt. Eheu, quam misere falluntur, qui istiusmodi verba pro fidei suæ firmitamento suscipiunt? Num enim fieri vlllo modo posset, vt huiusmodi fides vera sit, quæ tam pernicioso, ac ruinoso fundamento innititur? Quæ enim, impudentiæ dixerim, an temeritas, an cordis potius cecitas, posteaquam toties Christum de carne sua verè manducanda locutum fuisse audierimus, velle nihilominus contendere, ipsum de ea nullam omnino mentionem fecisse. Cæterum priusquam eam Christi verba, quibus ipse Apostolis suis, id, quod illis iam ante promiserat, exhibuit, explicarem; operæ precium iudicauimus, de ijs rationibus copiose differere, quibus monemur, vt verba eius promissoria sic exponamus, quemadmodum hactenus exposuimus. His enim ritè intellectis, & illa quoque facile, & absque vlllo fere negotio intelligi possunt. Cum igitur illa iuxta literam, absque vllis omnino figuris explicanda esse, diferte satis ostenderimus; consequens est, vt & ista quoque simili plane modo exponi debeant. Et si propria ipsius caro erat, quam se hominibus in cibum daturum pollicebatur, consequens erit, ipsum de eadem plane, & de nulla alia locutum fuisse. Hoc igitur pro magno ac stabili fundamento nobis erit, super quod aliorum verborum Christi (quibus cum ipse de hoc cibo loqueretur vsus est) expositionem atque intelligentiam extruere possimus. Hæc enim omnino ad eius promissionem conformiter exponenda sunt. Si igitur carnem suam verè hominibus in cibum promiserit; non igitur, vt quædam scriptura, sed propria ipsius caro erit, quam eis exhibebit. Absit enim vt tantus tamque fidelis pollicitor, si suis verba dare velit, vt videlicet aurum illis promittat, & ferrum exhibeat; granum promittat, & palcas largiatur. Absit, inquam, vt hoc de Domino Iesu vnquam sentiamus. Nunc igitur superest videamus, quibus ipse verbis vsus sit, cum carnem suam Apostolis manducandam dedit, quemadmodum eam illis antea promiserat.



# ACTIO TERTIA

## IN SACRAMENTARIOS HAERETICOS,

*IN QVA EX IIS VERBIS, QVAE IN EXHIBENDO IN VLTIMA CUM APOSTOLIS CAENA CORPUS SUUM SUB PANIS SPECIE DIXIT, RATIONES EDUCUNTUR QUAMPLURIMA AD FIDEI MAIORUM CONFIRMANDAM VERITATEM, ET PRATEREA PRAEDICTORUM VERBORUM FULSIS-  
SIMAM EXPOSITIONEM EAMQUE CLARISSIMAM PROPONIMUS.*

*Dominica Caena explicatio, ubi ea primum Christi verba declarantur, quibus ipse usus est, cum sub specie panis corpus suum Apostolis daret.*

### CAPVT XXXII.

*Mat. 26.* **B**EATVS Euangelista Matthaeus Dominicae caena verba sic refert: Canantibus autem illis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. *Marc. 14.* Diuus Marcus iisdem pene verbis, quibus & Matthaeus utitur: Lucas autem sic ait: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. *1. Cor. 11.* Apostolus quoque Paulus: Ego enim (inquit) accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem; Hæc trium Euangelistarum, ac D. Pauli verba sunt: quæ ut commodius intelligamus, singulæ, quæ sacramenti huius institutionem præcesserunt, circumstantiæ diligenter obseruandæ sunt, ut sic ad ea audienda, intelligenda, credenda, aptiores efficiamur: Imprimis Apostolicorum pedum lotio, quæ ante horum verborum pronuntiationem, tam humiliter à Christo celebrata est, magnum, ac singulare quoddam in illis mysterium comprehendit, nobis innuit. Eò

spectant & singulæ res aliæ, quæ in notii paschæ nostri præparatione reperiuntur: Hic proinde facile animaduertere est, quæ quemadmodum ante cibi huius promissionem, admirabili, ac stupendo quodam miraculo de quinque hominum millibus s. panibus satiatis, discipulorum suorum corda præparare voluit, ut commodius ea, quæ de admirandis effectibus, cæterisque cibi huius proprietatibus eis dicitur erat, audiverit, ac crederet; ita denuo magnis ac stupendis eos miraculis præparare, ac disponere, voluit ut ea verba quæ ipse eis in caena, cibum hunc illis exhibendo diciturus erat, libenter exciperent, ac crederent, quod sic cibum illum ad salutem manducarent, ac sumerent. Quocirca appropinquante huius institutionis tempore, solito abundantius, miracula, in tanto numero undique ebulliebant, ut totus pene mundus ad eum sequendum commoveretur: Tunc inter cætera, præclarum illud resuscitati Lazari miraculum, stupente natura, inimicis admirantibus, amicis letantibus perpetravit: Sub id quoque temporis, nobilissimum illud, maximo cum triumpho, ac pompa in Hierosolymorum urbem ingressus est, qui sane introitus propter populi Hierosolymitani, ac paruulorum corda subito (ut sic eum honorifice exciperent, ac prædicarent) ab ipso immutata, non minus, atque alia quæuis stupenda eius opera, celebris fuit: Dic (quæso) quidnam homini illi tandem non crederes, à quo paucis antè diebus quatrduanum mortuum ad vitam reuocatum, tuis oculis ipse vidisses? Quidnam illi impossibile esse putares? Qui enim corpus mortuum, ac putridum, vno vocis imperio, dicens, Lazare

### IN SACRAMENTARIOS. ACTIO III.

Lazare veni foras, in corpus viuum, ac robustum, subito transformare potuit, nunquid ille, iisdem omnipotentia suæ verbis, mortuum panem, in verum ac viuum corpus suum immutare non poterit? Illud siquidem eius verbum, quo mortui tam facile monumentis extrahuntur, quid tandem (quæso) efficere non poterit? Ipsius itaque Apostoli, celebri hoc miraculo in fide corroborati, tandem didicere, nihil in posterum de eius verbis disputandum, percontandum, aut dubitandum esse, sed pro pro animo ei credendum, ac obtemperandum, quicquid ille tandem aut præciperet, aut credendum proponeret: Adde quod & diebus propemodum singulis Lazarum in sua societate, ac mensa conspiciabant, ipsi familiariter cum illo bibebant, comedebant, colloquebantur. Ipsi de alterius vitæ statu pariter conferebant: Quid igitur tanto viro, tam claro euidenti miraculo, verbi sui potentiam comprobanti non crederent? Dicit mihi, qui huiusmodi miracula aliquando adiderit, quicquid tandem voluerit, & ego de verborum eius potentia, ac veritate, quantumuis difficilia, aut etiam incomprehensibilia fuerint, quæ ille mihi dixerit, nunquam profecto dubitabo: Neque vero ob id, quod ei fidè adhibuero, aut quod nihil ei deinceps vel difficile, vel etiam impossibile esse credidero, me vnquam decipi posse existimauero: Atqui frustra hæc non dixerim: Nam huiusmodi profunda consideratione, magnum illud, & altum, discipulorum eius silentium oriebatur, cum sublimibus sacramenti huius mysterijs auscultandis operam darent: Ad id quoque magnum illud miraculum, ac diuinitatis suæ demonstratio non parum conferebat, quam eo ipso die coena exhibuit, cum Petrum ac Ioannem mitens, ut ea quæ ad celebrandam coenam opus erant, præpararet; futurum eis prædiceret, ut ipsis in ciuitatem introeuntibus vir aqua lagenam baiulans occurreret, quem ipsi sequerentur. Id quod eodem plane modo, quemadmodum illi eis prædixerat, accidit: Hoc namque certissimum ipsis indicium erat, illum omnia nosse, & quod diuina prouidentia disponeretur, quicquid in ea coena gereretur: Atqui ita sane factum est, ut hac omnipotentia, ac diuinitatis Christi experi-

entia enutriti, dociles, ac idonei tandem redderentur, ut facile crederent, quicquid eis ille dicere voluisset.

*Quod Apostolicorum pedum lotio, cum ceremonijs in ea obseruatis, ac verba quæ in illa, ex vtraque parte dicta fuerit, plurimum conferant, ut sacramenti huius verba rectè intelligamus.*

### CAPVT XXXIII.

**I**psa quoque pedum Apostolicorum lotio, quæ sacramenti huius institutionem immediate præcessit, summa admiratione digna fuit, ac talis plane, quæ non mediocriter ad sublime sacramenti huius mysterium rectè intelligendum, nobis conferat. Quemadmodum igitur ex quinque panum miraculo, ut promissoria celestis cibi huius verba rite intelligeremus, plurimum adiumenti accepimus: ita & nunc lotionem illam, atque aliã, quæ in ipsa mirabiliter gesta sunt; ad exhibitioria verba rectius intelligenda accommodabimus: Hæc enim non magna solum omnibus verbis, quæ in caena Christus protulit, lucem adferent, verum etiam pro singulari quadam præparatione nobis erunt, ut ea commodius intelligamus: Prima circa pedum lotionem obseruatio: Primò igitur obserua, quæ admodum D. Petrus eximiam illam Christi nobilitatem, summamque maiestatis eius celestitudinem apud se expendens (ut pote, qui spiritali sancto reuelante, illum verum Dei filium esse, certo cognouerit) secum de tam profunda Christi humilitate admiraretur, ac obstupefceret, satis apud se demirari nesciens, quod tanta maiestas eo sese demitteret, ut vilissimi piscatoris, imo & peccatoris pedes ablueret: Quis (quæso) sæculi huius Imperator, quis Rex adeo humilis, ut dignetur seruatorum suorum non dico pedes ablueret, sed vel aquam saltem ad manus abluendas porrigere? Verum id hac de causa gerebatur, ut nemo prorsus, in alijs redemptionis nostræ operibus, ac mysterijs, de ipsius Christi humanitate, ac vera humilitate dubitaret; maxime verò ut nemini dubium esset, quin ille qui se tantopere humiliasset, ut peccatorum pedes ablueret, eò etiam vsque sese demittere paratus esset, ut se peccatoribus in cibum daret;

ret, ac eorum se manibus atrectari sine-  
ret. At dicit hic fortasse quispiam: Iudæ  
saltem, quem & proditorem, & necis suę  
machinatorum esse, optime nouerat, pe-  
des ablueri non debuerat: Attamen id  
fecit. Cur id rogo? vt nemo dubitaret,  
quin p̄mittere velit, vt & indigni quo-  
que eum in hoc sacramento, ad suam ip-  
sorum licet damnationem, quemadmo-  
dum & Iudæ accidit, suscipiant.

#### Secunda observatio.

**S**ecundo animaduerte, quemadmo-  
dum Petrus tanta Domini Dei sui  
humilitate, ac modestia plane attonitus,  
quem videbat genibus coram se flexis,  
vt immundos pedes suos ablueret, excla-  
mauerit, dicens: Non lauabis mihi pedes  
in aeternum. Sic nimirum proprii sensus  
sui iudicium, Dei sui consilio preferens:  
Et hoc ideo, quod ab omni prorsus rati-  
one alienum esse iudicaret, vt ipse Deus  
hominis vilissimi pedes ablueret. Ita pla-  
ne & in hoc sacramento accidit: Sensus  
namque humanus vix sibi persuaderi si-  
nit, vt credat, Deum tantopere se velle  
demittere, vt preciosum corpus suum  
indignis peccatorum manibus contrec-  
tari, ac ab eis in cibum recipi patiatur.  
Quocirca increduli sibi nunquam per-  
suaderi posse dicunt, vt Deum ita in ma-  
nus peccatorum descendere credant, ac  
ideo suis argutijs in oppositum disputat,  
dicentes: Quomodo ita Deus in pecca-  
torum manus sese dimittere, aut eorum  
cibus esse dignetur. Huiuscemodi erat  
Pharisæus ille, qui beatam illam pecca-  
tricem Magdalenam, ad pedes Domini  
lachrymarum imbre perfusam, ac eos  
capillis suis tergentem conspiciens, cum  
animo suo dicebat: Hic si propheta esset,  
sciret utiq; quæ, & qualis est mulier, quæ  
tangit eum, quia peccatrix est. Alij quo-  
que Pharisæi animaduertentes eam in  
peccatorum conuiujs, ac mensa mandu-  
care, ac bibere, murmurabant, discipulis  
que improperabant, dicentes: Quare ma-  
gister vester cum peccatoribus mandu-  
cat, & bibit? Ecce humani sensus iudici-  
um: Ecce quemadmodum de Dei operi-  
bus mortales iudicant, cum infinitam ip-  
sius humilitatem, humani cordis super-  
bia metiuntur: Nam Deum, non secus,  
ac ipsi, superbum esse existimant: Ceterū  
ille, qui ob hoc venerat, vt peccatores ad

penitentiam, ac Dei misericordiam re-  
uocaret, eosque saluos faceret, ab ipsorum  
societate non abhorruit, neque cum eis  
bibere, ac māducare dedignatus est: Quā-  
tam mentis consolationem, quantam  
de Dei misericordia confidentiam beata  
Magdalena conceperat, cum ita ad cor-  
poris illius contactum se videret admis-  
sam? Quod si eam Christus iuxta Phari-  
sæi consilium, dedignatus fuisset, & à se  
repulisset, quam abiecto animo illa fuisset,  
imo in quā profundum desperationis  
barathrum incidisset? Sic & nos hodie,  
quantam ex ea consideratione spem  
concepimus, cum Christum cogitamus,  
nūc adhuc cum vilissimis peccatoribus,  
cuiusmodi nos sumus, non solum mandu-  
care, verum etiam vt sacrosanctum ei-  
us corpus atrectemus, ac suscipiamus,  
permittere? Quis vnquam, tantam Dei  
bonitatem, ac humilitatem secum ex-  
pendens, de eius misericordia desperare  
audcat?

#### Tertia observatio.

**A**dhuc expende, quod Petrus aliud,  
quam quod Deus conceperat, ac  
statuerat, consilium dare cupiebat. Vo-  
lebat enim, ne aut omnino Christus pe-  
des suos lauaret, aut saltem, vt non cor-  
poraliter, sed alio plane modo, puta, spi-  
ritualiter, fide, aut verbo suo ablueret: Ita  
planè & in augustissimo hoc sacramē-  
to, sæculi huius sapientes, consiliū, quod  
Christi consilio ex diametro repugnet,  
dare cupiunt: Non enim volunt, vt ipse  
nobis carnem suam realiter in cibū præ-  
beat, sed spiritualiter tantum, aut alio,  
nescio quo, modo, quem ipsi dormien-  
tes forsitan somniarunt. (Non enim  
quomodo illam nobis modo id corpo-  
raliter non fiat (tribuat, curant) sic sanè  
multo magis cupientes, ne se omnino  
nobis in cibum potius tribuat, quam se à  
nobis corporaliter recipi patiatur: De-  
inde verò, ac si eius corpus, ipsius spiritu,  
ac diuinitate longè præstantius esset, a-  
lienum non putant, si suam diuinitatem  
nobis communicet, cum id de ipsius hu-  
manitate alienissimum existiment. Ea  
est sapiētiae secularis, ac carnis huius, quæ  
Deo inimica est, conditio.

#### Quarta observatio.

**C**hristus responso suo, clare satis spi-  
rituales istos homines (qui & cor-  
poreos

poreos quoque se esse obliuiscuntur, ac  
sic omnia externa remedia despiciunt)  
in magno errore versari ostendit; muni-  
diciem ac purificationem corpoream si-  
mul cum spirituali necessariam esse do-  
cens: Nam etsi omnes quo ad spiritum,  
vno dempto, (vos enim mundi estis (in-  
quit) sed non omnes) mundi, purificati-  
que essent, nihilominus tamen, ne pro-  
pter spiritualia remedia corporea (quæ  
per sacramentorum vsum, corporibus  
nostris adhibentur) contemnerent, terri-  
bilem (quod Petrus sibi, vt pedes lauren-  
tur, pati nolebat) comminationem ad-  
iungit, dicens eum nunquam in gloria  
sua partem secum habiturum, nisi verè,  
ac corporaliter pedes suos abluisset: Ita  
ne quis realem, ac sacramentalem corpo-  
ris sui, propter spirituales (quam neces-  
sariam quoque esse satis nouerat) com-  
munionem despiceret, mortem aeternā  
Capharnaitis, qui illam reiciebant, in-  
terminatus est, dicens: Amen, amen dico  
vobis nisi manducaueritis carnem filij  
hominis, & biberitis eius sanguinem, nō  
habebitis vitam in vobis.

#### Quinta observatio.

**Q**uinto. Petrus vehementer obstu-  
pescebat, ac vix præ nimia admirati-  
one sibi persuadere poterat, id ita in rei  
veritate esse, quod præ oculis intuebatur,  
vnde in hanc vocem totus attonitus eru-  
pit: Domine, tu mihi lauas pedes? Ac si  
diceret: Quomodo fieri potest, vt tu Do-  
minus meus, magister meus, Deus meus,  
Creator meus, ita mihi pedes abluas? Sor-  
didos (inquam) pedes meos; pedes me-  
os, qui aliud nihil sum, quā exiguus terre  
vermiculus, imò (quod peius est) aliud  
nihil, quam peccator vilissimus, ac lon-  
gè, cui huiuscemodi obsequium præstes,  
indignissimus. Ita profectò & credentiū  
quisque magnopere obstupescit, & ea,  
quæ Christus, in augustissimo hoc sacra-  
mento, aut facit, aut dicit, vix præ nimia  
admiratione vera esse, sibi persuadere po-  
test: Vnde admirandus ait: Itane iu-  
bes Domine, vt ego te recipiam? Verum  
quomodo ego peccator vilissimus, atq;  
indignissimus preciosissimum illud cor-  
pus tuum contingere audebo? Quomo-  
do? Tunc ille sanctus sanctorū, ille De-

us, & homo, vnquam patieris vt corpus  
tuum, hominum cibus fiat?

#### Sexta observatio.

**S**ed quid? Quemadmodum certè Pe-  
trus grauem Christi comminationē  
audiens, propriæ opinioni, proprioque  
sensui renunciat, ac totum se diuinæ di-  
spositioni subiicit, dicens: Domine, nō  
tantum pedes, sed & manus, & caput, po-  
tius abluere, quam in regno gloriæ tuæ par-  
tem tecum non habeam, ac ita, nec am-  
plius verbo Dei obistere, nec humanis  
rationibus contra illud audens disserere;  
Christum operis sui institutionē exequi  
sinit; Ita & quilibet Christianus, verusq;  
Christi discipulus in augustissimo hoc sa-  
cramento facere debet. Hic ipse siquidē  
audiendus est, hic consilio ipsius acqui-  
escendum, hic eius præscriptio amplectē-  
da, hic ipsius verba attentè, ac reuerēter  
audienda, ac credenda sunt; Et ne pluri-  
bus immorer, quodcumque remedij ge-  
nus: contra mortem, atque immundici-  
am nostram sibi instituit, ac nobis præ-  
scribere lubuerit, quantumcumque etiā  
aut absurdum, aut extraneum illud no-  
bis videatur, humiliter sanè à nobis illud  
acceptandum erit: Ac sic tandem intel-  
lectus noster per veram fidem, ac volun-  
tas per simplicem obedientiam, sanctis-  
simæ maiestatis suæ obsequio penitus  
emancipanda erunt: Atqui hoc sanè est,  
verè christianum esse.

#### Septima observatio.

**I**n hac lotionem Petrus Magistri sui cō-  
siliū, nullo modo intelligebat: Vn-  
de Christus ei dicebat: Quod facio tu  
nescis modo, scies autem postea: Ita &  
in hoc sacramento diuini consilij rati-  
onem neque intelligere, neque huma-  
no nostro ingenio capere possumus:  
Nobis proinde sufficiat, quod eum sic  
velle cognoscimus: Quantum enim ad  
hoc attinet, vt intelligamus, quomo-  
do, aut quare ipse istud sic faciat, postea  
sciemus, cum peractō vitæ huius cur-  
su, non amplius in speculo, aut ænigma-  
te, sed facie ad faciem, eum, sicuti est, vi-  
debimus. Tum siquidem omnia myste-  
riorū eius arcana clarè conspiciemus. In-  
terim sat nobis sit, quod abudè sufficiētē

modum, ac notitiam, nobis suppeditauerit, quibus ad tantam felicitatem peruenire possimus. Ad hoc igitur tantummodo elaboremus, ut ea, quæ nobis ipse præscripsit, opere compleamus. Quocirca ne (quæso) nimium curiosi simus, ut temere perscrutemur, cur præter spiritualem, realem quoque corporis sui manducationem instituerit, sed quemadmodum D. Petrus non intelligens, ad quid opus foret, ut præter spirituales lotionem, verè, ac corporaliter quoque ablueretur, grauissimam Magistri sui comminationem audiens, simpliciter acquieuit, ac obediuit, ita & nos, tanti Apostoli exemplo edocti, Seruatoris nostri verbo simplici mente credamus, ac obtemperemus.

#### *Octaua observatio.*

**I**BI Petrus longe amplius, quam ab eo Christus exigebat, obtulit, inquit: Domine, non solum pedes, sed & manus, & caput: Verum Christus tanquam medicus egregiè expertus probè nouerat, ubi nam morbus lateret, unde ei, qui in reliquo mundus est, solos pedes laudos esse pronunciat: Ac si dicat: Nunquid tuum est, mihi præscribere, quid agere, aut quo ordine sanare te debeam? Scio cui corporis, imò animæ parti malagma debeat applicari: Noui quid in tepurum, ac nitidum, quid item immundum sit, ac sordidum: Manum medicam tantummodo patere, & sanaberis. Ita plane & in corporis sui receptione agendum est: Optime enim nouit corpus nostrum, non secus, atque animam, remedio contra mortem egere, unde duplex, spirituale scilicet, ac corporale remedium, præscribit.

#### *Nona observatio.*

**N**OS insuper ibi miramur, quam obrem ante noui huius paschæ manducationem, Christus pedum lotionem exigeret, qui aut nihil penitus, aut certe parum alioqui curaret, vtrum discipuli sui cum panem communem manducarent, manus abluerent necne. Imò alias (quod amplius est) contra Phariseos, qui eos carpebant, quod cum panem sumerent, manus non abluerent, eorum partem ipse defendit. Cur nunc igitur iubet, ut non solum manus, sed & pedes quoque

lauentur? Antiquum illud Mosaicæ legis pascha, quod huius signum, ac figura erat, iam sæpius cum illis comederat, nec ob id, eos tamen vnquam aut manus, aut pedes abluere iussit: At nunc animaduertere est, quemadmodum comesto priori illo pascha, è conuiuio surgat, aquam in peluim mittat, linteo se præcingat, ac eorum pedes, prius, quam celestem cibum suum eis porrigat, diligentissime abluat. Ex quo sane meridiana lucè clarius constat, aliquid hic omnibus veteris illius testamenti cibus, ac nostro etiã communi, longe præstantius subesse. Quippe cibi isti, etiam si nec manus, nec pedes lauentur, absque vitæ æternæ dispendio comedi possunt. Atqui hæc solidissima ratio est, quæ præter spirituale antiquorum patrum escam, realem quoque in hoc pascha nostro cibum, verum nempe Christi corpus, & non eius signum, cui figuram tantummodo subesse, necessarium colligit. Alioqui cur tanta non solum mentis, verum etiam corporis mundicia opus foret?

#### *Decima observatio.*

**I**BI Petrus, cum spiritu, ac mente purus esset, corporeo illo lauacro nihil opus esse iudicabat, quin vanum potius, ac omnino superfluum esse existimabat: Ita & hic ingenijs quibusdam, quæ nimium sibi placent, ac plus, quam ipse Deus, sibi sapere videntur, spirituales solum manducationem sufficere, ac corporale proinde, eo quod omnia iuxta illorum iudicium fide constant, penitus vanam, ac omnino superuacaneam esse somniant. At Christus exemplo suo, vtramque necessariam esse demonstrat.

#### *Vndecima observatio.*

**V**ERUM ut hæc commodius intelligamus, quem corporalis ista sacramenti huius manducatio, præ spirituali, effectum habeat, ut corpora nostra mundet, ac purificet, diligenter consideremus, necesse est. Quia in re notandum est, peccatum, non spiritum, seu animam tantummodo; verum etiam corpus ipsum inficere, ac polluere: Vnde non sola anima, sed corpus quoque poenas peccato debitas luit, ac patitur. Ecquid hoc nobis (quæso) denotat? Certissimum profecto nobis

nobis indicium est, opus esse, ut corpus, non secus atque anima, remedij contra peccatum particeps sit, ita ut quemadmodum illud peccato contaminatum est, sic & remedio illo purgetur, à maculique mundetur. Cæterum hic aliquantisper, si lubet, philosophemur, ut quodnam genus sordium, sacramento hoc eluatur, certius intelligamus. Id enim, ut duplicis huius manducationis, tum institutionem, tum fidem (quam inuolante custodire debemus) commodius intelligamus, plurimum nobis cõferet: Animaduertamus igitur, omnes eos, qui sacramentum hoc indigne suscipiunt, ad suam ipsorum perniciem æternamque supplicium suscipere, quemadmodum diserte Paulus ostendit. Indigni vero sũt, omnes ij, qui in læthali aliquo peccato actu existunt. Nihilominus tamen peccatorum remissio, vnus sacramenti huius effectus est: Sed quomodo ista inter se conueniunt? Recte profecto conueniunt, si ea, quæ mox, quæ dicturus sum, recte intelligantur. Dico igitur, quod quamuis eos, qui sacramentum hoc sumere volunt, ab omni peccati mortalis culpa liberos, ac omnino puros esse oporteat, nihilominus tamen, culpa remissa, peccatorum adhuc reliquiæ manent. Cuiusmodi sunt concupiscentia mala, praua inclinatio, poenæ temporalis obligatio, peccata venialia, &c. In primis igitur, per vnionem illam, qua in hoc sacramento, caro nostra, Christi carni realiter copulatur, prauæ illæ concupiscentiæ, & ad malum procliuatates, paulatim coactentur, reprimuntur, sopiuntur. Deinde verò poenæ temporalis obligatio, & peccata, si quæ sint, venialia, per deuotam, ac realem sacramenti huius susceptionem pedetentim quoque imminuuntur, ac remittuntur. Idque nunc magis, nunc minus, iuxta suscipientium fidem, ac deuotionem, quibus passionis Christi meritum (quæ in sacramenti huius celebratione, consecratione, ac receptione commemoratur) ipsis applicatur. Cæterum, peccati mortalis culpa tantum abest, ut hic remittatur, ut potius sacramenti huius effectum impediatur. Hæc igitur euidētissima ratio est, quæ reale sacramenti huius manducationem nullo plane modo superflua esse conuincit. Quæ non immerito alioqui superflua videri posset, si ante huiusmodi susceptionem, peccata omnino, & quo ad culpam, & quo ad poenam condonata, ac remissa essent. Quæ enim remissionem, aut quæ mundiciæ, hoc sacramento susciperemus, si statim culpa remissa, nihil amplius condonandum, aut purgandum in nobis relinqueretur? Maxime autem cum nullo modo illud suscipere nobis licitum esse satis sciamus, nisi culpa prius remissa sit? Hinc igitur colligimus, reale hanc sacramenti huius receptionem institutam esse partim, ut peccatorum reliquiæ in nobis mortificentur, partim ut poenæ istæ temporaneæ, quæ poenitentium peccatis adhuc debentur, aboleantur: Atqui sic nullo modo hæc inanis, aut superuacanea dici potest, sed utilis potius, ac admodum necessaria. Hæc enim vltima est peccatorum lotio, quæ per reale corporis Domini receptionem geritur. Reliquos autem sacramenti huius effectus, aliàs cum opportunius fuerit, copiosius explicabimus. Nunc ad institutum reuertamur.

#### *Duodecima observatio.*

**Q**uemadmodum D. Petrus diuinæ tandem voluntatis imperio totum se subijcit, paratus ad omnia, quæ circa ipsum Christus agere voluisset, corpus et animam sanctissimam ipsius voluntati offerens; ita & nos hic Redemptori nostro dicere debemus. Quandoquidē eò te demittere dignatus es, o Domine Deus, ut cibum noster fieres, ut vitam in Adamo perditam recuperarem, ac (nisi te suscipiamus) mortem sempiternam nobis comminaris; fiat prout sanctissimæ voluntati tuæ visum fuerit: Parati enim sumus non tantummodo pedes tuos, quemadmodum Magdarena, verum etiam manus, & caput; diuinitatem tuam, pariter ac humanitatem suscipere, amplecti, ac deosculari: Nam nos cum in hoc sacramento, non per partes, sed ex integro accipimus. Hoc est, non solum ipsum corpus, non solum animam, non solum spiritum, non solum diuinitatem, sed integram Christi personam, cum omnibus thesauris cælestibus, qui in illa absconditi sunt, recipimus; ita ut simul ipse carnem, sanguinem, animam, spiritum, diuinitatem, sanctissimamque ipse gratiam suscipiamus. Cum igitur, ita DEO visum sit, nostrum sanè non fuerit, istud abnuere, ijs præsertim comminationibus, quas ipse adnexuit: bene expensis. Quamobrem cum magna

gratiarum actione, ac ingenti summæ ipsius bonitatis admiratione, id ab eo suscipiamus, quod ipse pro salute nostra, præscribere, instituire, præcipere dignatus est. Et cum Petrus audita Magistri sui comminatione statim siluerit, ita ut amplius sanctissimæ ipsius voluntati obistere ausus non fuerit, scilicet & nos; ac inscrutabilia diuinæ maiestatis circa sacramentum istud consilia taciti veneremur, humilesque adoremus. Et cum filium Dei, mortem æternam nobis minitantem audiamus, nisi carnem eius manducauerimus, & sanguinem eius biberimus, cum omni reuerentia, timore, ac firma spe, ad tremenda hæc mysteria, nihil de eorum rationibus deinceps curioso percrutantes accedamus.

### Tertiadecima observatio.

Postremo, in ea lotionem, cæteri Apostoli audientes, quid Petro Dominus responderit, diuinæ providentiæ non fuisse ausi amplius obistere, sed responso illo, quod Dominus Petro dederat, fuisse contenti. Ita & in hoc sacramento nobis sufficiat, quod Iudæi, ac nonnulli eius discipuli nimium curiosi fuerint, ut sublimia illius mysteria ambitiose nimis indagare præsumpserint: Deinde animadvertentes Christum huiusmodi homines responsis suis non dignari, sed terrores, ac minas tantummodo illis incutere, nisi crederent, ac cibum, quem ipsis offerebat, acciperent, pro certo persuasum habeamus, ingens crimen esse, velle in huiusmodi rebus nimis curiose agere. Neque enim nostrum est, nosse tempora, aut momenta, aut eius generis alia, quæ diuina maiestas sibi soli referuat: Neque rursus nostrum scire est, quæ admodum Deus, id quod promittit, adimplere possit, sed nobis sufficiat, ut ea quæ ipse pro nostra utilitate ac salute præscripsit, intelligamus. Cohibeat nos proinde aliorum curiositas, neque aliam à Domino responsionem præstolemur, quam ipse alijs, qui ante nos curiosi fuerunt, dedit: Maiores nostri satis diligentes, ac studiosi fuerunt, ut quicquid de hoc sacramento scire tenemur, indagaret. Quis est, qui coram laboribus, vigilijs, diligentia, studio, industria, non dico superare, sed vel saltem æquare possit? Nemo plane: Eorum proinde studio, ac fidei secu-

re acquiescamus, ac simpliciter, quemadmodum & ipsi, verbo Dei credamus, ac obtemperemus. An vero mortalium quemquam, adeo subtiliter arbitramur, ut huiusmodi quæstionibus & argutijs, melius quam ipsa Dei sapientia respondere possit? Minime verò: Sit igitur suo quisquis voluerit periculo Capharnaitarum more, curiosus: Nam quod ad nos attinet, ipsius Christi, (qui est via, veritas, & sapientia) responsio satis nobis sufficiens est. Ecce quam magnam ex corporea illa pedum Apostolorum lotionem preparationem collegimus, ut ea verba, quæ Christus sacramentum istud instituens, protulit, commodius percipiamus, ac intelligamus. Nunc igitur reliquum est, ut & alias verborum Christi circumstantias discutiamus, ut prius, quam conclusionem verbi Dei hortum egrediamur, Maiorum nostrorum aduersarios copiosè confutemus. Nam cum iam discorū verborum circumstantias cõtemplamur, veritatis argumenta vndique nobis sese offerunt.

*Quod insuetæ Domini ceremoniæ, quibus in panis consecratione usus est, ac Apostolorum eum auscultanti, respiciendiq; gestus idoneum nobis argumentum suppeditent, ut eum quem patres nostri secuti sunt, verum Christi verborum sensum esse comprobemus.*

### CAPVT XXXIII.

Insuetæ illæ Domini ceremoniæ, quibus panem, pariter & calicem in manibus accipiens, usus est, cum aliquid longè maioris ponderis, quam cum agnum paschalem comederet, agere velle, præseferunt. Euangelistæ siquidem referunt, quod, cum iuxta Moysæ legis ceremonias, cœnam sumpsisset, ac paschalem agnum comidisset, à mensa surrexerit, ac discipulorum pedes lauerit, quo facto, panem rursus accepit, ac denuo benedixit: neque enim cuiquam dubium esse debet, quin ab ipsius statim cœnæ principio, panem, cæterosque cibos sua benedictione impertierit; nihilominus tamẽ eum, quem post cœnam sumpserat, panem iterum benedicit, quæ cum fregisset, illis distribuit, dicens. Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: Id quod neque alijs profecto, quos antea sumpserat, panibus, neque

neque alijs, quos liberat, calicibus addidit: Nullum planè cibum alium, corpus suum esse pronunciat, nisi hunc modo panem, quem in vltima hac cœna benedixerat: Quid igitur hæc sibi volunt? Attentos profecto nos efficiunt, ad ea, quæ subsequuntur: Ut nimirum intelligamus, panem hunc, aut vinum istud, non amplius communem aliquem panem, aut vinum esse, sed aliud aliquid multo excellentius, multoque præclarior, id nimirum, quod ipse verbis suis esse pronunciat, hoc est, verum corpus, & sanguinem suum. Ceterum Apostoli eiusmodi res insuetas audientes, ac præ oculis conspicientes, nec in minimo quidem verbo ei nunc sese opponunt, neque vllam ex aduerso quæstionem aut interrogationem faciunt: Non enim modo interrogant, quomodo hæc eius verba intelligenda essent: Quod tamen alias semper, ubi paulo obscurius loquebatur, facere confueverant: Quemadmodum in pluribus etiam, quæ statim post sacramenti huius institutionem dixerat, ipsi fecerunt, sicuti latius apud Diuum Ioannem Euangelistam videre est. Veluti cum diceret: Modicum, & videbitis me, & iterum modicum & non videbitis me: Disputabant enim inter se ipsos, dicentes; Quid est hoc, quod dicit nobis: modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me? Dicebant ergo: Quid est hoc? nescimus quid loquitur: Sciens ergo Iesus, quia ipsum vellent interrogare, priusquam vel rogarent, verba sua illis exposuit: Tantumdem profecto & hic fecisset, si expositionem aliquam, verborum ipsius difficultas postulasset: Verum illa usque adeo clara cræt, ut nec ipse interpretationem aliquam ipsis dare, nec discipuli eius petere, oportet habuerint: Hæc itaque ratio est, cur his nec verbis illis cõtradixerint, nec vllam super ijs quæstionem fecerint: Ipsi enim omnibus, quæ ille dixisset, aut præcepisset, credere, ac obedire omnino parati erant. Deinde numquam, ita sane obscure loqui voluisset, ut sua ipsius verba erroris ansam illis præbuisent. Cum itaque discipuli immundos pedes suos, magnum illum Dominum adeo humiliter abluisset vidissent, quod ipsum alias nunquam facere velle cogitassent, quid (quæso) ex tanto charitatis, ac humilitatis excessu expectare

iam potuissent; nisi huiusmodi aliquid, quod omnem humanæ charitatis, ac humilitatis modum, mensuramque longè excederet? Quid enim aliud, in omnibus, quæ hic Christus aut gessit, aut dixit, quam merus excessus fuit? Magnus sanè charitatis excessus fuit, cum vitam suam, pro Ecclesiæ, sponsæ suæ vita traderet: Magnus quoque humilitatis excessus fuit, cum Dei filius eo se demisit, ut filiorum Adam pedes ablueret: Magnus charitatis pariter, ac humilitatis excessus fuit, quod se peccatorum manibus contrectari sinit, ac seipsum eis in cibum præbet. Magnus sapientiæ excessus fuit, ut adeo incomprehensibile mysterium, sacramentumque institueret, sub quo, absque vlla, aut sui ipsius molestia, vel læsione; aut nostro horrore, vel tædio, propria ipsius caro verè, ac realiter manducari queat. Magnus denique virtutis, ac potentiæ excessus fuit, panem in carnem suam, & vinum in sanguinem, absque vlla accidentium immutatione, conuertere. Vbiq; igitur excessus valde magnus est. Quicquid proinde hic agitur, omnem humani ingenij capacitatem longè exuperat. Tantorum igitur excessuum profunditatem non curiose percrutemur, sed reuerentè potius admirari studeamus: Hic siquidem Moyse, aut Helia quodam (in monte quondam Thabor familiariter cum Domino, de eo, quem in Hierusalem facturus erat, excessu contulerunt) meritò opus foret, qui huiusmodi excessuum mysteria comprehendere possit: Nunc igitur quod ad nos attinet, patienter expectemus, donec in illâ quoque cœlestè Hierusalem conscendamus, ubi in eandem cum ipso gloriæ claritatem transformati, diuinorum mysteriorum arcana clarissimè contemplari possimus. Interim vero quamdiu hic peregrinamur à Domino, videamus, quemadmodum Apostoli, & audiamus, quid nobis ille diuina auctoritate præcipiat, & quemadmodum illi omnia sub silentio audientes, simpliciter magistro suo in omnibus credebant, obediebant, & obtemperabant, ita & nos facere studeamus: Ex hoc profundo igitur eorum silentio haud difficulter sanè colligimus, eandem ipsos fidem, eandemque verborum CHRISTI intelligentiam habuisse, quam

quam & nos modo habemus: Nā si hæc eius verba, alia de re quàm de illa, quam aperte significant, intelligi debuissent, nequaquam tam profundo sanè silentio vti fuissent; sed dictorum verborum elucidationem postulassent, quam Christus si eos vel optare tantum animadvertisset, vltro etiam non petentibus, subito, ac libenter eis contulisset: Id quod nusquam certè fecit. Quid igitur hinc colligimus, nisi ipsum de proprio corpore, ac sanguine suo, & non de eius signo, aut figura locutum esse? Hoc proinde firmum ac solidum argumentum erit, vt ad veram Christi verborum intelligentiam proximè accedamus: Verum alias dictorum verborum circumstantias prosequamur.

*Quod Pauli proemium quo ipse prius, quàm de hoc sacramento ageret, usus est, dicens: (Ego enim accepi à Domino & cæt.) magnum quoque pro fide nostra comprobanda argumentum nobis suppedieset.*

## CAPVT XXXV.

**C**VM nihil à sanctis Apostolis frustra scriptum sit, consideremus, obsecro, quidnam sibi velit nouum hoc exordij genus, quo, cū alibi nusquam vsus fuerit Paulus; hic tamè prius, quàm de hoc sacramento ageret, usus est, dicens: Ego, n. accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Quod quidem tantundem valet, ac si diceret: Quis est adeò temerarius, vt rem tanti ponderis dicere, prædicare, scribere, docere, asseuerare præsumeret: aut quis est adeò credulus, vt eam credere veller, nisi ipsemet Christus ita prædicandum, ac docendum esse dixisset? Quis propheta, quis Apostolus ad tantum mysterium hominibus nunciandum, idoneus tandem fuisset? Nullus sanè mortalium tantæ auctoritatis fuisset, vt ea hominibus recipienda, ac credenda esse, persuadere potuisset: Quocirca necessarium planè fuit, vt ipse Deus hisce derebus, omnium primus verba faceret, vt sic omnibus, qui de ijs postmodum loquerentur, auctoritatem adderet: Vnde Diuus Paulus in præclara illa extasi,

quâ in tertium vsque coelum raptus fuit, inter cætera Dei arcana, nunquam satis profecto admiranda, incomprehensibilis quoque sacramenti huius mysteria, quæ humanis aliquibus verbis explicari nequeunt, optimè cognouit: Propterea hominibus, de ijs loqui, nefas esse pronunciat: Hoc est, neminem præsumere debere, quicquam de ijs, ex suis verbis, aut ex proprio sensu dicere, aut loqui, sed ea tantummodo, quæ Dei verbo nobis innotuerunt, explicari oportere: Quocirca in ipso statim orationis suæ exordio, conceptis verbis protestatur, se non aliud hic dicturum, quàm id quod ab ipso Domino traditum acceperit: Hoc est, se non alijs, quàm Dei verbis vti velle. Quasi diceret: Cùm de huiusmodi sacramento, sermo habendus est, omnia humana verba atque rationes procul arceantur: nec aliud quidquam, nisi quod verbi Dei tradit auctoritas, recipiatur à nobis. Quod ad me attinet (inquit) Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Hoc est, Deum testor, me à Christo Domino didicisse, quicquid vobis de hoc sacramento aut dixi, aut dicturus sum, ita vt nullis, nisi ipsius verbis apud vos vti velim. Quare vestri quoque officij est, nihil hic aliud, nisi ipsum Dei verbum suscipere, nihil in tantâ re nisi quod diuinitus edocti estis, amplecti, nihil præterea credere. Nam quem admodum ego nullis alijs, nisi ipsius Domini verbis vti audeo, ita & vos hæc tantummodo recipere, ac fidem eis adhibere cupio. Vnde cum huiusmodi scriberet, mihi omnino vero simile fit, ipsum præuidisse (vti magno prophetiæ spiritu afflatus erat) futura quædam in nouissimis, atque calamitosissimis istis temporibus ingenia, adeo temeraria, cæca, inflata, vt ex proprio sensu, & ex suis, & non DEI verbis loqui auderent. Hoc igitur loquendi genere, nouitia illa Berengarij, Zuingli, Caluini, aliorumque similiū verba, cuiusmodi sunt, significat, signum corporis, effectus, figura, metaphora, & cæt. procul abigit & explodit, nosque tacitè admonet, ne illa pro verbo Dei, vilo modo recipiamus. Te enim appello Berengari, dic mihi, vnde verba ista, bellamque interpretationem tuam, (cum

(cum tu verbum est) pro significat, corpus, pro signo, vel figura, aut corporis effectū explicas. Dic mihi (inquam) vnde hæc, atque alia eiusdem farinae verba, quæ, dum de sacramento hoc loqueris, vsurpare soles, desumpseris? Num à Deo patre, an vero à Christo eius filio, an ab Apostolorum aliquo didicisti? Nihil profecto minus; Illi siquidem cùm de hoc sacramento loquuntur, nunquam huiusmodi verbis vsi sunt. Quod si negas, doce quinam ex illis omnibus, quo loco ita locuti sint. Apostolus certè Paulus, qui in tertium vsque coelum raptus fuit, vbi Deus, quicquid de augustissimo hoc sacramento prædicandum, ac scribendum fuerat, ei communicauit, ac tradidit; non ita loquitur: Tu igitur quis es? quem te ipsum facis? Num & tu quoque in coelum raptus fuisti? Minime verò: Scimus enim te neque in tantam sublimitatem vnquam euectum fuisse, neque Deum arcana sua, quemadmodum Diuo Paulo, tibi communicasse: Patere igitur, vt hunc nos audiamus, ac ei prompto animo fidem adhibeamus. Nam cum in coelo ipse versatus fuerit, ac diuina ibi arcana manifestissimè conspexerit, quid docere nos debeat, te longè melius nouit. Vos igitur ô Christiani, vos (inquam) attentos hic, docilescque præbete, illud Berengarianum significat, illa signa, figuras, metonymiam, symbola, reliquaque portenta non nomina, tanquam peitem fugite, Apostolumque Paulum magnum illum, ac fidelè Dei consiliarium loquentem audite. Ipse enim, & ex parte Dei loqui se adferit, & quicquid nobis adfert, à Deo se accepisse profitetur. O admirandam & circumspectam Maiorum nostrorum sapientiam, qui nulla vnquam alia, nisi eiusmodi Apostolica verba audire voluerunt? O quam felicia eorum fuere tempora, in quibus isthæc Dei verba, vnicuique cum omni tranquillitate, ac patientia auscultare, & credere licuit. Nos autem quàm infelices, ac miseri eorum filij sumus, quibus non ita tutè eadem verba audire, ac credere permittitur: Merito proinde nunc exclamare possumus, O tempora, O mores, O discrimina rerum; Quid enim hisce temporibus nostris calamitosius? quid periculosius, in quibus iam igni, ferro, hasta, gladio, pul-

uere tormentario, ac omni denique armorum genere ad hoc strenue contenditur, vt vana hominum somnia, pro expresso DEI verbo, Christianorum animis insculpentur, adfigantur, ac imprimantur. O bone Deus, si peccatis nostris iram tuam protocauimus, si nos vti commeruimus, punire statuisti, quoduis aliud (obsecramus) flagelli, ac vindictæ genus nobis potius inferas, quàm vt tam excellenti dono tuo priuemur, quàm vt sanctis verbis tuis carcamus, ac pro ijs humanorum signorum, ac figurarum vanitates, ac deliramenta nescio quæ, recipere cogamur: Sed ad rem redeamus: Diuus itaque Paulus hac exordien- di ratione, satis perspicuè ostendit, quàm syncerè, ac fideliter de augustissimo hoc sacramento loqui voluerit, vtpote qui nihil aliud de eo dicere præsumat, nisi quod ab ipso Deo traditum acceperit. Quibus sane verbis, clarè nos instruit, nos nullum penitus, in sacramenti huius negotio, aut verbum, aut rationem, aut humanam cogitationem recipere, aut credere debere, nisi eam planè consentanea sint ijs, quæ ipse nobis ex parte Dei annunciauit: A tui hoc notatu dignissimum est, maxime cùm in scripturis nihil inutile, aut superuacaneum collocetur: Nunquam siquidem Moyse, nec prophetarum alius quispiam, vt de signis, ac figuris suis sermonem institueret, sic præfatus est: Imo nec ipse quidem Paulus, cum in epistola ad Hebræos, diuina sua eloquentia, de sacramentorum Euangelicæ legis signis, vmbis, ac figuris subtilissimè disputaret, ita exorsus est. Eximia proinde, ac singularis res ista sit necesse est, de qua locuturus, tanta cū maiestate sumit exordium: Imò talis planè est, vt natura sua omnino incredibilis sit, si homo ex seipso, absque verbi Dei auctoritate, eam alijs persuadere veller. Dictorum igitur ista sit summa: Beatus Paulus nobili hac sua præfatiuncula ostendit, cùm huius augustissimi sacramenti sit mērio, non alijs, quàm Dei verbis aut vtendum, aut credendum esse, quamuis aut hæreticus aut concionator, qui de eo scribit, aut loquitur, doctus atque facundus esse videtur.

*Quorundam Christi verborum, ab ipso in cæna, prius quàm de sacramento nostro loqueretur, prolatorum discussio.*

## CAPVT XXXVI.

Luc. 22.

Consideratis superius Apostoli verbis, nunc ad quædam ipsius Christi Domini nostri verba, (quæ ipse prius quàm de sacramento nostro in cæna loqueretur protulit) attentius expèdenda nos cõferamus: Inter cætera, quæ ipse discipulis, ad celebrationem paschæ congregatis perhibuit, D. Lucas ita cum in principio cæna locutum esse commemorat. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar: Hoc orationis genere, abundè satis ostendebat, se in hac cæna rem aliquam magni ponderis, quæ Deo digna videretur, esse facturum: Quamvis enim superioribus iam annis aliquoties cum Apostolis suis pascha comederat, nunquam tamen de illius paschæ comestione huiuscemodi verba protulit: Et vnde hoc? Quia nihil profectò in huiuscemodi pascha, Dei desiderio dignum erat. Sequitur proinde, quòd in isto pascha, res quædam eximia, & singularis, ac talis planè, quæ tanta maiestate digna esset, fieri deberet: Quod si nihil est in pascha Christi nouum, aut singulare; si nihil in eo est, præter signa, vmbas, figuras; cur potius præ cæteris, Dei desiderio digna pronunciat? Pascha vmbaticum, aut figuratiuum, nunquam profectò ipsius filij Dei desiderio digna foret. Quid igitur aliud, hoc pascha ipsius Dei desiderio dignum esse possit, quam ipsius agni Dei, qui peccata mundi pertulit, angustissima celeberrimæque solemnitas. Hoc est (vt clarius dicam) quid aliud est, quàm veri corporis, ac veri sanguinis immaculati illius agni immolatio, ac comestio? Atqui hoc sanè est, quod Diuus Paulus ait, cum Christum, nostrum pascha vocat, inquit: Pascha nostrum immolatus est Christus. Argumentum igitur, quod ex his Christi verbis, ad Maiorum nostrorum fidem confirmandam elicere cupimus, in duobus potissimum cõsistit: Primo, in eo, quod absque vlla prorsus ratione Christus diceret, se magnopere desiderasse, hoc pa-

schæ, cum discipulis suis manducare, si nihil præ cæteris, in eo, quàm vmbra, typi, ac figuræ essent. Deinde vero in eo, quod etiam antea corporis, & sanguinis signa, & figuras sapius comedisset, nunquam tamen de illis aliqua huiuscemodi verba protulerit: Atqui istud sanè omnino comuincit, illa eius verba; hoc est corpus meum; non per signum, aut figuram; sed omnino simpliciter, pro ea videlicet re, quæ veteris testamenti figuris, ac typis illis designabatur, exponi, ac interpretari debere: Vnde & Tertullianus a postolorum temporum vicinis, libro quarto aduersus Marcionem, huius argumenti mentionem faciens. Professus itaque se (inquit) concupiscentia concupisse edere pascha, vt suum (indignum enim, vt quid aliènum concupisceret Deus) acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum, illum fecit, hoc est corpus meum dicendo. Rem igitur cupiebat, quæ propriè sua esset, quam vt haberet, panem in corpus suum conuertit, vt sic ex proprio, suum pascha, suumque conuiuium celebraret. Iam ex his videre est, quemadmodum iuxta Tertullianum, magnum illud desiderium quo Christus ad manducandum pascha tenebatur, ad ipsius corpus referendum sit: Alioquinò animaduertebat egregius ille doctor, quidnam in hoc pascha Christi desiderio dignum inueniri posset: Notem igitur Christum paschæ huius diè magnopere concupiscentia, partim vt Iudæorum paschæ finem imponeret, partim vt eius loco, aliud longè præclarior, longè excellentius, longèque maioris vtilitatis, quàm illud fuerat, institueret. Valde quidem illud Iudæorū pascha vtile fuit, nam & eos ab Angelo, A Egyptiorum primogenita percussione eripuit; & comestum, vt de Aegypto celerius egredirentur, ac mare rubrum tutius pertransirent, ac in terram tandem promissionis foelicius pertinerent, eis præbuit: Cæterum pascha nostrum, tanto illud antiquum virtute ac dignitate præcedere necessariò debuit, quanto nouum testamentum veteri excellentius est. Illius proinde virtutis esse debebat, vt iram Dei comperceret, ac ab ea nos in perpetuum sua oblatione liberaret, transactoque mundi huius Aegypto, in beatam illam viuētium terram, (quæ & vera paradysus, ac

vera

vera promissionis terra est) nos foelicitertandem perduceret. Quis autem hircorum, bouum, agnorum, aut vitulorum sanguis, tantæ virtutis fuisset, vt hoc vnquam præstare potuisset? Nullus planè: Nam impossibile est (vt ait Paulus) sanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata: Quamobrem nullus in veteris agni illius paschalis locum, cibis aptior suppeditari potuisset, quàm Christi corpus, utpote, qui verus ille Dei agnus est, qui tollit peccata mundi, qui que robur, ac comestum, vt ex calamitosa hoc sæculo, in beatam illam patriam transeat, nobis subministrat: Quòd sit, vt Christiani mortem iam imminente, (quæ & vltimus, & periculosissimus ex hoc mundo, in supernam illam promissionis terram, transitus est) optime hoc comestum uti nouerint: Si Christus signa tantummodo corporis, ac sanguinis sui sub nostro pane, ac vino instituisset, nullo certè pacto, manna, agno paschali, aut panibus propositioris digniora essent, nec p. inde maiorem, quàm illa, efficaciam obtinerent, neque nouum testamentum veteri præstantius redderent: Christus itaque multo maius donum, in hoc pascha hominibus conferre cupiebat, quàm illis antea vnquam præstitum esset. Sciebat enim, se vt nobis salutem summamque vtilitatem adferret, in mundum venire; propterea magnopere complere cupiebat, quicquid in nostrum commodum, ac vtilitatem, exequendum suscepit. Huiusmodi itaque pascha instituire volebat, quod & Dei honori; & hominum commodis plurimum profuisset: Cæterum aliud longè maiori adhuc miraculo dignum in his Christi verbis animaduerto: nempe quod ingens istud eius desiderium, ex magno quodam erga sponsam suam ecclesiam, charitatis excessu proueniat: Semper quidem suos tenerrimè dilexit, verum circa peregrinationis suæ finem, cum hora iam immineret, vt de hoc mundo ad patrem suum celestem rediret, nihil, præter merum in eos dilectionis excessum præ se ferebat: Quicquid enim tum agebat, ex mira quadam amoris dulcedine profluebat: Nam cum dilectam sponsam suam, Ecclesiam, perpetua quadam charitate sibi despondisset, vt coniugium illud, per sui, ac illius corporis vnionem consumma-

retur, incredibili quodam desiderio ardebat. Quapropter magnopere in isto pascha; corporis, ac sanguinis sui sacramentum; per quod admirabilis ista corporis ad corpus, & spiritus, ad spiritum, vnio fieret; instituere cupiebat; vt sic duo in carne vna existerent: Cæterum sacramentum hoc (quod iuxta beati Pauli sententiam in Christo, & eius Ecclesia magnum est) nullis vnquam signis, vmbas, aut figuris, quæ antea hominibus data fuerant, imo nec isto quidem sacramento, si carnis Christi signum aut figura tantum, & non verum ipsius corpus, caro, sanguis, & ossa verè, ac realiter in eo essent, cõsummari potuisset: Nobis enim, gloriosissimi isti signorum, ac figurarum ostentatores, viam, ac rationem, commoestrent, velim; quomodo in hoc sacramento duo fiant in carne vna, & quemadmodum in eo Christiani, caro sint de carne Christi, & os, de ossibus eius; si inter nos, & carnis illius vmbas, signa, & figuras solummodo hæc vnio fiat: Quod cum efficere nequeant, haud absque graui, & magna verbi Dei auctoritate, Maiores nostri adducti fuerunt, vt ipsam Christi carnem, sub hoc sacramento esse crederent: Vnde & prudentissimè admirabili quodam diuinæ sapientiæ consilio, sacramentum istud excogitatum est, vt absque vlla libidinis specie, aut absurditate fieret ista coniunctio, quamuis interim vere, ac corporaliter fieret. Hæc itaque beati Pauli verba duplici nomine conuincunt, ea, quæ in cæna de sacramento huius institutione habita sunt, nullo modo per signum, aut figuram exponenda esse. Primo, quia huiuscemodi coniunctio solis signis, aut figuris nulla vnquam ratione confici possit: Secundo, quia nec in illis veteris testamenti signis, ac typis, huiuscemodi vnio fiebat, quamuis sub ipsis antiqui illi patres corporis Domini effectū, spiritualiter, ac per fidem susciperent: Et hoc ideo sanè, quod coniugij huius consummatio nondum expleta esset, quæ in sacramento huius institutione peracta tandem fuit: Hæc itaque magni illius desiderij causa, & ratio est, cur Christus tantopere pascha istud comedere cupiebat: vt hæc igitur verba ipsius, ac etiam mysteria ritè intelligantur, semper ad magnum illum erga Ecclesiam suam amoris excessum recurramus, necesse

M 4 esse

cessu est. Cum enim nimio quodam amoris excessu, pro illa corpus suum in mortem ille tradiderit, quid (quæso) mirum, si idem excessus ad hoc eum impulerit, ut sacramentum istud institueret, quo sic perfectam cum illa unionem conficeret, & ut in perpetuum cum illa maneret? Quid enim aliud est hoc, quam id quod ipse aliàs pollicitus est dicens, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi? Ipse autem verax, & fidelis est, ut promissa sua expleat. Quod Maiores nostri firmiter credentes, illa eius verba, hoc est corpus meum, iuxta litteram, absque vllis omnino tropis, aut figuris exponere non dubitauerunt.

*Mat. 22.*

*Quenam probatio ad Maiorum fidem confirmandam, ex illis Christi verbis, Non manducabo amplius ex hoc pascha, &c. erui possit.*

## CAPVT XXXVII.

Christus cum agnum paschalem, qui àstantibus iuxta legis Mosaicæ ritum comedi debebat, vnà cum discipulis suis comedisset, ut cibos alios quos præter agnum illum habebant, cuiusmodi erant panes azymi, quibus in solemnitate paschali Iudæos vesci oportebat, cum illis comederet, mensa accubuit: Tum itaque azymos panes illos accipiens (nã cum agnus paschalis iam comestus esset, nihil in mensa, præter panes illos supererat, quod merito pascha dici possit) dixit: Ex hoc non manducabo pascha illud, donec impleatur in regno Dei: Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. En istud est quod à Christo, priusquam sacrosancti corporis ac sanguinis sui sacramentum institueret, gestum esse D. Lucas refert: Deinde vero mox subdit: Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem: Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: Hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis fundetur: Ex huius historię contextu manifestissimè liquet, Christum duos in cœna calices accepisse, vnum an-

*Theophylactus in Lucam.*

*Luc. 22.*

tequam panem consecrandum in manibus suis sumeret; alterum vero pane iam consecrato: Hinc autem plura sumimus argumenta: Primum igitur ab hac calicis iteratione, ac resumptione desumitur: Cur enim opus Christo fuisset, iterum calicem illum adsumere, quem semel iam benedixerat, ac sub Iudaici paschatis finem discipulis tradiderat, si secunda hac vice, nihil amplius efficere meditaretur, quam iam ante in priori illo calice fecerat? Prior siquidem ille calix sanguinis sui signum, ac figura erat, quemadmodum & agnus paschalis sui corporis: Hæc igitur iteratio, calicisque resumptio satis euidentis argumentum est, posteriorem hunc calicem aliquid multo maius atque præstantius, quam ille iam antea habuerat, continere, id nimirum, quod Christus dicebat: Et quid est hoc? Hic calix (inquit) nouum testamentum est in meo sanguine: Paschalius, qui ab hinc 600. annis, & amplius, librum de venerabili hoc sacramento adidit aduersus Sacramentarios, sic argumentatur: Si hoc mysterium, inquit, nihil aliud, nisi corporis & sanguinis figuram habet, neque illud ipsum est, quod Christus esse pronunciat: quid opus est iterare, quod in agno iam præfiguratum erat? Vnde & Lucas Evangelista duos calices discipulis datos esse refert, vnum post agni paschalis comestionem, alterum postquam Christus panem benedixit ac fregit, deditque discipulis. Ita postquam ille cœnauit, calicem accepit, dicens: Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Ex quo perspicuum est, agnum illum legalem cum suo calice præcessisse in figuram Dominicæ passionis, deinde corpus Domini & sanguinem in calice consecratum successisse, ut veritas impleretur, atque ita quod in Melchisedech sacerdote præcesserat, id omni ex parte perficeretur in Christo. En quale argumentum, summus ille vir ex hac calicis iteratione, ac repetitione elicit. Animaduertendum est interim, Paschali non ita legisse, quemadmodum habent hodiè codices nostri, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine; Sed sic legit: Hic calix noui testamenti est in meo sanguine. Atqui hunc verum textum esse, admodum probabile est, maximè cum Ecclesia Catholica in sacramenti huius

hulus consecratione huiusmodi verbis vratur, inquit: Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, & cæter. Vnde facile mihi persuaserim, Paschalius, verum textum habuisse, quandoquidem ei ita consonat, quo in calicis consecratione vniuersalis vitur Ecclesia. Verum de hoc latius, cum consecratoria calicis verba explicabimus, hæc interim veluti in transcurso obiter adnotasse suffecerit. Ad alia igitur nunc argumenta transeamus.

## 2. Argumentum.

RES sanè notatu digna est, quemadmodum Christus, posteaquam circa finem comestionis agni paschalis, priorem calicem accepisset, ac benedixisset, nõ dixerit, Hic est sanguis meus, qui tamè calix, sanguinis sui, sicut & agnus paschalis sui corporis, signum, & figura erat, sed cum iam secundo, post panis consecrationem, calicem acciperet, quod in eo continebatur, sanguinem suum esse pronunciauit: Hic est enim (ait) sanguis meus noui testamenti. Si posterior hic calix, sanguinis sui signum tantummodo, & non proprius ipsius sanguis erat, cur hunc potius, quam priorem illum, sanguinem suum continere assererat, cum & ille prior æque sanguinis, & passionis figura, ac typus esset. Cur Christus, qui nihil vnquam ab ipsa ratione alienum protulit, vnum calicem silentio præteriens, alterum sanguinem suum esse dixit, si nihil aliud, nisi sanguinis sui signum, vterque fuisset? Rationem hanc accurate ponderes, velim, est enim admodum prægnans, ac talis planè, ut ad comprobandum verba ista (Hic est enim sanguis meus) in propria, ac genuina significatione, absque vllis omnino figuris exponenda esse, nihil ea accommodatius esse videatur.

## 3. Argumentum.

CÆterum aliam adhuc probationem, ex illo Christi verbo accipimus, quod priore calice accepto ipse protulit: Tum enim manifestè discipulis suis protestatus est, se non amplius de genimine vitis esse bibiturum, donec regnum Dei veniret. Hoc est, ad resurrectionem suam usque, qua celebrata, iamque gloriosa aduersus mortem, ac infe-

ros parta victoria, regnum Dei (vti in Luca refert Theophylactus) clarescere cepit, de quo regno David loquebatur, dicens, Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est fortitudinem, & præcinxit se virtute. Quod post suam (haud dubiè) resurrectionem accidit, cum illius corpus beata immortalitate, ac gloria exornatum fuit. Cum priorem igitur calicem in manus sumpsisset, ita ait: Dico enim vobis, quod non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat: Id est, hoc vltimum vinum est, quod in hoc passibili corpore bibiturus sum: Quod tantumdem valet, ac si dixisset: Hoc pro certo vobis assero, me usque post resurrectionem meam, vinum non esse bibiturum. Vbi diligenter animaduerte, in genere eum dicere, non bibiturum se de genimine vitis, id est, nullum se potum gustaturum, qui de vite originem trahe-ret: Atqui hanc Christi protestationem, qua priorem illum calicem, quem acceperat, vltimum, quod biberet vinum esse testatus est, & quod nullam deinceps vini guttam bibiturus esset, accurate ponderes, velim: Nam si eum de posteriore calice, quem consecrato iam pane accepit, bibisse comprobauerimus, continuo etiam, nullam prorsus in eo calice vini guttam; sed proprium ac purum ipsius sanguinem, sub vini specie, (quemadmodum ipse dixerat) fuisse, monstrabimus. Ex quo palam quoque fiet, vini substantiam, quæ in eo calice erat, in sanguinis Dominici substantiam esse conuersam, priusquam de eo ipse biberet: Alioquin contra protestationem suam, qua prioris illis calicis vinum vltimum esse quod biberet, assererat; fecisse omnino videretur. Hoc autem affirmare, quis tandem ausus fuerit? Hæc porro vt ita esse ostendamus, superest tantummodo, vt eum de posteriore illo calice, prius, quam discipulis eum porrigeret, bibisse doceamus. Id autem ita se habere, primo, generali illa vbique, ac per totam semper ecclesiam obseruata consuetudine, (qua id solemniter fieri videmus, vt sacerdos priusquam astantibus corpus Dominicum distribuatur, primo seipsum communicet) haud difficulter conuincere possumus: Id enim sacerdotes, nullo sanè pacto agere præsumerent, nisi ita à Domino factum fuisse, compertum haberent: Quippè in

cœna

*De con-  
sec. d. 2. c.  
Relatum.*

*De con-  
sec. d. 2. c.  
cōperimus*

*De con-  
sec. d. 2. c.  
nec Moy-  
ses.*

coena nihil faciendum præcepit, quod ipsemet non fecisset: Hoc facite, inquit, id est, agite quod me facere conspiciatis. Quod si Apostoli, Christum corpus suum accipere ac manducare non vidissent, priusquam ipsis illud distribueret: neque ipsi proinde in coena Dominice celebratione, illud accipere debuissent: Hinc sane accidit, ut veteris Ecclesie patres diffidentissime omnibus sacerdotibus præceperint, ut quotiescumque missam celebraverint, sub utraque specie corpori Dominico communicent: Id quod ex Concilio Toletano, in decretalibus citato, & ex Gelasij constitutione, abunde satis liquet: Nam eos sacerdotes, pro sacrilegis habet Gelasius, qui missam celebrantes, sub utraque specie non communicant, eo quod alioqui coenam Dominicam perfecte representare nequeant. Diuus quoque Hieronymus, quaestione secunda ad Edibiam expresse ait, Christum in ea coena fuisse conuiuiam, & conuiuium, comedentem, & qui comeditur: Isidorus etiam super Leuiticum manifestè refert, Christum in coena corpus suum accepisse, priusquam illud Apostolis distribueret: Tantundem dicit & D. Ioannes Chrysostomus. Vnde duo hi versus, ea de re vulgo citari assolent:

*Rex sedet in caena, turba cinctus duodena,  
Se tenet in manibus, se cibatur ipse cibis.*

Sed quaeret à me quispiam, cur corpus suum sumere voluit, cum ut id faceret, minime opus haberet? Huic respondeo, cum hic quemadmodum & in baptismo fecisset, nempe ut quod ipse fecerat, idem quoque faciendi alijs exemplum daret, ita ut iam magna cum auctoritate dicere posset: Hoc facite in meam commemorationem: At rursum inquit: Paulò superius ex ipso Dei verbo, ea, quæ dicis, re probaturum pollicitus es: Nunc igitur ex aliquo scripturæ contextu, hæc ita esse ostende, ut, sic non absque diuinatū literarum auctoritate, veteres illos patres ista docuisse intelligamus: Id certe cuilibet attento Lectori facillimè ostendero: Ante omnia igitur, ut hoc comprobemus, animaduertendum est, non omnes Euangelistas singula Christi verba scripserunt; sed vnus quædam minus, alius vero plus refert; nihilominus tamè omnes verum dicunt, ita ut nihil prorsus à Christo dictum scribant, quin ita

planè sit, quemadmodum ipsi referunt: Ac propterea non magnopere laborandum est, ut quod vnus ceteris amplius dixit, cum eo, quod minus alij referunt, ad concordiam redigamus; sed recipiendum, ac omnino credendum est, quod vnus alteri adijcit: Quemadmodum, verbi gratia, D. Matthæus & Marcus non nisi vnus tantummodo calicis, in coena, mentionem faciunt, cum duorum Lucas aperte meminerit; Attamen non id eo, quod D. Matthæus vnus dumtaxat mentionem agit, falsum Lucas scripserit credendus est, cum quos ibi fuisse referat: Rursum, simul atque. D. Lucas prioris calicis mentionem fecisset, Dominicæ cuiusdam protestationis verba subiecit, nulla interim illius protestationis mentione facta, quam posteriore iam calice exhausto Saluator noster egit; cuius tam Matthæus, quam Marcus meminit. Quemadmodum igitur Lucæ fidem adhibuimus, cum duorum calicum mentionem facit, ita & Matthæo credamus oportet, cum certa quadam verba narrat, quæ Christus posteriori calice accepto pronunciauit, maximè cum hæc lōge ab ijs alia esse constat, quæ priori calice exhausto ab eodem prolata fuerunt. Ex quibus sancliquet, eum facile, à recto veritatis tramite deuiare, qui narrationū circumstantias, quas ponunt Euangelistæ, diligenter non considerat. Sic enim fit, ut Dei verba confundatur, dum id quod vna de re dictum est ab eo non distinguitur, quod alia de re pronunciatum fuit: His diligenter expensis, sciamus, oportet, Christum eo vesperi, quo agnum paschalem cum discipulis suis comedit, duplicem celebrasse coenam, vnam agni Mosaici, seu veteris testamenti, alteram noui. Harum autem in vnaquaque mentione fit panis, calicis, vini, ac vineæ: Ceterum in priore, purum tantummodo vinum, purusque panis, tanquam signa & figura, eius vini, & panis quæ in posteriore comedebantur, erant. Nam quemadmodum agnus typicus, verum agnum, qui Christus est, significabat; & quemadmodum vox illa (verus) agno applicata, cum Dominus noster, verus agnus nuncupatur, nihil aliud, præter veram quandam eius rei, quam typicus ille, ac significatiuus veteris legis agnus representabat, impletionem in Christo factam signi-

*Indic. 9.*

significat; ita cum ipse Christus corpus suum verum panem; sanguinem suum, verum vinum; ac seipsum veram vitem nuncupat: Hoc nihil aliud, quam ea quæ, per illud vinum, vitem, panem, ac calicem veteris testamenti designabantur, in carne, ac sanguine suo, imò & in seipso verè impleta esse denotat. Ipse enim verus est panis, qui de coelo descendit, ipse est vera illa vitis, quæ illud verum vinum gignit, quo Deus, & homines pariter exhilarantur. Quicquid igitur in priori illa coena, de panè, de agno, de vino, de calice dicitur; id totum de rebus terrenis, hoc est, de rerum diuinarum, ac celestium, (quæ in posteriori coena fiebat) signis, ac typis intelligitur. Cum Christus proinde seipsum panem; aut vitem, vel sanguinem suum, vinum appellat, ad regulam hanc, semper recursum habeamus, necesse est, Nempe non alia ratione, ista sic vocari, quam quod ea in rei veritate sint, quæ in iudaica pascha, per azymos panes, ac vini calicem, sub typis, ac figuris denotabantur: Nobis igitur iam compertissimum, ac meridiana luce manifestius esse debet, duplicem ibi coenam fuisse, ac vtramque suum vinum, suumque calicem habuisse. Deinde vero illud quoque certissimum est, quod de protestatione à Christo facta, cum priore iam calicem accepisset, quem sub prioris coenæ finem, discipulis tradidit, Diuus Lucas commemorat, uti superius declarauimus: Tertio, illud denique manifestissimum est, quod Matthæus, & Marcus de posteriori calice scribunt, quem cum Christus accepisset, ac consecrasset, discipulis suis protestationem quandam his verbis fecerit: Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis; vsque in diem illum, cum bibam illud vobiscum nouum, in regno patris mei: Quod Erasmus ita transtulit: Non bibam post hæc de hoc fructu vitis, &c. Id quoad sensum omnino perinde est. Hæc itaque verba sunt, quæ ipse posteriore iam calice consecrato locutus est. Ex quibus sane / si ipsius loquendi genus attente inspiciatur, abundè satis liquet, cum de posteriori illo calice bibisset, quem sanguinem suum continere affirmauerat, dicens: Hic est sanguis meus noui testamenti. Nemo siquidem de eo vino, de quo nihil penitus gustauerit, verè dicere potest. Ego

amplius de eo vino vsque in illum, aut illum diem non bibam: vel sic, Ego post hæc amplius de eo vino bibiturus non sum. Sic etiam Seruator noster, nisi prius de secundo calice bibisset, verè de illo dicere non potuisset, se de eo non amplius bibiturum, vsque in diem illum, in quo illud nouum, in regno patris sui biberet: Nam nisi prius, quam ita loqueretur, bibisset, simpliciter dixisset; Ego de calice hoc non bibam, vos bibite, si velitis: quæ admodum ante fratribus suis dixerat: Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem nondum ascendam, quia tempus meum nondum impletum est. Eius itaque loquendi genus, huiusmodi est, ut eo apposite uti non potuisset, nisi de eo prius calice bibisset, de quo amplius se non bibiturum esse testatus est. Ex quibus certissime colligimus, eum prius de secundo illo calice bibisse, quam Apostolis suis eum porrigeret. Ceterum hic fortasse quaeres. Ecquidnam in hoc posteriori calice erat? Illud enim vitis fructum vocat. Ad hoc respondeo, facile, tam ex ijs quæ in præcedentibus, quam, quæ in sequentibus de eo vitis fructum dixerat, quidnam illud esset, intelligi posse. Nam prius expresse sanguinem suum esse pronunciauerat; & nunc quoque, cum illud omnino nouum, in regno patris sui, id est, in Ecclesia, cum illis bibiturum se dicit, huiuscemodi verbis utitur, quæ nulli alij, quam sanguini suo applicari queant: Ita enim res se habet, ut fructus ille, quem postea omnino nouum cum Apostolis bibiturum se pollicebatur, vinum illud purum esse non potuerit, quod posteaquam bibisset, reparari; ac omnino renouari fecisset. Quis enim vsque adeo dissipat, ut id cum vnquam fecisse putet? Sed de proprio ipsius sanguine hoc intelligi debet, qui ex mortali, & passibili, cuiusmodi ante mortem erat, postmodum gloriosa ipsius resurrectione innouatus, immortalis, ac omnino impassibilis effectus est, quem post resurrectionem etiam cum discipulis in Emaus euntibus, illum sub specie panis accepisset, quando ab ipsis in panis huius sacramentalis tractione, agnitus fuit, quemadmodum Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, ac plures alij antiqui Doctores pari consensu adfir-



affirmare non dubitant, Deinde verò, hæc Christi verba ita planè intelligenda esse, præter ipsas verborum circumstantias, quas paulò superius declarauimus, abundè satis ex D. Hieronymo liquet, q̄ quæstione secunda ad Edibiam, eodem prorsus modo illa, quo & nos, explicat, dicens, nouum illum vitis fructum, què in regno patris sui, quæ est Ecclesia, bibiturus erat. Ibi si lubet, Hieronymum cõfulc. Sed & non multo superius, pauca quædam eius verba citauimus, vbi Christum in cœna dicebat, fuisse conuiuiam, & conuiuium, comedetem, & cum, qui comedebatur: Imo (quod maius est) hoc ipsum quotidie, in sacramenti huius receptione circa nos fieri perhibet. Illius (inquit) bibimus sanguinem & sine eo potare non possumus, & quotidie in sacrificijs eius, de genimine vitis veræ, & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus, & nouum ex his vinum bibimus in regno patris sui: Hic genuinus est Christi verborum sensus. Verum enimvero, vt ad præcipuum orationis nostræ scopum redeamus, huiusmodi sensum, verbis illis adsignare cogimur, vt caueamus ne ijs contradicãt, quæ priori iam calice hausto paulò ante dixerat. Cæterum vt ista commodius intelligas, totum orationis huius filum, tecum diligenter expède. Errores enim, qui circa horum Christi verborum interpretationem sæpe contingunt, dum id, quod de vno calice, à Christo dictum est, alteri attribuit, inde potissimum oriuntur, quod Euangelistarum narrationes studiose non discutiantur, neq; diu satis ijs immoretur, vt earum circumstantiæ accuratius ponderentur; verum ex ijs, quæ hætenus diximus, satis iã liquet, Christum ex posteriori calice bibisse. Id autem abundè satis mihi suffecerit ad p̄bandum id, quod superius diximus, nempe in posteriori calice, cum Christus de eo biberet, non iam vinum, sed verum ipsius sanguinem fuisse. Argumentum autem nostrum, quo attentum quemlibet verbi Dei lectorem, inducere volumus, vt ea Christi verba sic exponat, ac exponenda esse sentiat, quemadmodum superius exposuimus, huiusmodi est: Christus verbis illis, quæ circa priorem calicem enunciauit, se non amplius de huiusmodi vitis fructu bibiturum polli-

citum, ac omnino testatus est. Iam verò ex alijs ipsius verbis, quæ de posteriori calice locutus est, abundè satis cõstat, ipsum de eo bibisse. Consequens est igitur, aut eum mentitum fuisse, cum potato iam bibiturum protestaretur; aut in posteriori isto, quem postea bibit, vinum amplius non fuisse cum biberet: At Deum mentiri (teste Paulo) impossibile est. Planum est igitur in posteriori illo calice, vinum amplius non fuisse. Quod si à me quæras, quidnam in eo calice fuerit, quo te potius, quàm ad Christum, verum Dei filium remittere poterò, qui ait: Hic est sanguis meus noni testamenti: Hæc igitur verba, duplicisque calicis huius, quem Christus obseruauit, ordo euidentissimum argumentum est, in secundo calice, ex ipsius vini substantia, in sanguinis Christi substantiam mutationem esse factam. Alioqui eo absurditatis veniendum esset, vt Christus credatur esse mentitus, cū priori calice hausto, non amplius se de vitis fructu bibiturum esse testatus est. Hic sc̄cum studiosus Lector expendat, quidnã Apostoli dicere poterant, cum postquam ipsum non amplius vinum potaturum dicere audiuisent, eum cõtinuo alterum calicem accipere, ac vinum infundere, atque ex eo bibere animaduertent. Profectò, nisi id quod ex eo calice cum bibere conspiciabant, non iam vinum, sed proprium ipsius sanguinem esse crederent, non ita facile dissimulassent, sed ipsum arguissent: Dixissent enim: Quomodo? Modo te vinum non amplius gustaturum esse dicebas, & nunc ex hoc calice bibendo, contra pollicitationem tuam ex diametro facis? Quamã est hæc tua inconstantia? Quæ animi tui leuitas? Nonne iustè eum sic increpare potuissent, nisi non iam vinum, sed aliquid aliud, nempe sanguinem suum, què Christus bibebat, esse crederent? Hæc itaque sedulò notentur. Hinc enim manifestum est, Apostolos posterioris illius calicis consecratione vinum in sanguinem Christi esse mutatū credidisse: Vnde non alia ratione (vt mihi apparet) Christus bis calicem accepit, ac de priori quidem dixit, Accipite, & bibite ex eo omnes, de posteriori verò: Hic est calix sanguinis mei, quàm vt in isto, longè aliud, quàm vinum, aut sanguinis sui signum

gnum esse crederent. Ac rursus, non alia ratione, eum dixisse puto, non amplius se de eo, quod in priori continebatur, nempe de vino bibiturum, ac mox nihilominus vinum in posteriorem infudisse, ac bibisse, nisi vt substantiarum mutationem, accidentibus interim in sua natura manentibus, factam esse monstraret. Quod si non ita esse Apostoli intellexissent, non dubium est, eum ad eo ei familiares essent, quin ab eo quæsisent, quomodo id intelligendum esset. Quod cum non fecerint, eorum exemplo credere debemus, quicquid ibi factum esse, CHRISTVS ipse nos docuit. Ex his igitur abundè satis liquet, veram panis, ac vini, in verum Christi corpus, ac sanguinem transubstantiatione omnipotentis ipsius verbo, in cana factam fuisse: Verum hæc de re alias latius: Hæc interim cõdicta sint, vt veram, ac genuinam verbi Dei intelligentiam commodius consequamur: circa quod multo profectò naufragium passi sunt, qui nimirum, ita illud obiter ac veluti per transeantem legunt, vt vnum scripture locum, cum alio ineptissime confundant, misceant, intricent. Hæc igitur prolixa disputatione nostra satis (ni fallor) ostendimus, Christum in cœna corpori, & sanguini suo communicasse: Idem quoque eum fecisse demonstrauimus, in regno patris sui post resurrectionem suam, cum iam gloriosus meritis victor ab inferis rediens, quadraginta dierum spacio cum Apostolis conuersatus, de regno Dei (quod est Ecclesia) cum ipsis conferret, tractaret, atque disponderet. Cum proinde, verbi Dei circumstantiæ ita accurate ponderantur, facile comperire est, quemadmodum maiorum nostrorum fides germano illius sensui consonet, quantaque eorum diligentia, ac studium admiratione dignum sit, quod nihil asserere voluerint, nisi diuina auctoritate fundatum: Magna igitur & excellens illorum fides extitit, quæ quicquid ex vero, ac literali verbi Dei sensu necessariò colligi poterat, id sine vlla dubitatione complexa est. Ea siquidem veræ ac perfectæ fidei vis est, vt in omnibus ijs, quæ nobis verbo Dei proponuntur, masculino, ac planè inuictò pectore semper inhæreamus. At vero Hæreticus, qui huiusmodi fidei expertus est, vbi ex genui-

no verbi Dei sensu aliquid, aut factum difficile, aut ingenio humano incomprehensibile, subsequi comperit, ab eo protinus abhorret, vnde ne credere compellatur, quod ipse non potest intelligere, statim à verò eius sensu recedit. Verum firma illa, & immobilis Maiorum nostrorum fides contrarium semper egit, nam confidenter ac liberè, quicquid ex verbo Dei edocta fuit, semper confessã est, quantumlibet interim philosophicis rationibus incomprehensibile videretur. Vnde cum illi ex supra dictis Christi verbis in vero, ac naturali sensu suo intellectis, mutationem panis, ac vini, in verum Christi corpus, & sanguinem admittendam esse animaduertent, nunquam dubitarunt id credere, & confiteri. Deo siquidem nihil impossibile esse nouerant. Nos proinde eorum fidem imitantes, eandem prorsus substantiarum mutationem liberè confitemur. Rideant licet hæretici, & transubstantiationis nomen exigent, certè rem eo nomine significatam verbo consentaneam, ex germano eius sensu depromptam esse, nullo pacto negare possunt. Quod si illud non sic accipiendum esse contendant, quemadmodum Maiores nostri exposuerunt, ex ipso Dei verbo nos doceant. Non enim tantum apud nos illorum valet auctoritas, vt quicquid ij suo simplici verbo nobis obtruserint, statim pro vero recipiendum putemus. Cæterum vt patrum nostrorum fidem aduersus eos propugnemus, ac defendamus, mihi suffecerit, vt eam, nativo ac literali verbi Dei sensui consonam, ac ex eius thesauris depromptam esse demonstrarem. Itaque vociferentur illi, & vt videbitur, pestrepent, verbum Dei non ita exponendum esse dicentes. Quod cum absque vlla extorsione, aut violentia, rectè sic exponi posse videam, cumque antiquissimos quosque Ecclesiæ Doctores, ita quoque exposuisse comperiam, nunquam ab huiusmodi equidem interpretatione diuelli me patiar, vt fidei corum commentatiunculis adhæream: Id quod æquissimo iure re-

ctus quilibet iudex, absque vlla  
prorsus controuersia,  
me facere iudicabit.

N

Lith

*Quis sit verum horum verborum sensus,  
Hoc est corpus meum.*

## CAPVT XXXXVIII.

**C**V M tantam nunc ad explicanda Christi verba, quibus corpus suum a postolis in coena distribuens, vsus est, preparationem habeamus, restat, vt eorum iam declarationem aggrediamur. Nec mihi dubium est, quin ij, qui rationes superius a nobis positas diligenter obseruauerint, veram eorum intelligentiam iam consequuti sint. Ea siquidem iuxta literam, absque vlla prorsus, aut figura, aut expositione mystica, absque vlla etiam aut immutatione, aut adiectione explicanda esse monstrauius: Quo in sensu exposita, adeo clara sunt, ac fidei nostrae adeo consentanea, vt nihil clarius dici possit: Apertissime enim illud ipsum CHRISTI corpus, quod pro nobis cruci affixum fuit, in Eucharistia nostra esse significant: quo fit vt illa Maiorum nostrorum fidei plane conueniant, ac ipsa Maiorum fides illis vicissim respondeat: Iuxta genuinum igitur eorum sensum, id quod manibus accepit, verum panem, quod verò discipulis tradidit, verum ipsius corpus fuisse dicimus, panis scilicet natura, Creatoris sui verbis obtemperante, in ipsius iam corpus mutata, vt sic vera eius essent verba cum diceret: Accipite, & manducate. Hoc est enim corpus meum. Nam si, vt verbum DEI verum inueniretur, quo dixit: fiat coelum, statim ex nihilo factum est coelum, nunquid absurdum fuerit, vt existens iam natura panis, in veram corporis eius substantiam transmutetur, vt verum quoque illius verbum inueniatur, quo dixit: Hoc est corpus meum? Nihil profecto minus. Vnde hic sedulo animaduertendum est, Dei verbum, nostro quolibet verbo longè excellentius, multoque praestantius esse. Illud siquidem, quod in vulgari est paromia de verbo nostro recte dici assolet: Propter nostrum dicere, affirmare, aut negare nihil mutatur in re. At ipsius Dei dicere, aut affirmare, adeo efficax, adeo potens est, vt rerum naturas penitus immutet, inuertat, ac innouet, Quapropter de eo recte dicere possumus. Propter affirmare, aut negare Dei, omnia mutantur in re-

bus. Quemadmodum verbi gratia: si affirmat quispiam coruum esse cadidum, quantumuis sapè, ac etiam fortiter illud asserat, nunquam tamen propterea coruus candidus efficietur. At si Deus illud diceret, quam celerrimè ad eius verba coruus candidus fieret. Ita nec Christus verba ista, hoc est corpus meum, super panem verè enūciare potest, quin subito panis ille in eius corpus transeat, omnipotente scilicet eius verbo longè citius panem illum in carnem suam transmutante, quam calor naturalis eū, què comedimus, in nostram carnem conuere queat. Nos proinde simpliciter Christo credimus cum de eo, quem acceperat panem, corpus suum esse dicebat, nos ipsum (inquam) verum corpus suum a postolis suis in coena distribuisse credimus. Sed Euangelistam loquentem audiamus. Et accepto pane (inquit) gratias egit, & fregit. Et dedit eis dicens. Accipite, & manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc (inquit) est corpus meum, id est, hoc, quod vobis porrigo, hoc quod vobis offero, hoc quod vobis sumendum, ac manducandum praebeco. Hoc (inquit) est, eequid est? panis? minime vero, sed corpus meum inquit: Sed quodnam istud est? bone Iesu, corpus tuum? Nam & corpus mysticum habes, quod Ecclesia nuncupatur. Estne igitur Ecclesia, corpus istud, quod tu nobis sumendum, ac manducandum praebes? Minime, (inquit) sed hoc corpus meum, quod pro vobis tradetur, quod pro vobis verberibus, & flagellis obijcietur, quod pro vobis cruci affigetur, quod & pro vobis in terra triduo sepultum erit. Illud ipsum corpus est (inquit) quod vobis ad manducandum porrigo. Nunquid quinque panum miraculum, ac promissiones, quas tum vobis faciebam, cum vobis carnem meam verè manducandam pollicere, oblitus estis? Nonne meministis quemadmodum ijs tunc responderim, qui ex aduerso mecum disputabant, dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Illud igitur, quod tunc pollicebam, nunc re ipsa vobis exhibeo. Accipite igitur, & comedite, & hoc quod vobis porrigo, verè corpus meum, illud (inquam) corpus meum, quod pro vobis in mortem tradetur, esse credite. Credite (inquam) me in promissis esse veracem, meque

nunc

nunc vobis quod dudum ante promiseram, fideliter exhibere. Verum quid hic, o Domine Deus, agam? quo me vertam? Maxima est (scio) auctoritas tua, infinita est & veritas tua, sed contrarium plane eius, quod mihi asseris, video. Propterea angustiae mihi sunt vndique, ita vt quomodo me vertere debeam, penitus ignorem. Nam si ad oculos meos conuergero, se nihil praeter panis formam conspiciere dicet, si vero ad aures meas diuertero, se filium Dei audire asserentem, verè corpus suum esse, clamabunt. Quibus igitur credam? quos potius sequar? quibus acquiescam? Oculisne, an auribus, an vero vtriusque? Sed impossibile est vtrumque simul credere, vna videlicet, eandemque rem, simul & panem esse, & carnem. Quod cum ita sit, vnum profecto est diuobis credendum, alterum vero reijciendum erit. Sed vtrum tanquam vero similius, est duobus eligem? aut cui nam primo renunciabimus? Longè profecto securius esse animaduerto, hac in re auribus, quam oculis credere: Fides enim, sine qua nemo Deo placere potest; ex auditu est, auditus autem verbo DEI nititur, tu vero es (o Domine Deus meus) quem hic loquentem audio. Tibi igitur, tibi (inquam) potius quam oculis meis credere debeo. Impossibile est enim mentiri Deum. At sensus nostri exteriores haud difficulter sane decipi possunt. Fides proinde non in visu solidatur, sed ab auditu omne robur suum accipit. Quocirca illud ipsum corpus tuum, quod pro nobis crucem subiit, firmiter esse credam, quod hic a postolis tuis manducandum obtulisti. Illud (inquam) firmiter credam, illud semper, ac libere confitebor, idque cum fecero, de me agito, quicquid lubuerit, irideat me quisquis voluerit. Scio enim cui credam, mihi que omnino persuasum habeo, illum adeo potentem esse, vt non solū absque vilo prorsus negotio promissa sua explere possit, verum etiam, vt quam facillimè praestare queat, quicquid dixerit. Deinde vero simplices quidem, sed tamen prudentes, ac bene circumspectos Apostolos eius, non contra ipsius verbum disputare, aut quomodo oizare, sed simpliciter ei credere, ac magnū illud quod ipse eis offerebat donū, hoc est, corpus suū magna cum reuerentia, silentio, ac deuotione suscipere animaduerto. Faciam igitur quemadmodum ipsi, credam quemadmo-

dum ipsi, credam quemadmodum & singulares amici tui. Maiores nostri semper credidere. Quid porro hi crediderunt, nisi verū corpus tuū in hoc tremendo sacramento esse? Nimium clare o bone Iesu, istud sermo tuus asserit, quam vt fidelis quisquam auditori oppositū credere valeat: Verū, vt & incredulos pudore afficiamus, & fideles hac in fide magis corroboremus, paulo adhuc latius, hoc in loco spatari lubet, vt quā plurimas, non parui ponderis rationes, in mediū proferam; quae eō nos impellunt, vt verba tua sic explicemus, ac intelligamus. Tu igitur Domine Deus, aduersus oēs summam veritatis, ac tremendam maiestatis tuae aduersarios sic me corrobora, ac mentem meam ita spiritus tui splendore illustra, vt adeo euidētes rationes proferre valeam, quo fide, & increduli oēs pudeant, ac fideles tui sic corroborentur, vt nulla penitus deinceps de corporis tui, in hoc tremendo, & admirabili sacramento veritate, haesitatio, nulla dubitatio reliquatur.

*Prima ratio, cur verba ista (hoc est corpus meum) sic cum Maioribus nostris exponamus; quemadmodum haecenus exposuimus.*

## CAPVT XXXXVIII.

- C**V M in primis Saluatorem nostrum & ante, & post hunc cibum, sepius cum discipulis suis panem comedisse eō Ioh. 6. considerem, nec vnquam tamen de alio aliquo pane, quem ante hunc comedisset, corpus suum esse dixerit, longè aliud hic quam panem esse compellor credere.
- Cum Christus memorabile illud ex quinque panibus miraculum addidit, quāuis in manus suas illos sumpserit, benedixerit, gratias egerit, nunquam tamen eorum aliquem, corpus suum esse pronunciauit. Ioh. 8.
- Cum in nuptijs aquam in vinum conuerteret, nunquam tamen illud sanguinem suum esse dixit, quamuis illud interim ipsius sanguinem significaret, ac eius figurā esset.
- Cum agnum paschalem, ac azymos panes (quae vera corporis ipsius signa, ac figurae erant) comederet, de nullo tamē eorum, huiusmodi verba protulit, Hoc est corpus meum.
- Quamuis singulis quoque annis, Christus agnum paschalem, & azymos panes, cum discipulis ederet, nullam attamen

N 2 praeter

præter hanc Evangelistæ, ipsius cœnam, aut pascha descripserunt, quod me profecto credere compellit, longè excellentius hic aliquid comedi, quàm in vlla vnquam cœna antea comederetur.

6. Cùm insuper animaduerto, nunquã Moysem agnum paschalem, aut manna dixisse corpus Christi esse, quamuis eius typi, ac figuræ essent; nec quemquã Prophetarum vllam corporis, aut sanguinis sui figuram sic vnquam nuncupasse; omnino adducor, vt aliud hic, quam signũ aut figuram esse credam, cum ipse Prophetarum omnium magister lõge aliud esse pronunciet. Igitur cum nullum præter hunc panem, Christus corpus suum appellauerit, tamen si plures alios benedixerit, ac triginta trium annorum spatio, quo hic vixit, eo vesceretur; omnino credere cogor, hunc esse id, quod ipse esse assererat.

7. Si Christus Apostolis suis, nihil præter nudum panem dare se intelligeret, sat dixisse fuisset, Accipite, & manducate, etiam si non adderet: Hoc est corpus meum. Ita autem res se habet, vt verbis superfluis, otiosis; aut vanis vti ipse nunquam confueverit, maximè cum id distinctissime prohibuerit, dicens se de quo libet verbo otioso rationem exacturum in iudicio. Quapropter firmissime credere teneor, ipsum his verbis, Accipite, & manducate, & illa additurum non fuisse, hoc est corpus meum, nisi verissimũ esse id quod dicebat, hac adiectione, omnino confirmare voluisset. Nam ex visu ipso abunde satis Apostoli intelligebant, panem esse panem, nec proinde opus esse, vt illũ aliud esse diceret, quã id quod esse videbant, si aliud non fuisset, quam oculi iudicabant.

*Quod ex mutua verborum collatione, qua de carne Christi, ac de mânia (quod illius figura erat) dicta sunt, verus sententia huius, (hoc est corpus meum) sensus colligi possit.*

## CAPVT L.

**S**i diligenter animaduertamus, quo sensu ea verba explicanda sint, quæ de sacramenti nostri figura, dicta sunt, facillè quoque quemadmodũ ea, q̄ de ipso dicuntur exponi debeant, intelligere poterim⁹, vt rei, quæ in illo cõtinetur, verã cognitionẽ cõsequamur. Certissimũ autem est

Manna rei, quæ sub hoc sacramẽto cõtinetur, figurã, ac typũ fuisse. Videamus igitur, quidnam filijs Israel, de manna dictũ fuerit, cũ quærent, quidnã illud esset. In Exodo scriptũ legimus, matutino quodã

tẽpore, rorẽ in circuitu castrorũ cecidisse, qui cũ superficiem terrẽ cooperuisset, res quædã exigua, pruinæ haud admodũ dissimilis in deserto apparuit. Quã cum filij Israel cõspiceret, inter se dicebant: Manna, id est, quid est hoc? Ignorabat enim, quidnã esset: Quibus tũ Moses ait, Iste est panis, quẽ Domin⁹ dedit vobis ad vescẽdũ. Cæterum nota, eũ hic panẽ, pro quolibet cibo accipere, quemadmodũ etiam accipi debet, quotiescumq; Christi corpus, aut caro hoc nomine appellatur. Vides proinde, quidnã Israelitis Moyses respondit. Nũc itaq; si secundorũ Israelitarũ, hoc est, Christianorũ quisquã ignorauerit, quidnã in hoc sacramento habeatur, nec cibũ illũ, quẽ secundus Moyses, ac Redemptor noster cœlitus nobis attulit, satis intelligat; ab eo quærat, oportet, & ab eo solo, atq; ex eius verbo, & nõ aliunde, quidnã illud sit, discere debet. Ei itaq; dicito, Man hu? Quid est hoc? Et ille tibi respondebit: Hoc est corpus meũ, q̄ pro vobis tradetur. Verũ ei ita simpliciter, et præp̄te credas necesse est, quãdmodũ filij Israel Moyfi suo crediderunt. Nã Deus, vt ipsi, nõ secus atq; Moyfi credatur, cœlitus imperauit, & eũ, qui eius verbũ vel audire vel credere contempserit, grauitè se vindicaturũ esse minitat⁹ est. Cũ igitur nobis, vt eũ, nõ secus atq; Moysen audiamus, præcipiatur, cumq; nobis, in hoc sacramẽto corpus suũ esse dicat, caueamus, ne filio Dei increduli simus. Et quẽadmodũ verba illa, quæ Moyses de Manna suo protulit, simpliciter, & absq; figura vlla exponi debet, sic & ea, q̄ Christus de hoc secũdo mãna enũciauit iuxta literã, absq; figuris, aut sensu mystico explicanda esse credas, oportet. Et quẽadmodũ Mosaicũ illud Manna in morẽ nimbi cœlitus destuebatur, ita & secũdũ istud mãna in tantã copia nobis è cœlo subministratur, vt plurib⁹ in locis simul inueniatur, quod veris Dei filijs cœlestẽ alimentũ præbeat. Quod sit, vt à tẽpore potissimũ Dominicæ ascensionis in cœlũ, panẽ cœlestem iure illud vocemus. Hinc & quotidie patrẽ nostrũ q̄ in cœlis est, rogamus, vt cœlestem hũc panẽ nobis suppeditare dign-

Exod. 16.

Matt. 26.

Deut. 18.

## IN SACRAMENTARIOS ACTIO III.

dignetur, qui propter eximiam virtutẽ, ac singularem efficaciam suam, panis quotidianus, ac super substantialis dicitur.

*Quanam vera sit istius pronominis (Hoc) in hac Christi sententia (Hoc est corpus meum) significatio.*

## CAPVT LI.

**A**duerfarij, cùm scripturam aliquã recte interpretari volumus, ad alia eius loca, in quibus verba ijs similia, quæ explicanda suscepimus collocata sunt, recurrendum esse dicunt, vt sic verum eorum vsum, ac genuinam significationem exploratam habeamus. Cùm singula igitur scripturæ loca, in quibus pronomem hic, hæc, hoc vlturpatum est, diligenter expendo, nullum equidem locũ inuenio, vbi pro alia re sumatur nisi pro ea, quæ per prædicatum, quod verbum (est) immediate subsequitur, denotatur: Hoc est (vt clarius dicam) pro ea re, quæ per vocem, quæ continuo post verbum substantiuum (est) ponitur, significatur. Sunt autem scripturæ loca circiter quinquaginta, vbi pronomem illud vlturpatũ est, ex quibus, ne vnum quidem comperio, vbi pro alia re, quam pro ea, quæ per verbum (est) affirmatur, accipitur. Vnde cum ea, vlturpatum in genere conuenit. Nunc igitur huius rei quædam exempla videamus, vt verum pronominis istius, (hic, hæc, hoc) vsum intelligamus. Psalmi igitur quadragesimo septimo sic habes. Hic est Dominus Deus noster. Et apud Matthæum. Hic est filius meus dilectus. Vbi luce meridiana clarius videre est, pronomem illud (hic) ac prædicatum (Dominus) item prædicatum (filius) pro eadem omnino re accipi. Eodem plane modo in ijs, quæ hic sequuntur, exemptis sumitur.

*Hic est fratrum amator.* 2. Mach. 15.

*Hic est Iesus, propheta à Nazareth.* Matt. 21.

*Hic est Hæres, venite occidamus eum.* Mat. 21.

*Hic est Iesus Rex Iudæorum.* Matt. 28.

*Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur* Luc. 1.

*Hic est filius Ioseph.* Luc. 4.

*Hic homo iustus erat.* Luc. 23.

*Hic est verè propheta.* Ioan. 6.

*Hic est mutatio dexteræ excelsi.* Psal. 76.

*Hic est Dies, quam fecit Dominus.* Psal. 117.

*Hic est vitæ aeterna.* Ioan. 17.

*Hic est mandatum meum.* Ioan. 15.

**E**N, in omnibus his locis facillè animaduertere est, quemadmodũ pronomem illud (hic, hæc, hoc) semper pro ea ipsa re accipitur, quam demonstrat; vnde & cum voce illa semper concordat, quæ significat, id, quod per ipsum demonstratur. Quod & in præsentibus quoque argumento obleruatum esse, haud difficulter animaduertere potes. Nam tam apud Græcos, quàm Latinos, pronomem demonstratiuũ (hoc) cũ nomine corpus cõuenit: Apud Latinos, n. sic legim⁹? Hoc est corpus meũ; Apud Græcos vero sic: τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μου. vbi pronomem illud τὸ, cum nomine σῶμα, quod corpus significat, in genere, & numero conuenit; sicuti adiectiuum, & substantiuum concordare solent. Vox autẽ quæ apud Græcos panem significat, nempe ἄρτος masculini generis est, vnde hoc pronomine τὸ, quod generis neutri est, nullo modo demonstrari potest. Cum igitur pronomem illud, & vox cui adiungitur, semper pro eadem re accipiantur; Hinc consequens fit, vt in hac oratione, Hoc est corpus meum, pronomem (hoc) & dictio (corpus) pro eadem omnino re sumantur, nec aliud, quam nomen corpus, demonstratiuum illud ostendere queat: Singula scripturæ loca, vbi pronomem illud positum est, perillustrari, quàm diligentissimè potui, ac ne vnum quidem comperi, vbi alio modo, quam hic ponetur; aut vt aliud, quàm id quod per nomen, cui adiungitur, & cum quo concordat, significatum est, demonstrat. Nam quoad propositionem hanc, (Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) eodem plane modo, atque illã (Hoc est enim corpus meum) accipi, nec opus esse, eas figuratè exponere, latius postea demonstrabim⁹. Vnde satis equidẽ eos admirari nequeo, q̄ tã opere elaborarũt, vt in illa, figuram aliquam, absque vlla necessitate deprehederent, quo sic videlicet sententiam per se satis claram, tenebris offunderent potius, quàm elucidarent: Sed esto sane in illa figuram aliquã constituendam esse, non ideo tamen, & in hac, (hoc est corpus meũ) poni oportere, statim cõiunctur. Nam locutionis genere, quàm plurimũ ab inuicem differ-

dent, quandoquidem in illa priori accidens de substantia enunciatum in posteriori verò, prædicatum substantia est, illo pronomine (meum) singularis effecta: Vnde iuxta individui naturam de seipsa tantummodo enuncitari potest. Quæ cum ita sint, illorum nequitiam satis hic excrari nequeo, qui cum Dialecticam probe nouerint nihilominus tamen propositiones has (hoc est corpus meum) & (hic est sanguis meus) similes esse affirmare audent. Et quod si illa prior substantiationem aliquam, seu substantiæ vnus, in aliam mutationem inferat, posteriorem quoque substantiæ calicis, in noui testamenti substantiam, mutationem constituere, impudenter asserere non verentur. Ex Dialectica enim abunde satis, harum prædicationum alteram denominatiuam, alteram vero Identitatem esse, & quod in vna accidens de substantia, in altera idem de seipso enuncietur, cognoscere possunt. Perinde est enim, ac si dicerent, vt propositio hæc (homo est albus) vera esse ostendatur, oportere, vt hominis substantia, in albi substantiam conuertatur, qui profecto loquendi modus absurdissimus est, eo quod transubstantiationis nomen inter duas tantummodo substantias, & non inter accidentia reperiatur. In hac autem propositione, (hic calix est nouum testamentum) vnus solummodo substantiæ, ac vnus accidentis relatiui, hoc testamēti nomine designati, mentio habetur. Norunt autem Dialectici, eam accidentis esse naturam, vt prædicatione denominatiua (sic enim vocant) de substantia citra ipsius corruptionem enuncietur. Accidens enim, (quemadmodum ipsi diffiniunt) est, quod substantiæ in hære, aut non in hære potest, præter eius corruptionem. Est & aliud inter duas propositiones istas, non paruum discrimen, quia, vt posterior alteri similis esset, dicendum fuerat, Hoc est testamentum meum, quemadmodum dictum fuit: Hoc est corpus meum. Rursus, vt secundæ prior similis fieret, sic dicendum fuerat, Hic panis est corpus meum: Quæ vera profecto esse non posset, nisi quædam substantiarum, vt postea declarabimus, mutatio constitueretur. Cæterum, qui periti fuerint Dialectici, facile (scio) differentiam hanc, ac voces ipsas, quibus hac in re ex-

plicanda vtimur, intelligunt. Qui vero non intelligunt, eos ad puerorum scholas remittimus, vt eas addiscere sedulo curent: quod si discere contempserint, disputare desinant, neque in disputationis huius negotio, iudicis officium sibi arrogent, cum recte hæc de rebus iudicandi facultas, ex verâ vocum illarum cognitione dependeat, quibus non intellectis, rudium, ac imperitorum ingenia facile confunduntur, ac sæpè falluntur, cum duas diuersarum vocum propositiones, ex eo similes esse iudicant, quod ex similibus pronomibus, similibusque verbis constare videantur. Id quod & in præfenti argumento ipsis frequenter accidit. Nam cum in dictis iam enunciationibus, pronome (hic, & hoc) ac verbum substantiuum (est) collocatum reperiant, ab ipsis omnino similes illæ existimantur, idque ideo sane, quod inter testamentum, & corpus discrimen ponere nesciant, quod adeo tamen magnum est, vt vnigenita substantia sit, alterum vero accidens relatiuum, seu (vt Aristoteles vocat) Adaliquid. Ex quo manifestum satis euadit, eas propositiones nullo plane modo sibi inuicem similes esse, nec proinde necessum est, vt quicquid de vna dicitur, de altera quoque enuncitari debeat: Hæc autem eo potissimum dicenda existimaui, quod videam aduersarios, cū his verbis, (hoc est corpus meum) vrgentur, vt substantiarum mutationem consteantur, ad illa (Hic calix est nouum testamentum) confugere, vbi talis mutatio neque inueniri, neque vt fiat, necessum sit, quemadmodum ex dictis satis iam liquet, sicuti & latius suo loco declarabimus. Vt ergo ad nostri pronominis (hic, hæc, hoc) vsum redeamus, nullum omnino scripturæ locum reperi, vbi pro alia re demonstranda ponatur, quam pro ea, quæ voce illa designetur, cui additur, & cum qua conuenit. Omnia scripturæ loca diligenter expende, ac omnino ita esse comperies. Ex hac igitur longa exemplorum supputatione argumentum huiusmodi colligo. Pronomen hic, hæc, hoc, in nullo scripturæ loco pro alia re demonstranda, nisi pro ea, quam vox illa designat, cui additur, & cum qua concordat, sumitur, & in hoc igitur loco, de quo nunc differimus, ita omnino accipiendum est.

est. Ad id vero, quod ab aduersariis ex his verbis, (hic calix est nouum testamentum) obijcitur; paucis respondeo, eodem planè modo, quo & alias accipi, quemadmodum copiosius suo loco demonstrabimus. Dico in super, huiusmodi obiectionem, Fallacia sophistica (quam petitionem principij vocant) inniti, quæ tum sane fit, cum vt aliquid, quod controuersum, atque ambiguum est, elucidetur, ac comprobetur; aliud non minus controuersum, & obscurum in medium adducitur. Nos autem de vero vtriusque propositionis huius sensu, ac intelligentia quærimus, proinde harum vna commode adduci non potest, vt alterius controuersia resoluitur; verum alia, alijs ex scripturis, cuiusmodi sunt illæ, quas in initio huius capituli posuimus, proferendæ sunt. Ne diutius igitur his immerer, dico, nullam penitus in tota scriptura sententiam aliam huic similem, (hoc est corpus meum) inueniri posse, quæ alio, quam in literali sensu, exponi queat, aut quæ (si figurate exponenda est) ipsius scripturæ auctoritate in eo ipso, in quo ponitur loco, non explicetur, aut quin ex ipsius saltem circumstantijs facile colligi possit, ipsam aliter intelligi non posse. Quocirca aduersarios ad id inuito, vt vel vnicam si possint, proferant. Nam cum omnes reuoluerim, hoc ipsos nunquam facturos satis comperit habeo. Nunc igitur reliqua sententiæ illius (hoc est corpus meum) verba prosequamur.

*Quis genuinus huius verbi Est vsus sit.*

## CAPVT LII.

Secunda iam sæpius dictæ propositionis vox est verbum illud substantiuum (est) cuius vsus diligenter quoque dispiciendus est. CHRISTVS in Euangelio nobis præcipit, vt sermo noster sit, est, est, non: quod enim his abundantius est (inquit) à malo est. Quo sane præcepto non solum, ne iuremus, nobis prohibetur, verum etiam, vt in communi colloquio nostro, absque vlla verborum ambiguitate, aut fūco, simplici affirmatione, ac negatione vtamur, planè iubetur, vt sic quæ dicere volumus, simpliciter intelligantur. Cæterum

Diuus Paulus de CHRISTO loquens expresse dicit, in Deo non esse est, & non, cum scilicet de vna, ac eadem re loquitur, sed quod in eo absque vlla aut duplicitate, aut contradictione, tantummodo sit (est): Dei filius Iesus Christus (inquit) qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sylyanum, & Timothæum *2. Cor. 1.* non fuit (est, & non) sed (est) in illo fuit: Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo (est) ideo & per ipsum, Amen Deo, ad gloriam nostram. Ecce quidam asserat Paulus de Dei (est) nempe quod Dei (est) nihil aliud penitus sit, quam (est) & ita: Hoc est, ipse Dei (est) non nisi pro ita, seu verè accipi debet, quia ipse fidelis est, nec quemquam fallere cupit: Quocirca ipse (est) nihil aliud quam purum (est) & suum ita, nihil aliud, atque purum, ita, esse potest: Quod cum ita sit, ipse (est) nullo modo (significat) aut (non est) dici poterit, sed firmum, ac purum (est) nuncupari debet. Hic igitur verus, ac genuinus illius verbi (est), vsus existit, cum illud Dei filius in suo sermone vsurpat. Quapropter nullam penitus in toto euangelio sententiam à Christo prolatam inuenias, vbi verbum (est) aut pro (significat) aut pro alia re, quam pro (esse) accipi possit. Istud diligenter animaduertere oportet, maximè cum tanti momenti sit, vt omnes erroneas Sacramentorum expositiones, quibus hic (est) non pro (est) sed pro (significat) id est pro non (est) accipiunt, facile, & absque villo ferè negotio euertere, possit. Huiusmodi siquidem bella eorum commentatio, negationem quandam affirmatio Dei verbo planè, & ex diametro oppositam infert. Quod verissimum esse, cum in formam, eorum commentationem redegeris, facile comperies. CHRISTVS itaque dixit, Hoc est corpus meum: Illi autem sic interpretantur: Hoc non est, sed significat corpus Christi. Nam id quod significat tantummodo, non est verè ea res, quam significat, sed eius solummodo signum existit. Iam vero quantum inter signum, & rem signatam interfit, quis nesciat? Diuus igitur Paulus, ne commentationem tuam recipere debeam, ô Berengari, clarè me docet, cum in DEI (est), nullum (non) esse perhibet, tu siquidem ita illud interpretaris,

ac si aliquod (non est) in eo reperiretur. Apage, igitur cum absurdis commentationibus tuis. Nam quod ad me attinet ego verbum (est) hic, ita omnino accipiam, quemadmodum Diuus Paulus accipiendum esse, me docuit. Ratio autē cur De<sup>o</sup> ea voce sic utitur (est) quia ipse vult, vt verbo suo affirmatiuo simpliciter fidem adhibeamus, quantumcumque illud interim intellectu difficile hominibus esse videatur. Nam cum ei credere debeamus, in magna miseria versaremur, si ita obscure, & ambigue nobis loqueretur, vt suum (est) per (non est) exponere cogeremur, sic enim fieret, vt quid nobis credendum foret, nesciremus. Non enim vsquadeo sapientes sumus, vt cum ipse diceret, (hoc est) excogitare possimus, quando illud (est) pro (est) & quando pro (non est) vel (significat) accipiendum foret. Tum enim solummodo rem ita se habere, quemadmodum ipse dicit, credere tenemur, cum ipse dixerit (est) ac tum quoque aliter rem se habere, credere teneamur, cum ipse dixerit (non est). Hinc igitur generalem huiuscemodi regulam elicio. Cum Deum in scripturis locutum legimus, nunquam aliter (est) quam pro (est) & non est, quam pro (non est) accipit. Nam tamen si Apostolos, aut Prophetas nonnunquam (est) pro significat, accepisse forsitan probari possit, ego tamen cum Diuo Paulo nunquam Christum ita vsurpassē, sed vbi cumque eum dixisse reperimus, hoc est, aut non est, illud (est) pro esse, non autem pro (significat) accipiendum esse dico. Vnde ex his argumentum huiuscemodi colligo. Nulla propositio negatiua est, in qua verbum illud (est) pro (significat), accipi debeat, neque igitur in affirmatiuis pro eo sumi poterit. Nam cum (iuxta Aristotelem) contrariorum eadem sit scientia, cur in affirmatiuis Dei propositionibus pro (significat) potius, quam in negatiuis accipiendum erit? Quod autem in negatiuis nunquam pro (significat) vsurpetur, haud difficile probari potest, si is qui hoc negat, eo adigatur, vt vel vnicam saltem, vbi sic accipiat, in medium proferat. Nam quoad Prophetarum, aut Apostolorum verba, si ipsi illo verbo (est) pro (significat) quandoque vtuntur, aut statim quo in sensu illud accipi debeat, explicant, aut sic plane loquuntur, vt quisque in

sensu mystico accipiendum esse, quod ipsi dicunt, facile intelligere possit: Sed aduersarij, nobis illum a postoli locum opponunt, Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Quid igitur? Num illud verbum erat, pro significabat accipiendum est? Minimè verò. Spiritalis enim illa petra, de qua ibi loquitur Paulus, non significabat Christum, sed erat ipsemet Christus. Præterea quoad illum euangelij locum vbi Christus de Ioanne baptista loquens ait. Si vultis recipere, ipse est Helias ille, qui venturus est. dico neque (est) ibi pro (significat) sed in proprio sensu, pro (est) tantummodo accipi. Quippe Ioannes Helias illum, quem ante Dominum Malachias venturum esse prædixerat, non significabat, sed ipsemet ille Helias erat. Sed in Euangelio Christus ait, Ego sum vitis vera. Rectè. Verum tamē illud verbum (sum) non pro (significare) hoc loco esse sumendum, quia Christus vitem non significabat, sed ipse in rei veritate erat vera vitis, quemadmodum & verus panis nuncupatur; eo quod & verum sanguinis sui vinum, quo æterna sitis extinguitur, nobis dedit; & verū carnis suæ panem, quo & corpora, & animæ nostræ ad vitam beatam nutriuntur, suppeditauerit. Paucis, nullum plane locum inuenio, vbi Christus verbum (est) pro significat, vsurpauerit, sed in genuino significato semper accepit. Vnde non frustra Diuus Paulus, in Deo non esse (est) & (non est), sed (est) tantummodo, ita, & Amen esse pronunciauit. Nam cum ipse sit fidelis, neminem fallit, aut decipit. Quocirca ex omnibus iam dictis concludimus, in præsentī negotio (est) neque in vllis alijs Dei verbis (est) pro (significat) accipi posse. Experire (queso) vtrū in exemplis illis, quæ superiori capite posuimus, loco illius verbi (est) vocem (significat) apte collocare possis. Experire (inquam) nū loco illius (Hic est filius meus dilectus) rectè dixeris. Hic significat filiū meum dilectum. Et rursus. Hoc est præceptum meum, hoc significat præceptū meum. Et tertio. Verbum caro factum est, verbum significat carnem, &c. Ceterum his ita expeditis, quidnam in illa Christi sententiā, Hoc est corpus meum, nomen (corpus) significet, videamus.

*Quis*

*Quis verus sit nominis huius (corpus) in scriptura vsus.*

CAPVT LIII.

**C**orporis nomen, vbi totam scripturam sacram attentius volui, ac reuolui, nusquam equidem, vbi pro sui ipsius signo, aut figura sumeretur, reperire potui: In primis enim quod ad Christum attinet, in verbis illis, quæ ipse proprio ore protulit, nunquam illo nomine vsus est, quàm vt proprium illud corpus suum denotaret, quod ipse ex virgineo vtero sumpsit, ac in mortis supplicium pro nobis tradidit. Sic sane hoc nomine vsus est, cum Magdalene causam, aduersus impios Iudæ latratus, diuina sua auctoritate tuendam suscepit, dicens, quod corpus suum vngendum præuenisset: Alias autem, cum hoc nomine vteretur, semper, vt non aliud, quàm verum corpus designaret, accipiebat: Veluti cum a postolis diceret, Nolite eos timere, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et iterum: Nonne corpus plus est, quàm vestimentum? Quis non videat, corpus, his in locis, pro suo ipsius signo, aut figura accipi nullo modo posse? Iam vero, quod ad ipsos spectat euangelistas, nullus eorum, in alia significatione, nisi quam modo diximus, vsurpauit, Paucis, nusquam, nisi apud D. Paulum, hoc nomen, vt aliud, quam verum, ac naturale corpus significet, vsurpatum inuenio: Ibi enim quandoque pro multarum rerum aggregatione, & cumulo sumitur, vt cum ille dicit, Christum venisse, vt destruat corpus peccati; quandoque vero pro Ecclesia, quæ multorum hominum in veræ fidei vnione congregatio est. Ceterum cum Paulus ita nomē istud accipit, vt corpus Christi mysticum (quod est Ecclesia) significet, sic plane loquitur, vt nemo eum aliter intelligere possit. Verbi gratia, cum multas corporis afflictiones se pati ait, vt ea adimpleret, quæ passionibus Christi deerant, pro corpore eius, quod est (inquit) Ecclesia: Hac siquidem adiectione (quod est Ecclesia) seipsum exponit, manifeste satis ostendens, quemadmodum nomen istud (corpus) eo in loco accipiat. Vnde argumentum huiusmodi decerpo: Si ipse alijs in

locis, vbi hoc nomine vsus est, cum aliter quam in natua sua significatione illud acciperet, seipsum exposuit, cum de coena Dominica loqueretur (vbi cum de animarum salute agatur, non sine grā di periculo erratur) idem profecto facere debebat, si sic nomen illud acciperet, vt aliud quàm verum, ac naturale corpus denotaret. Quod cum non fecerit, omnino consequens est, vt aliter accipi non debeat, imo aliter exponere, magna præsumptio foret. Adhæc, fortiter asserere audeo, nusquam in tota alibi scriptura, corporis nomē pro suo ipsius signo, aut figura accipi. Cur hic igitur (queso) ita sumeretur? Nunquid vt hominis vnus incredulitari, ac perfidiæ nos accommodemus, diuinæ scripturæ vis faciendæ erit, quo sic nouam ei significantiam, atque vsus attribuamus? Dicunt autem aduersarij, sicubi scriptura obscure loquatur, se ipsam aut in eo ipso statim loco, aut alibi exponere. Verum obscura admodum ea locutio est, cum corpus, pro signo, aut figura sumitur. Aliū igitur scripturæ locum, vbi ita accipiat, si possint, nobis adferant? Quod cum efficere non possint, iuxta eorum legem infero, neque hic pro signo accipi posse, cum alibi nusquam scriptura ita vsurpet. Neque vero pro corpore suo mystico, quod est Ecclesia, hic vllō modo sumi potest, quia ipse de eo corpore suo loquitur, quod in mortem pro nobis traditū fuit. Restat igitur, vt corporis nomine, non de alia vlla re, quæ de vero ac naturali corpore suo locutus sit. Satis proinde hæcenus genuinum vocis illius vsus explicuimus, nunc igitur quid pronomen illud, meum, corpori adiunctum, sibi velit, discutiamus.

*Quenam ratio ex hoc pronomine meum, elici possit, vt verus horum Christi verborum (Hoc est corpus meum) sensus statuatur.*

CAPVT LIIII.

**G**enuinus, ac natius pronominum possessiuorum, siue demonstratiuorum vsus est, vt generalem earum vocū, quibus adduntur significantiam, ad res particulares, ac indiuiduas denotandas restringant, & coarctent. Quemadmodū,

verbi

verbi gratia, vox ista (seruus) quemlibet in genere seruum designat, verum si pronomen illud (meum) ei addideris, dicendo seruum meum, tum sane generalem illam vocis huiusmodi significatiam restrinxeris, vt singularem quempiam seruum denotet. Ita & hic, cum Saluator noster diceret, (hoc est corpus) si ibi substitisset, cum varij generis sint corpora, non facile dictu fuisset, de quo corpore loqueretur. Sunt enim corpora caelestia & terrestria: sunt & spiritalia, & animalia. Verum, cum pronomen hoc (meum) adiecit, dicendo, (hoc est corpus meum) vagas, & ad plura corpora cogitanda distractas mentes nostras, vt iam de vno tantum, nempe, de suo ipsius corpore, non de vilo alio cogitemus, reuocauit. Ceterum aliud adhuc circa pronominis istius (meum) & aliorum similium vsuum, obseruemus, opera precium est. Cum enim pronomina ista, voces, quibus adduntur, singulares constituant, ac metaphoræ in communibus vocibus tantummodo fieri soleant, hinc fit; quo minus istud loquendi genus, quo hic vsus est Christus, (hoc pronomine (meum) vocem illam (corpus) restringens, metaphorice intelligi possit. Nam cum Christus leo, agn<sup>9</sup>, petra, vitis, sol, lux, aut aliquid huiusmodi nuncupatur, absque vlla prorsus horum pronominum restrictione, voces illæ in genere ponuntur. Si enim aliqua huiusmodi restrictione, singulares efficerentur, tum Metaphora impediretur. Nam si Christum, eum Leonem esse dixeris, quæ Dauid interemit, aut vitem illam, quam Noe plantauit, aut agnum illum, quem Moyse in Agypto occidi denunciauit, aut hunc denique solem, qui nobis caelitus lucet, non modo metaphoram sustuleris, verum etiã propositiones omnino falsas effeceris: Vnde Christus, cum se vitem nuncuparet, non ait: Ego sum hæc, vel illa vitis. Nec Diuus Ioannes dicit: Ecce hic, vel iste agnus illius hominis, aut aliquid huiusmodi. Nam metaphorica locutiones, semper vocibus, quæ neque singulares, neque illis pronomibus restrictæ essent, fieri assolent: Vnde liquet, hoc pronomen (meum) omnino efficere, vt vox (corpus) metaphorice accipi nequeat: Sed & aliud hic argumentum habemus, quo, vocem hanc (corpus) non de alio,

quam de seipso enunciarî posse, efficaciter comprobemus. Vnde abunde manifestum erit, pronomen (hoc) nihil aliud, iuxta rigorem verborum, demonstrare posse; quàm quod corporis nomine significatum est. Iam etenim comprobauimus, adiectiuum istud (meum) vocem illam (corpus) singularè reddidisse, vt res singulam, id est, singulare aliquod corpus denotet: Nunc vero ita se res habet, vt vox illa ita singularis effecta, Individuum prædicamenti substantiæ significet. Sequitur ergo, illam de seipsa tantummodo enunciarî posse. Nouit enim quemlibet Dialecticus, quinque tantummodo esse prædicabilia, nempe, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens: Individuum autem eiusmodi est, vt de seipso duntaxat, in prædicatione Identica (vt vocant) verè dici queat. Vnde istud, apud ipsos, & primum principium, ac vniuersalis regula est, Impossibile est indiuidua prædicamenti substantiæ, seu primas substantias, prædicari, nisi de seipsis. Quapropter hæc falsa enunciatio est, Ista petra est iste asinus. Et ista: Hic homo, est iste homo. Ita & in præsentî argumento, hæc propositio falsa est: Iste panis est Christi corpus: vel ista: Hic panis est caro mea. Nunquam enim hæc in sensu (vt vocant) composito, vera esse potest. Hoc est, panis, remanens panis; caro esse non potest. Et propterea, illi, qui dicunt, pronomen demonstratiuum (hoc) in verbis Christi, panem, & nõ corpus demonstrare, substantiarum mutationem ponere coguntur, vt interpretationes suas ratas efficiant. Nunquam siquidem in sensu composito verum esse poterit, vt panis existens panis, etiã caro sit: at in sensu diuiso, vt intelligas, id quod antea panis fuerat, nunc esse carnem; verum, haud dubie euadet. Sic enim & has propositiones exponimus. Cæci vident, surdi audiunt. Nam in sensu composito, nullo sanè pacto verum est, vt cæcus existens cæcus, videat, aut surdus manens surdus, audiat. Hæc aperta quippe repugnantiam implicat. At in sensu diuiso, hoc verum esse poterit, ita dicendo, qui antea cæci erant, nunc vident, & qui surdi hætenus fuerant, modò audiunt. Ita & de hac quoque enunciatione dicendum erit: Hic panis, nunc est caro, vt scilicet hoc in sensu diuiso, hæc rati-

onc

one intelligas, quia id quod antea panis erat, nunc caro est. Nam in sensu composito nunquam verum esse poterit, vt panis, manens panis, caro quoque sit. Ecce igitur quemadmodum veram, ac naturalem verborum C H R I S T I significantiam, atque vsuum, solerter discutendo, tandem fieri non posse videmus, vt illud pronomen (hoc) aliquod aliud ostendat, nisi id quod per vocem hanc (corpus) significatur, eò quod vox ista, hoc pronomine (meum) singularis effecta, de nullo alio, quam de seipsa verè enunciarî possit. Quæ cum ita sint, nemini dubium esse debet, quin ignorantia Grammatices, atque Dialectices, illorū erroris causa sit, qui circa horum Christi verborum intelligentiam tantopere hallucinantur, aut fit iij qui certe ita hallucinantur, huiusmodi artium periti sint, inde eorum error emanat, quod ijs tempore, & loco debite non vtantur; aut sua ipsorum potius malitia excecantur, dum ita priuatis affectionibus suis erga falsas illas, quas semel conceperunt opiniones suas abrepti, nihil in animo, aut cogitatione, vnquam admittere velint, quod illos à peruersa earum defensione, possit abducere. Ceterum magnopere eorum (proh dolor) misereor, qui harum artium peritiam non habentes, pro sua ipsorum ignorantia sese ita atrectari fiunt, vt parati sint credere, quicquid nõ intelligunt, dummodo perfidix suæ id consentaneum esse videatur. Quid vero de illis dicam, qui cum omnis discipline adeo expertes sint ac rudes, vt nec de propositionis alicuius veritate, nec de disputationis bonitate rectè diiudicare possint, eò tamen impudentiæ se ingerunt, vt de tota hac causa decernere præsumant? Mirum profecto dictu quantopere huiusmodi homines fallantur, ac decipiantur. Ceterum missos illos faciamus, vt alias probationes, (quas ex genuino verborum Christi vsu) quibus ipse in cœna vsus est, deducimus prosequamur.

*Quemadmodum relatiui illius (quod) in verbis Christi, vsus, magnam fidei nostræ approbandæ lucem adferat.*

## CAPVT LV.

**A**D clariorem huius controuersix elucidationem, magnopere nobis

profuerit, vt quam Relatiuum, in oratione positum, vim, atque vsuum habeat, intelligamus. Hic etenim dicere quis possit, num homo ita clare, & aperte loqui non valet, vt in alium, atque ipse intendit, sensum, eius verba rapi nequeat? Nonne simul atque Deus homini, orationis vim, atque vsuum indidit; rationem quoque, qua omnem in verbis suis ambiguitatem, ac sensuum varietatem cui-tare posset, suppeditauit? Quid verò ipse Christus qui omnium linguarum artifex, ac conditor est, nonne ad hoc, loquendi munere vsus est, vt quemlibet verbi sui auditorem, non aliud animo concipere impelleret, atque ipse dicere voluisset? Quæstioni huic paucis respondeo, optimum, atque omnium vltimū, quo omnis in oratione æquiuocatio, ac sensuum varietas, (quæ ex aliquo diuersæ significantiæ vocabulo vt plurimum continere solet) remedium esse, vt Relatiuo vtamur, quod peculiare aliquid referat, quod ei tantummodo rei competat, de qua institutum à nobis esse sermone, intelligi volumus. Neque enim alio ad aliud quicquam Relatiuorum vsus, quàm ad omnem in oratione ambiguitatem, atque amphibologiam è medio tollendam nobis concessus est. Ideoque diligenter istud notandum fuerit. Hæc siquidem optima, atque adeò vltima ratio est, qua facile fiat, cum loquimur, vt hominibus innotescat, quibusnam de rebus sermo noister intelligendus sit. Quod ita esse, prius, quam instituto nostro istud accommodemus, breuiter ostendamus. Si quis ita locutus fuisset, Alexander rapuit Helenam, eo, quod nomen illud (Alexander) ad varios homines significandos, æquiuocum est, (fuerit siquidem olim Alexander magnus, Alexander pseudo-propheta, & Alexander Troianus) propositio illa, varios habet sensus, quorum alius verus, alius vero falsus est. Quid ille igitur faciet, vt & horum sensuum diuersitatem tollat, & vt auditorem, ad verum illum, in quo ipse intelligi vult, sensum accipiendum impellat? Nempe Relatiuum aliquod in oratione ponat necesse est, quod singularem aliquam proprietatem referat, quæ illi soli Alexandro conueniat, de quo ipse intelligi cupit, hoc aut simili modo dicendo: Alexander ille, qui & Priami, & vxoris eius Hecubæ

enbe filius fuit, Helenam rapuit. Sic enim Relatio, in oratione constituto cum re aliqua, quæ illi dumtaxat Alexandro cōuenit, de quo sermonem suum intelligi volebat, non omnem modo sermonis ambiguitatem è medio tollit, verum etiam auditorem, vt cum, de quo ipse intelligi volebat, sensum acciperet, omnino compellit. Atqui ad omnem ambiguitatem ab oratione pellendam, nulla ratio ista commodior inueniri potest. Christus itaque omnium linguarum auctor, qui in tanti ponderis argumento, neque ambiguitate vlla vti, neque discipulis vllam erroris ausam dare, neque vllam postremo eorum successoribus su per verborum suorum intelligentia, diffensionem subministrare cupiebat; cum de corpore suo, clarè, ac diserte satis locutus esset, dicens, (hoc est corpus meum) vltimo tandem remedio, quo omnem dubitandi, aut hæsi tandi occasionem è medio tolleret, vti voluit, cum in oratione sua adhibuit Relatiuū illud (quod) aliquid huiusmodi referens, quod soli illi corpori, de quo tum sermo erat, conueniret. Nonnullos enim vsque adeo incredulos fore sciebat, vt nec tanta quidē verborum ipsius claritate eō permouerentur, vt ipsum de proprio corpore suo hic loqui crederent, ac nos propterea, variosque verborum eius sensus comminifcerentur; corpus scilicet per eius signum, aut effectum explicando, vel corpus eius mysticum (quod est Ecclesia) intelligendo. Vt huiusmodi ergo hominibus omnem iustam id faciendi occasionem adimeret, Relatio vsus est, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Quo sanè Relatio tale quid refertur, quod nulli alteri rei, sed ipsius tantum naturali corpori conueniat, nimirum tradi pro nobis ad mortem, idque ideo, vt hac ratione vniuersum plane mundum cohiberet, ne isto corporis nomine signum aliquod, figuram, effectum, aut quiduis aliud, sensu forsā mystico intelligat, vt pote quorum omnium nihil penitus in mortem pro nobis traditum fuerit. Atqui hoc sanè pacto, summum velut remedium adhibuit, ne quisquā deinceps ipsius verba sic fucare, detorquere, aut omnino immutare præsumeret. Quo circa neque sapientius, neque solertius

vnquam loqui potuisset, tum vt omnē erroris occasionem adimeret, tum ne quis in varios sensus eius verba detraheret. Nemo proinde, merito de carnis eius, in hoc sacramento, præsentia deinceps dubitauerit, neque vero ipse, neque alius quisquam iuste nos reprehenderit, si ita crediderimus. Nam quoad eos, qui verba (nescio quæ alia) Dei verborum loco reponunt, fieri non potest, quin ipsi tam varios sensus, talesque adinueniant, quales ipsi voluerint, secundum variam eorum verborum significantiam, quæ ipsi verborum Dei loco collocat. Carerem Deus æternam ipsius maledictionem comminatus est, qui verbis ipsius quicquam addiderint, imminuerint, aut quoquo modo immutare præsumperint. Nunc vobis igitur cogitandum relinquo, quidnam amplius præstare potuisset, quo prohiberet, ne in aliam sententiam eius verba quispiam interpretaretur. Primo siquidem, ad eō idoneam, omnis tollendæ ambiguitatis rationem adhibuit, vt melior nulla vnquam excogitari queat. Deinde quia germanus verborum ipsius sensus, nunc addendo, nunc detrahendo, nunc innumeris alijs pene modis corrumpti ac adulterari posse videbat, ita vt nullis propemodum verbis hæc res cohiberi posse videretur; tale quoque huic malo remedium admouit, quale nullo vnquam humano ingenio adinueniri potuisset, districte scilicet sub semperna maledictione prohibens, ne quicquam verbis eius addatur, nihil detrahatur, nihil omnino mutetur. Quæ cum ita sint, quid agerent (quæso) Maiores nostri? Quid inquam aliud agerent, nisi vt omnem intellectum suum, humiliter in obsequium Christi, captiuum redderēt, ac simpliciter, claro, & aperto eius verbo crederent, omnemque (qui ex cogitationibus carnis, aduersus summam illam Dei potentiam, cui nihil impossibile est, exurgere solet) scrupulum eiecerēt, nullo modo, cum id facerent, Deum à se offendi putantes, sed potius ne in tremendæ maledictionis eius sententiam inciderent, iure metuentes, si aliter sese gererent. Quanto igitur illi Thrafonibus istis filijs nepotibusque suis sapientiores fuerunt, quanto exactius Dei verbum & examinauerunt, & intellexerunt? Vnde omni etiam luce clarius videas, quā turpiter

pitèr gloriosi isti eorum nepotes, qui se omnia scire profitentur, ex mera Grammaticorum principiorum, (quæ verum Relatiuorum vsum docent) ignorantia, à veritate aberrauerint. Nunc igitur subtilissimum quicumque eorum ad hoc inuito, vt ad omnē è medio cuiusuis orationis ambiguitatem tollendam, rationem aliquam nobis ostendat commodiorem ista, qua hic Christus, Relatiuum in medium proferens, vtitur. Quod si efficere non potuerint, Christum ipsis longe profecto sapienterem, longeque peritiorum Grammaticorum asserere nullatenus dubitauerim. Neque enim commodius amphibologia aliqua tolli potest, quàm eo modo, quo Christus vnus est, cum absque ambiguitate vlla locutus fuisse videri voluit. Quod ne dixisse tantummodo, ac non probasse videar, hoc exemplis clarum faciemus. Imprimis igitur, cum ipse figurate, aut *μεταφορικῶς* loqueretur, nunquam, nisi metaphora, aut similitudinis explicandæ gratia, hoc locutionis genus vsurpauit. Vnde cum se vitæ nuncuparet, non ait: Ego sum vitis illa, quam Noe plantauit. Et cum se lucem diceret, non aiebat, se lucem illam esse, quæ à Solis radijs cœlitus prodit. At tum demum hoc locutionis genere utebatur, cum nominis alicuius a quo locutionem distinguere vellet: veluti cum se panem esse diceret, ne quis enim eum, se panem triticeum appellare existimaret, continuo subiicit: Qui de cœlo descendit; omnino hac ratione interdicens, ne ipsum, aut materiale, aut terrenum panem esse arbitraremur. Item cum alias D. Ioannem Baptistam Heliam appellaret, ne quis Heliam illū, qui cognomine Tesbites dictus est, putaret, vt falsam huiusmodi intelligentiam submoueret, relatiuo vsus est dicens: Ille (ait) qui venturus erat, vt viam, ante faciem meam præpararet. Ita & cum panem illum, quem hominibus se daturum pollicebatur, carnem suam esse diceret; ne quis hoc nomine carnis, eius fortè signum, aut aliquid aliud non verum, ac naturale illius corpus intelligeret, relatiuum adiecit, dicens, Quam ego dabo pro mundi vita. Quæ profecto adiectione etiam delirum quocumque impedit, ne ipsum de alia, quàm de propria carne sua locutum fuisse putaret.

Quomodo igitur clarius de carne sua loqui posset? Libenter proinde à Sacramentarijs istis quaerem, si quis eorum; fidei suæ, de generali illa omnium resurrectione, professionem acturus esset, nunc clarioribus verbis vti posset, vt se in propria carne sua resuscitandum fore confirmaret, ac si hoc modo diceret: Hæc ipsa caro mea, quæ vermibus esca futura est, in magno illo iudicij die suscitabitur? Num significantiora verba, quibus fidem suam exprimeret, inuenire posset? Nunquid igitur ille cuperet, vt tam clara hæc eius verba, p similitudinē, aut metaphora exponerēt? Minimè verò. Cur igitur Christi verba eodē plane tenore ab ipso pronūciata, in aliū sensum, quæ natia eorū significantia patitur, detorquere cōnatur? si quis in Vergil. Ouidio, Teretio, explicando, huiusmodi expositionis genere vteretur, ab omnibus merito rideretur. Quod igitur in prophanis auctoribus facere nullus auderet, hoc in DEI verbis explicandis sacrilega sibi permittet audacia? O tempora. O mores. Sicine nouam interpretandi formam, quæ diuinæ scripturæ mentem atque sententiam funditus euertit, impune vsurpabit impietas? Viderint hoc illi, quorum inter est, huiusmodi grassantia in orbe Christiano vitia corrigere: Ego verò, etiam si nullos Hieronymos, Augustinos, Cyrillos, Ambrosios, dicta iam Christi verba de vero ipsius corpore ante nos exposuisse animaduertem; propter hanc nimiam tamen ipsorum perspicuitatem; aliter quàm modo exposui, ea interpretari nullo modo possem. Imo si non modo totus orbis, verum etiam vniuersi illi cœlestes spiritus contrā dicerent; aduersus tam clarum Euangelij verbum, nullo pacto eis fidem adhibere possem. Quinimo hoc vnum arbitror equidē, quod si totus orbis ante Berengarij, aut Oecolampadij aduentū, eiusdē opinionis fuisset, cuius isti nos esse volūt, hoc est, si vniuersalis Ecclesia, ante eorū in orbē aduentū, corpus Christi realiter in hoc sacramento nō existere credidisset, ac ipsi, vt tā clara Dei verba serio reuoluerēt, animum applicassent; arbitror (inquā) eos tā apertis Dei verbis innitentes, quibus tamen ex diametro oppositum nunc docere cōtendūt, ibi corpus Christi realiter præsens esse, dicturos fuisse. Dixissent

plane ante ipsos vniuersam errasse Ecclesiam: Nullam penitus in illis Christi verbis, aut figuram; aut locutionem mysticam agnoscere voluissent: Nā qui ad eō temerarij fuerunt, vt ex hac propositione, Hoc est corp<sup>9</sup> meum, eius contradictoriā, hoc non est corpus Christi, probare praesumpserint, quanto audaciores (si ita mens, animusque tulissent) fuissent, vt ex hac affirmatiua (hoc est Christi corpus, quod pro vobis tradetur) illud ibi praesens esse conuincerent? Cur enim istos omnium haereticorū, qui vniuersam fuerunt audacissimos esse negem, qui ex affirmatiua Dei verbo, illius negationem inferre contendunt? Magnopere profecto illa hominum ingenia somno oppressa, admodum caeca sint, necesse est, quibus tam absurdo probationis genere persuadere possunt, vt cum Christus dixerit, Hoc est corpus meum, intelligi velit, hoc non est corpus meum. Ceterum Saluator noster (vt ad institutum redeam) effroni huic audaciae prudenter occurrit, cum in oratione sua Relatiuum poneret, quo non solum quilibet magna eruditione praeditus, verum etiam quisquis vel ipsa saltem Grammatices principia vtrumque teneret, prohiberetur, ne ipsum alia de re, quam de ea, qua Relatiuum illud referebat, locutum esse arbitrareretur? Genuinum igitur Relatiui vsum, qui in eo potissimum consistit, vt praecedētis dictionis, qua in eius antecedente ponitur, ambiguitatem tollat, diligenter hic retineamus. Quod superius itaque dixisse me memini, Relatiuum in propositionibus figuratis aut mysticis non collocari, id non quomodolibet intelligi velim; sed quod longe aliter in propositione simplici, quam in figurata collocetur. Nā cum in simplici ponitur, id refert, quod in rei veritate, absque tropo, aut sensu mystico, per antecedens significatur: Verum si in figurata positum aliquando reperitur, id fiet, vt hoc tantummodo referat, quod per antecedens mystice, ac figurate denotatur. Vt verbi gratia, cum Ioannes Baptista Christum dixisset esse agnum Dei, Relatiuum huiusmodi adhibuit, non, quod rem aliquam referret, qua proprie ad pecudem illam, qua agnus dicitur pertineret, verum ad id solummodo, quod per vocem illam

mystice acceptam designatur, ea autem res Christus est, vt pote cui soli competit, tollere peccata mundi. Vnde ille sic ait: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item & Diuus Paulus, cum plurima se aduersa pro Christi corpore petiti diceret, vt nomen illud (corpus) se mystice ibi ponere ostenderet, continuo Relatiuum adiecit dicens, Quod est eius Ecclesia. Ceterum cum Christus subobscure aliquid significare volebat, tum Relatiuo minime utebatur, veluti cum Iudaeis futuram resurrectionem suam praediceret, quia eiusmodi mysterium inimicis suis (quos non nisi illud plane irrisuros esse nouerat) occultū volebat, simpliciter ait illis: Soluite templum hoc, & in triduo reaedificabo illud. Vbi vides eum Relatiuo non esse vsum, quo declararet, qua in significatione, vocem illam (templum) acciperet. Haec igitur pro Relatiui vsum vniuersalis regula tenetur. Quoties illud in oratione aliqua ponitur, vt rem huiusmodi referat, quae ei tantummodo conueniat, quod ex naturali significatione per antecedens denotatur, tum huiusmodi oratio simpliciter, iuxta literam, & absque vlla figura debet intelligi. Sin autem ita ponatur, vt rem aliam, ab ea referat, quae congruat ei, quod per antecedens vulgò designari solet, tum sane antecedens figurate, ac mystice exponendum erit, pro ea re videlicet qua illi congruit, quod per huiusmodi Relatiuum ostenditur: Ex quibus perspicuum est, relatiuum nihil aliud esse, quam ipsam praecedentium verborum explicationem. Quotiescumque igitur illud occurrit, ipsius textus explicationem esse inuenieris. Multis autem nominibus, vt tam prolixis verbis de Relatiui vsum differemus, adducti sumus. Primum, quia cum huiusmodi hominibus nobis res est, qui neque Grammaticam callent, neque aliam artem, quam vt libellos sua lingua scriptos assidue lectitent, norunt, quo fit, vt cum ad scripturam diuinam commode explicandam, tum ad recte de sana eius explicatione iudicandum, profus inepi sint. Deinde, vt hinc studiosam Maiorū nostrorum diligentiam, qui ita exacte singulas verbi Dei circumstantias discussunt, quod veram illius intelligentiam

De Relatiuo Regula.

consequerentur, vt nunquam exactius (meo quidem iudicio) discuti valeant, inde aduersariorum negligentiam, imò insaniam perspectam haberemus, & cognitam. Hi siquidem dum piam illorum diligentiam imitari nolunt, ad splendidissimum verbi DEI fulgorem, in ipsa meridiana luce, caecutiunt. Ad extremū, vt intelligatur, quam iusta ratione adducti, Maiorum nostrorum fidem imitemur, ac ne phandas aduersariorum sectas, & errores sacrilegos detestemur, qui cum hoc vnum sibi proposuerint, vt auditorū suorum aures blando verborum sono mulceant, ad ipsam verbi Dei medullam, quo sic veram ipsius intelligentiam consequi possint; penetrare non student.

Quaedam mirae perspicuitas verborum Christi elucidatio, quae ex pro Maiorum nostrorum fide necessario concludit, istique controuersiae finem imponit.

## CAPVT LVI.

Superiori capite ostendi, aduersus istorum, qui verbo Dei nunc addunt, nunc detrahunt, vt suis insanis opinionibus quadret, atque conueniat, impiam temeritatem congruentius atque praesentium remedium excogitari non posse, quam vt & ipsi interdicatur, ne deinceps aliquid huiusmodi audeant, & illorum auditores illorū additiones, ac mutationes pro Dei verbo non amplectantur. Christus tamen cui nihil impossibile, nedum difficile est, in re tanti momenti, optimum sane tanto huic malo remedium adhibuit, dum ita sapienter, ita clare, ac diserte de carne sua locutus est, vt nullo plane humano ingenio, quamuis subtili eius verba, in alium sensum, quam in eum quem illa prima fronte praeseferunt, detorqueri possint. Ita enim apposite & verbum illud substantiuum (est) & nomen illud (caro) in oratione sua posuit, vt neque amplius (est) per (significat) neque (carnem) per signum aut figuram explicari queat. Quamquam igitur ea qua modo de vera verborum Christi, quibus in caena usus est, intelligentia diximus, candido lectori, abunde satis esse debeant, tanta tamen verbi Dei auctoritate illam expositionem nostram confirmabimus, vt nulla eloquentiae flumina, nulli dispu-

tationum turbines, nullae argumentorum strophae rectam fidem in ea fundamentam dimouere vnquam possint. Porro quanam sit huiusmodi auctoritas continuo dicemus. Magnae procul dubio foelicitatis res fuerit, planum aliquem scripturam locū assequi, quo alius similis, qui in controuersia est, explicari queat. Nam adepto huiusmodi loco, nulla alia interpretatione opus fuerit. Ea siquidem omnes omnium doctorum, qui in medium adduci possunt, expositiones alias, sua auctoritate longe superabit: Nonne igitur foelices admodū dicēdi erimus, si huiusmodi auctoritatē vspici nāscisci potuerimus? At verò eā amodo cōsequuti sumus? Petisne igitur, vt supradictae expositioni nostrae (qua dicebamus Christū, corpus suū in rei veritate discipulis suis exhibuisse, cum ipsis diceret, Accipite, & manducate, Hoc est corpus meū) ex scriptura sacra auctoritatē tribuamus? Sextum D. Ioan. caput diligenter reuolue, vt ibi discas, quē cibū fidelibus suis manducandū promiserit. Quod enim tūc pollicitus est discipulis in caena, ac omnibus postmodum Christianis in Eucharistia exhibuit. Vt igitur caenae verba recte intelligamus, cum promissorijs illis, quae Ioan. 6. cap. posuit cōferam? Nā vt ex promissorijs illis verbis, sententiā omnino ei simile, quā in caena Christus pronunciauit, & quae eodē plane modo significet, imò quarū vtraque idē omnino denotet, habeamus, futuri tēporis verba, in verba praesentis tēporis tantummodo cōmutanda erūt. Ibi igitur Christus ait: Ego sum panis viuus, qui de caelo descēdi. Qui manducat ex hoc pane, viuet in aeternū. Et panis, quē ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita. In caena vero panē manibus accepisse, illumque benedixisse, ac discipulis distribuisse perhibetur dicēs: Accipite, & manducate, hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur. Laboras igitur, vt quē panē, quemue cibū Christus hic Apostolis donauerit, intelligere possis? Tantūmodo opus esse dico, vt in verbis illis promissorijs, vocē hanc (dabo) quae est futuri tēporis, ad praesens tēpus reducas, ita dicēdo. Et panis, quē ego do, caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita. En iam similem omnino sententiā habes, ei, qua in caena usus est Christus, ad cuius sensum illam accommodes, necesse est. Ita autem se res habet, vt verbis



illis promissorijs, non panem aliquem terrenum, aut mortuum, sed viuum planè ac cœlestem daturum se polliceretur. Porro si quæris, quisnam sit iste panis viuus, cum, carnem suam, quæ pro mundi vita dâda erat, expresse esse dicit. Corpus ergo istud, de quo ipse hic loquitur, quod Apostolis offert, ac distribuit, cum carne illa, quam ibi promittebat, eadem planè res est. Iraque non panem mortuum, sed planè viuum illis pollicebatur. Ut igitur promissis suis constaret, clarum est, eum, panem illum terrenum, ac mortuum, in cœlestem, ac viuum panem conuertisse, vt sic Apostolis suis illum exhiberet. Iam verò quis erat iste panis viuus, nisi ipsemet corpus, ipsiusmet caro, quæ pro nobis cruci affixa est? Quæ cum ita sint, quomodo clarius nobis loqui potuisset? Aut quænam præstantior, quæne planior ad verba cœnæ interpretatio, quam per illa verba promissoria dari potuit? Hæc enim vsque adeo clara sunt, vt ostendatur, quisnam sit iste panis viuus, vt nulli omnino Tropistæ, nulli Quomodistæ, nulli Metaphoristæ sua signa, suas figuras, summe (significat) adijciendo; ea aliter exponere, aut etiam corrumpere valeant. Si quis enim experiri voluerit, vt ibi (significat) loco (est) ponat, aut signum carnis, loco carnis appingat, absurdissimè statim sensum deprehendet, qui cum illis verbis nullo prorsus modo conuenire possit. Nam si dixeris, Et panis viuus, quem ego dabo, carnem meam significat; sensus iste admodum inconueniens & absurdus est, maxime cum panis ille viuus, & caro hæc, vna, eademque res sit. Si verò dixeris, Panis, quem ego dabo est signum carnis meæ, hic sensus illo priori non minus absurdus est, vtpote per quæ vna, eademque res seipsam significare, sui que ipsius signum esse dicatur, quod quàm ridiculum sit, nemo non percipit: Denique si dixeris, Et panis viuus, quem ego dabo, carnis meæ effectus est; habes nihilominus hic aliam superioribus non minorem absurditatem. Nam hoc tantum valet, ac si diceris, Et caro mea, quam ego dabo, carnis meæ effectus est, quod valde absurdum est, quia causam dicis esse effectum. Ex quibus haud difficulter iam animaduertere potes, verba illa ad eò prudenter, ad eò solerter, ad eò

sapienter à CHRISTO esse pronuntiatâ, vt nullo modo in alium sensum conuerti possint, quàm in eum, in quo post maiores nostros, illa cœnæ verba, hoc est corpus meum, exposuimus. Hæc igitur mutua duarum harum sententiarum collatio, tantum luminis, tantumque claritatis adfert, vt sibi mutuo pro sufficienti commentario deseruire videantur. Veluti cum scire cupis, quidnam fidelibus suis Christus Ioannis 6. ca. promiserit, studiose attende, quidnam postea cum promissiones suas expleret, dixerit. Et educto, vt intelligas, quidnam ille exhiberit, sedulo expende, quidnam antè promiserit. Tunc enim deprehendes, ipsum nihil aliud, quàm carnem suam, quæ pro nobis crucifixa est, pollicitum fuisse, nec aliud in cœna Apostolis, quàm verum corpus suum, quod pro nobis mortem subiit, distribuisse. Atqui hoc vnum abunde suppetit, quo non solum omnia corda, hæreticorum disputationibus turbata sedentur, ac conuiscant, verum etiam vt omnes ad alteram, ac nephandæ eorum interpretationes, quibus tam preciosum donum nobis eripere conantur, procul reiciantur. Ceterum vt mutua huius collationis, qua scriptura scripturæ confertur, vsus planius intelligatur, esto sane, demus aduersarijs, scripturâ figurate, ac mysticè nonnunquã exponi oportere. Demus quoque, & verbū illud substantiuum (est) nonnunquam per (significat) rectè explicari. Verum nunquid semper, an aliquoties tantum scriptura sic explicanda erit? Nunquid & illud (est) vbique per (significat) an vero alicubi dumtaxat interpretari oportebit? Non equidem eos vsque ad eò perfritæ frontis esse existimo, vt semper scripturam figurate explicandam, & (est) vbique per (significat) exponendum esse censeant. Siquidem in his enunciationibus, Hic est filius meus, & verbum caro factum est; neque (est) pro (significat) accipient, neque figuram, aut Metaphoram vllam admittent. Quæro igitur ab eis, vt certam aliquam regulam nobis statuant, qua deprehendi possit, quando figura agnoscenda erit, & quando non, & vbi (est) pro (significat) & vbi non accipiendum erit. Sed quoniam ipsi & vniuersale hic matris Ecclesiæ iudicium, & communem veterum Doctorū cōsen-

sum,

sum, testimoniumque aspernatur ac respiciunt, ita vt soli scripturæ diuinæ fidem adhibendam esse velint, ideo peto, vt ex ipsamet scriptura, & non aliunde, hanc mihi regulam statuam. Quod si mihi dixerint, quia in hoc scripturæ loco, Petra erat Christus, figura est, ita quoque & in isto (hoc est corpus meum) figuram pari ratione esse agnoscendam; eorum collectionem plane sophisticam esse respondeo. Nam & ego similiter, ex eo, quod in hac propositione, verbum caro factum est, nulla subest figura, sic nec in ista (Hoc est corpus meum) nullam admittendam esse contendā: Quod si rursus contenderint, ex eo, quod in illa, Petra erat Christus, verbū (erat) pro significat accipi oportere, sic & in ista quoque (hoc est corpus meum) accipiendum esse, respondebo, quod cum in ista, (verbum caro factum est) illud verbum (est) pro (significat) accipi non potest, ita nec in ista, (hoc est corpus meum) accipi posse. Et si tertio replicent, tum denum ad tropos, ac sensum mysticum confugiendum esse contententes; quoties, aut scripturæ sensus humano ingenio incomprehensibilis fuerit, aut quoties res ipsa, de qua ibi agitur, omnem naturæ facultatem exsuperauerit, & hanc igitur, Verbum caro factum est, tropice exponendam esse respondeo. Nam huiusmodi res hic proponitur, quæ nec vllō humano ingenio comprehendī, nec vllius naturæ viribus explicari queat. Huiusmodi itaque eorum regulas, nullius ponderis, nulliusque auctoritatis esse perspicuum est. Sed quid? Nullamne igitur rationem, qua ex scriptura ipsa controuersiam hæc decidamus, inuenire poterimus? Imò plane. Modò enim ea, quam hic daturus sum, regula diligenter obseruetur, facilè hæc controuersia finiatur. Est autem huiusmodi regula: Quoties de scripturæ alicuius sensu disceptatur, de cuius materia Deum ita frequenter locutum esse comperimus, vt aliqua ipsius de eadem re profectio tandem inueniri possit, quæ neque metaphoram, neque commutationem verbi (est) in (significat) neque aliquid huiusmodi saluo integro eius sensu perferri possit, omnium aliarum eiusdem farinae scripturarum interpretationes, ad huius claritatem, quæ in alium sen-

sum rapi non potest, tanquam ad Lydium lapidem exploranda sunt, atque examinanda. Hæc regula diligenter obseruanda est, eò quod adeo generalis sit, vt nullam penitus exceptionem patiatur. Ita autem res se habet, vt in ista controuersia, quæ est de recta ipsius cœnæ Dominicæ verborum intelligentia, (quæ quidem verba aduersarij, aut per figuram, aut per commutationem verbi illius (est) in (significat) exponere volunt, ita est (inquam) vt Christus alia quodam in loco adeo clare locutus sit, vt perspicue ostenderet, quisnam ille cibus esset, quæ in cœna Apostolis suis exhibere decreuerat; vt id, quod tum dixit, aliter quàm ipsius verba sonant, exponi nequeat. Ex quo plane conficitur, hanc omnem controuersiam, ad illorum verborum, (quæ neque figuram, neque sensum vllum mysticum pati possunt) perspicuitatem, veluti ad Lydium lapidem referri, examinarique debere. Omnes proinde scripturæ alia, quæ de hac ipsa re tractant, absque metaphora, tropo, aut figura explicari debent. Quod si ita est, neque igitur ista, (hoc est corpus meum) huiusmodi expositione mystica adulteranda erit. Atqui hæc est vltima totius controuersie huius decisio plane autentica. Nam vbi comprobatur iam fuerit, verba ista (Hoc est enim corpus meum) in natiuo suo sensu absque vlla figura exponenda esse, nemo non clarissime perspiciet, quemadmodum & illa Maiorū nostrorum fidei consonet, & Maiorum fides illis æque respondeat. Hinc quoque liquet, quàm prudenter hac de materia Christus locutus sit, vt facile cuilibet erroris ansam auferret, modò attente, ac sedato animo, omnia quæ ipse hoc de argumento disseruit, legere velit. Optime enim nouerat, optime (inquam) nouerat, nonnullos exulceratissimo hoc sæculo nostro, adeò incredulos fore, vt illa ipsi verba, quibus ipse declararet, quidnam esset, quod in manibus ipse teneret, quodque in cœna discipulis suis exhibere vellet; figuris, ac signis obubrare præsumerent. Vnde non contentus, quæ ipsemet, verba illa (hoc est corpus meum) explicans, veluti per cōmētario relatiuū (quod) adiecit, dicens: Quod pro vobis tradetur, eos præuenire, eorūque presumptioni, ac temeritati occurrere voluit, ita sapiēter ita clare, ac diserte,

cum cibum illum promitteret, loquendo, ut nullum plane illis locum reliquerit, ubi signa, & figuras suas commenticias collocaret. Nam panem illum, quem ipse eis pollicebatur, viuum panem esse pronunciauit. Quæ cum ita sint, quem illis in cœna panem, nisi viuum dedit? Et vnde viuus ille panis, nisi quod ex mortuo illo pane, quem manibus accepit, sua benedictione illi impertita viuū effecit? Porro quid iam viuus ille panis erat, nisi proprium ipsius corpus, propriaque ipsius caro, quæ pro sæculi vita in mortem tradita fuit? Nunquid enim panem aliquem terrenum, ac mortuū, carnem suam nuncupasse putandus est? sed quoties panem, carnem suam esse dicit, semper de pane isto cœlesti, ac viuo, & non de alio quoquam intelligit. Ex quo satis liquet, cum in cœna diceret, (hoc est corpus meum) non panem iam mortuum, quem paulo ante in manibus acceperat, demonstrare voluisse, sed viuum illum panem, in quem mortuus ille iam conuersus erat. Hæc itaque propositio, Hoc est corpus meum, & ista, Hic panis viuus est corpus meum, eadē omnino sunt. Hoc est (vt clarius dicam) sunt plane similes, ac eiusdem omnino sensus, ita vt posterior vera sit prioris explicatio. Nam propositio ista, Hic panis mortuus, aut triticus, est corpus meum, nunquam vllō respectu, aut vlla quamuis subtili distinctione, in sensu composito vera esse potest, quemadmodum superius diximus, ac postea etiā copiosius dicturi sumus. Nam panis mortuus manens mortuus, nunquam simul & panis huiusmodi, & Christi caro esse potest. Vnde qui hic dicunt, illud pronomen (hoc) panem mortuum demonstrare, vt propositionem suam veram esse comprobent, transsubstantiationem admittere coguntur. Ex his igitur manifeste in-

telligimus, quantum luminis, illis cœnæ verbis, promissiorum verborum accōmodatio attulerit. Hinc siquidem necessariō planē pro Maiorum nostrorum fide concludimus. Nam enunciatio hæc, (hic panis viuus est caro mea) nullam prorsus aut metaphoram, aut figuram admittere potest. Ex quo plane conficitur, quod nec cœnæ verba figuratē exponi debeant. Hoc autem vnum est, quod tantopere ab aduersariis obtinere cupiebamus. At vero nunc cum tantam verborum illorum perspicuitatem mecum attentius expendo, satis equidem Sacramentarium, qui in re tam clara, tam absurde errant, cæcitatem demirari nequeo. Vnde potissima totius erroris causa, nimia fidei ipsorum remissio, atque tepiditas mihi esse videntur vtpote quæ efficiat, vt eorum mens ea Dei verba veluti cum nauſea respuat atque euomat, quæ ipsorum incredulitati, ac iudicio naturali aduersantur ac repugnant. Quō fit vt illa ad cor vsque penetrare non possint, imo si qua eō vsque forsitan penetrant, languente fidei calore, digeri cōmode nequeunt, vt causam cur ea dicta sint, recte iudicent. Hinc sane accidit, vt neque ea intelligere possint, neque nisi obiter tantummodo, & egre, ac caperata veluti fronte legerent, nullo modo ijs inhaerentes, vt morosis ijs, ea ruminent, ac sic veram ipsorum intelligentiam cōsequantur. Quocirca mirum videri non debet, si & ipsi in clarissima luce tanquā in tenebris errent, nec vllō Dei verbo, ipsorum incredulitati mederi, neque debilis, ac frigida eorum fides caleſcieri possit. Verum nunc superest, vt quemadmodum iuxta verum, ac genuinum Dei verborum sensum, quem superius asseruimus, transsubstantiatio statuenda sit, explicemus.

ACTIO

## ACTIO QVARTA

IN SACRAMENTARIOS  
HAERETICOS,

IN QVA ACTIONE PROBATVR EX PVRO, claro, & expresso Dei verbo, ipsa panis in Christi corpus conuersio, quam Transsubstantiationem recte vocauit Ecclesia; sequuta illud Cyrilli de Trinitate, Nulla dictione vt erubescam, quæ ad veritatem explicandam conducit. Demonstramus autem, impossibile esse ista Christi verba, Hoc est corpus meum, vera esse sustineri non admittenda panis in Christi corpus transsubstantiatione, quam etiam ex patribus & concilijs astruimus & fulcimus, contraria consutantes.

Admonitio ad lectorem preparandum, vt transsubstantiationis, vt loquuntur, articulum commodius intelligat.

## CAPVT LVII.



ON est dubium, quin in fide Maiorū asserenda iniquo cum aduersarijs Marte certem. Hi siquidē quos hac tempestate disceptatores, ac huius controuersiæ iudices sua fecit audacia, cum singulari impudentia, arrogantia, temeritate coniuncta; quāuis illiterati sint & idiotæ, in tantum aut cōfidentia aut incredulitatis atq; perfidia gradū euecti sunt, vt neque Ecclesiæ matri, neq; cuiquam aut veterū aut neoteri corū quantumuis eruditione doctrinaq; præstantiū, nisi quod ijs dicitur, id intelligentia consequantur atq; comprehendant, fidem adhibendam putent. Quicquid igitur intellectu consequi nequeunt, hoc incredibili audacia ac temeritate aspernantur ac respuunt, imo tanquā impium ac nefariū incognita causa cœco furore condemnant. Quæ cum ita sint, non est dubium, quin hæc iniquitas, qua præteriti huius controuersiæ iudices in tantam sui obliuionem abrepti sunt, vt iam nihil quamuis arduum ac diffi-

le, nisi quod intelligunt, credere sustineant, pro aduersariis plurimū faciat. Quid enim hoc est aliud, quam istos iudices sibi persuasisse, nihil, nisi quod ipsi intelligunt, esse verum, id est à se iā nō omnia esse intellecta, comprehensa; perspecta? Hæc igitur falsa persuasio, imō insania nobis, qui Maiorum nostrorum fidem pietatemque defendimus, portum egredientibus, quasi scopulus quidam opponitur. Qui quantum aduersarij causam adiuuat, tanto nobis obeſt. Facile siquidem error imbibitur, & sine magistro praua discuntur. Quæ cum ita sint, quis non videat, aduersarios habere quod cupiant, vt quicquid aduersus fidei nostræ summa diuinaque mysteria dicendum putauerint, id temerarijs stultisque iudicibus suis nullo negotio pro ipsa veritate persuadeat? Obscūra sunt autem, quæ fides tradit, nec intelliguntur ab omnibus; de quibus qui commode differere possit, admodum rarus est. Quid dicorarium? Imo vero nullus est, propterea quod ea mentis humanæ capacitatem transcendunt ac superant. In alijs disciplinis tradendis longe maior est æquitas. Isti siquidem egregij iudices astrologis, geometris, arithmeticis, medicis, quæ nō intelligunt, multa concedunt; ijsque fidem habent, quæ tamen si intelligere nō possunt, ea de causa minime laborant, nobiscum autem longe aliter agitur. Nā si illi, quæ dicimus, minus capiunt, si causas ipsas cur hoc aut illud fiat, non satis

Fidei mysteria obscura.

Aduersariorum in nos iniquitas.

acute percipiunt, denique si nostra oratio cum ipso Dei verbo non omni ex parte quadrare luce meridiana clarius vident, etiam si Solem ipsum gestemus in manibus, nunquam fidem nobis habebunt. Sed hæc fortasse leuora. Illud autem quale est? quàm iniquum? quàm ab omni humanitate, iustitia, ratione abhorrens, quod aduersarij à nobis vna die, imò vna hora, atque adeò vnica concione, totius fidei doctrinæque rationem audire vel volunt, vel velle se fingunt. Quod si à nobis illo puncto temporis non fit, illi procrastinandum non putant, sed statim in nos, tanquam in impios ac veritatis inimicos sententiam ferunt.

Quamquam autem id, quod illi postulant, præstaretur à nobis, nimirum vt fidei nostræ rationem paucissimis verbis explicaremus, illi tamen orationem nostram intra intelligentiæ limen nunquam admitterent. Neque enim ab ijs veritas inuestigatur, quam vt suæ libidinis ac incredulitatis inimicam, asperuantur ac frugiunt, sed cæcis erroris atque perfidiæ cõtra quam nihil audire sustinent, tenebris innoluti, malo suo gaudent. Quod autem illi à nobis momento temporis, vt ita dixerim, explicari volunt, hoc non ita celeriter arripimus, nec vno die tanquam in monte Paruaſso somniantes imbibimus, sed in pulcherrimæ veritatis studio viginti aut triginta annorum species consumpsimus. Nam illud omittõ, quod per multas academias veritatem, tanquam toto vrbe fugientem secuti sumus. Et vt eam inuestigare possemus, sub doctissimis præceptoribus mantum ferulæ sæpè subdidimus. Ita magno studio multaque sudoribus veritas constat, error autem & vitium facile sine magistro, sine labore discuntur. Et vt ait Hesiodus,

*Hesiodus.* τὴν μὲν ἀρετὴν ἀκότῃ καὶ ἰσχυρῶν ἐστὶν ἐλέσθαι  
ἐπιδίωξ, ἀλήθει μὲν ὁδοῦ, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.

*Ad errorem brevis via.* Breuis est inquit ad errorem via, nec multo sudore opus est, vt quis rectum veritatis iter deserens, falsis opinionibus implicetur, & in hæreticæ insanie barathrum deuoluantur. Veritatis autem iter arduum ac confragosum, per quod aduersarios abdicato errore ingredi nolle, minime mirum est. Quis igitur æquitatis amans, nobis vitio vertat, si istos, quam verbo Dei consentanea sit fides nostra,

*Veritatis iter arduum.*

cnius ratio tam celeriter tradi non potest, vna hora docere non possumus. Veritatem esse temporis filiam non incongrue finxit antiquitas. Exempli causa sit iste transubstantiationis articulus: quæ nullus vnquam grammaticæ, nullus dialecticæ imperitus intelliget. Illarum enim disciplinarum vocabulis hic vtendum est necessarid. Quid igitur faciet muliercula, quid negociator, aut miles, qui nunquam literas vel à limine salutauit? Quando isti huius Dominicæ sententiæ, Hoc est corpus meum, qua transubstantiatio tanquam basi nititur, vim atque rationem intelligent, qui nunquam quid sit indiuiduum, quid prædicamentum, quid identica, quid denominatiua prædicatio audierunt? Istas autem artes quando isti sciunt, qui intra vnus horule spatium à nobis omnia volunt discere? Cum igitur tanta res istorum, quibus cum nobis futura res est, imò quos indices habere cogimur, in scitiã, quis non videat, quam inique nobiscum agatur? Quis non intelligat, in quantas ob istorum iudicum imperitiã magna cum iniquitate coniunctam, contrusumus angustias? Aduersarij enim eos qui neque causæ nostræ bonitatem intra decennium intelligere possent, neque quod non intelligerent damnatos esse dubium erat, iudices habere voluerunt. ò calliditatem eximiam & malitiam singularem, eos iudices legere, qui neque velint, neque valeant de causæ nostræ qualitate cognoscere. Cui iam dubium esse possit, quin isti sint homines, quos Apostolus Iudas in nouissimis temporibus futuros esse prædixit? Hi carnem inquit maculant, dominationem autem spernunt, maiestates autem blasphemant. Hi quæcumque ignorant, blasphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Baalam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Quæ omnia sane stultis aduersariorum iudicibus eueniunt. Quicquid enim à maioribus nostris creditum isti non intelligent, hoc lacerrant atque blasphemant. Quod si ijs explices, & meridiana luce clarius ostendas, oleum perdas & operam. Longè igitur cum ijs impari conditione certamus, propterea quod hinc eorum erroris insaniam nullo

*Gen. 4. Num. 22. Num. 16.*

nullo negotio discitur, inde illorum auditores illa falsa dogmata, quæ eorum sensibus blandiuntur, libentius imbibunt, illinc suam imperitiã, quæ eos ad iudicandum de rebus adeò sublimibus atque diuinis ineptos reddit, ignorant. Ita merito anxij laboramus, quod istos ne in varios quotidie delabantur errores, retinere non possumus. Dum enim in nos tam inique agunt, vt & totam Theologiam scripturæque sacrae explicationem tam breui temporis spacio conserui velint, quod certe vnus aut alterius anni studiũ adferre non potest, & quàm facilis error sit, ad quem absque labore descenditur, animaduertere nolunt, in eodem luto hæreant, necesse est. His ita positis, æquũ beneuolumque lectorem, quæ de transubstantiatione dicturi sumus, non solũ patientius lecturum, verum etiam vt melius intelligat, elaboraturum esse confido. Mihi certe propositum est, materiam istam alioqui satis intricatam & obscuram ita plane tractare, vt exceptis paucis dialecticæ vocabulis, quibus vtendũ est necessarid, studiosus atque lector, quamuis illiteratus & idiota, nostram sententiam facile consequatur.

*De Transubstantiatione.*

CAPVT LVIII.

Transubstantiationis articulum verbi Dei auctoritate probaturi, illud in primis tanquam basim ac fundamentum immobile ponimus, hæc Christi Domini verba: Hoc est corpus meum, in literali sensu esse verissima. Proinde superuacaneum, ne dicam impium esse, hæc ita deprauare, detorquere, mutare, vt & corpus in corporis figuram, & verbum, est, in significat, conuertatur, quasi hæc sententia alioqui vera esse, sibi que nisi ad hunc modum mutata, constare non possit. Dicimus igitur, singula huius Dominicæ sententiæ verba, in sua naturali significatione sumenda esse. Hoc ita constituto, vt verborum Christi veritas constet, primum necessarid consequens esse dico, vt panis essentia conuertatur atque mutetur. Deinde nego, quicquam aliud in coena, quod ad hoc sacramentum attineat, Apostolis esse datum, nisi id quod ijs datum, verbi Dei tradit

authoritas. Tertio æquẽ nego in hac propositione, Hoc est corpus meum, vllum esse verbum, quod panem significare aut ostendere aliquo modo possit. Ex huius autem sententiæ probatione, istius articuli pendet intelligentia. Non agam obscure, vt aduersarij solent, sed ad nostram sententiam confirmandam, hoc vt argumentum. Nullum verbum est in hac Domini sententia, quod panem possit ostendere, nisi fortè pronomen, hoc: Istud autem pronomen, id absque totius sententiæ euerſione demonstrare nõ potest. Nam si hoc, panem significat, conſequens est, istam propositionem, Hoc est corpus meum, ita accipiendam esse, ac si Dominus dixisset; hic panis est corpus meum. Porro ista sententia nullo modo potest esse vera, nisi transubstantiationem admittas, atque in sensu diuino talem propositionem intelligas. Panis enim quàm diu est panis, Christi caro nunquam verè dici potest. Neque quisquam est Dialecticus, qui non intelligat, absurdissimum esse, si indiuiduum aut terminus singularis, identica prædicatione de alio quàm de seipso dicatur. Nam si indiuiduum de pluribus dicitur, iam non indiuiduum, sed prædicabile est, ac proinde sex essent prædicabilia, quod falsum est. Istud autem nomen (corpus) hoc pronomine (meum) indiuiduum ac singulare efficitur, ex quo manifestum est, Christi corpus indiuiduum esse prædicamenti substantiæ, quod neque denominatiua, neque identica prædicatione de alio, quàm de seipso dici potest. Ita corpus nihil aliud est, nisi corpus; fieri siquidem non potest, vt aut statua salis, simul sit & Sal, & vxor Loth, aut aliquis liquor eodem momento temporis vinum, & aqua sit, aut hic asinus, sit hic homo. Ne ipse quidem Deus summa veritas, vnquam efficiet, vt hæc propositiones: vxor Loth, est Sal, aqua est vinum, asinus est homo, in sensu composito veræ sint. Hæc spinosiora nonnullis forsitan videbuntur, sed ita necessarid agendum fuit, vt veritas aduersariorum strophis obscurata, reuocaretur in lucem.

Sed quoniam aliqui vsque adeò aut in suscepto errore pertinaces sunt, aut imperiti sunt, vt non absurdè dici existiment, panem, Dei virtute ac potentia, simul & panem & carnem esse posse, id omnium

mnum disciplinarum primo generali- que principio, quæ vniversalis est regula ex aminandi omnis propositionis veritatem, non solum in theologia, literisq; diuinis, sed etiam in cæteris disciplinis, perspicue falsum esse monstrabo. Quod autem est illud generale principium? Istud nimirum: De quolibet affirmatio vel negatio: & de nullo ambæ simul. Neque enim vilo modo fieri potest, vt duæ contrariæ dictiones sint simul veræ. Hæc autem prima certissimaque est indagandæ veritatis regula. Nihil autem est quod fidei Christianæ hostes tantopere velint, quam in diuinis literis contradictionem aliquam inuenire. Quod si fieri posset, rotam scripturam sacram tanquam falsam condemnare minimè dubitarent. Contrà in hoc vno vel maximè fidelium hominum, & singulari eruditione doctrinaque præstantiū elaborat industria, vt in diuinis literis exponendis, si qua inter se loca pugnare videantur, ea cõmoda interpretatione cõciliant. Nec aliud sibi volebat Apostolus, cum diceret, Nõ est in Deo, est & non. Nunquam enim spiritus veritatis, vnionis non contradictionis auctor, inter se pugnantia promulgauit. Quæ cum ita sint, non hominem, sed potius belluam dixerim, qui eiusdẽ rei affirmationem ac negationem admittit. His ita constitutis, illoque primo principio, quo nihil euidentius esse potest, demonstrato, ad reliqua hoc ordine veniamus.

Si panis manens panis, esset etiã Christi caro, consequens esset, duas contradictorias simul esse veras. Nã si panis remansit panis, utiq; mortua est, nõ viua substantia. Porro si realiter Christi caro est, non mortua, sed planè viua substantia est. Caro siquidem Christi viua substantia est. Itaque hæc duo contradictoria, viua & non viua, mortua & non mortua, simul de panis substantia dicerentur. Ex quo sequitur, pronomen, hoc, ita panis substantiam demonstrare, vt ista propositio: Hoc est corpus meum, nihil aliud significet, nisi idem ac si diceretur: Hæc substantia panis est corpus meum, id est, vt duæ cõtradiçtorix simul de vna eademque substantia prædicentur, quod absq; mendacio fieri non potest. Quis enim aded cœcus est, vt non videat cum mentiri qui vnã eandemque rem viuam &

non viuam, mortuam & non mortuam dicat? Perspicuum est igitur, eos qui in his Christi verbis, Hoc est corpus meum, istud pronomen, hoc, panis substantiam demonstrare contendunt, istud suum cõmentum atque mendacium defendere non posse, nisi duas contradictorias esse veras, ac proinde Christi verba falsa esse fateantur? Quæ cum ita sint, iure meritoque dicebam, eos qui isto pronomine, hoc, panis substantiam demonstrari asseuerant, suam defendere non posse sententiam, nisi transubstantiationem admittant, illamque Domini sententiam in sensu diuiso accipiant, quemadmodũ exponunt hæc alia Domini verba, Cæci vident, quæ nisi in sensu diuiso vera esse non possunt, vt ij qui ante cæci fuerunt, iam cæcitate deterfa videre dicantur. In sensu namque composito fieri nullo modo potest, vt cœci quàm diu cœci sunt, videant. Nam si cœci sunt, nõ vident: si vident, cœci non sunt. Ita huius propositionis: Hæc substantia panis est caro Christi, huius inquam propositionis veritas iaceat, necesse est, nisi accipiat in sensu diuiso, ad hunc modum: hæc substantia quæ fuit panis, iam Christi corpus est, conuersa nimirum mutataque substantia. Nec alia ratione huiusmodi propositiones, in quibus vna substantia de altera diuersæ speciei dicitur, vilo modo defendi possunt. Longè siquidem aliud est cum dicimus: Hic panis est albus, quàm si diceremus, Hic panis est caro. In hac enim carnis substantia de panis substantia, in illa autem accidens quoddam, & qualitas, prædicatione denominatiua de panis substantia dicitur. Quæ à nobis cõdicta sunt, vt eorum, qui has sententias: Hic calix est nouum testamentum, & Hoc est corpus meum, eodem modo exponendas esse contendunt, vel stupor, vel insignis calliditas ac malicia posset intelligi. In hac enim posteriore, pronũciatum quod de subiecto dicitur, istoque pronomine, hoc, significatur, substantia est, non accidens, in illa pronũciatum videlicet, nouum testamentum, est accidens, non substantia. Non est igitur consequens, in his Domini verbis, Hoc est corpus meum, substantia mutatio admittenda est necessariò; proinde & in illis, Hic calix est nouum testamentum, admittendam esse. Hæc si-

quidem

quidem sententiæ inter se plurimũ differunt. In hac enim vnus substantiæ, & vnus accidentis, in illa duarum substantiarum fit mentio. Quæ cum ita sint, aliter de hac, aliter de illa Christi sententia iudicandum est. Imò verò in his Christi verbis, Hic calix nouum testamentum est, transubstantiatio siue substantiæ mutatio nõ intelligi quidẽ potest, propterea quod vna tantum substantia denotatur. Quemadmodum igitur in hac propositione, Socrates est sapiens, aut in ista, Plato est doctus, nulla substantiæ mutatio intelligi potest, ita in hac: Hic calix nouum testamentum est, cum vna substantia sola ponatur, illius in alteram mutatio cogitari non potest. Longè autem aliud est cum ita dicitur: hoc siue hæc panis substantia, Christi corpus est. Id enim, nisi substantiæ mutationem admittas, in sensu cõposito nullo modo fieri potest. Nec dissimilis est ista sententia: Vxor Loth est statua salis: quæ nisi substantiarum siue *τῶν οὐσιῶν* mutationem, quam Græci significantius *ἀποποίηση* vocant, intelligas, vera esse nullo modo potest. Hæc exẽpla isti argumẽto, alioqui satis obscuro, plurimum lucis afferunt, totaque transubstantiationis materiam vehementer illustrant. Quibus ita constitutis, certas ex ijs conclusiones, quæ necessario consequuntur, inferemus, quarũ hæc prima sit. In hac Domini sententia: hoc est corpus meum, nullum est verbum, quod aliam substantiam præsentem ostendere possit, nisi corporis Christi. Illud enim pronomen, hoc, panis qui adsuit, sed esse iam desijt, essentiam demonstrare nõ potest, quemadmodum superius ostendimus. Nullum autem aliud verbum est, nulla dicitio, quæ panis demonstret essentiam. Quæ cum ita sint: ita argumentari & inferre non dubito. Cum in his Christi Domini verbis: Hoc est corpus meum, nulla dicitio substantiam panis possit ostendere, nec inter articulos fidei aliquid, nisi quod ex verbi Dei vera literalique significatione colligitur, numerandum sit, sequitur in huius angustissimi sacramenti mysterio, non nisi vnã essentia, quæ carnis aut corporis nomine signatur, esse recipiendam. Quid aduersus hæc regulam atque rationem à se præscriptã aduersarij excipient? Nõne ipsi clamant, vociferantur, ac perstreput, pro articu-

lo fidei nihil obtrudendum esse, nisi quod è literalis scripturæ sacre sensu eruitur ac probatur? Demus hoc illis, sed ita, vt se suis legibus impeditos captosq; esse perspiciant. Nam si illorum valet ratio, non est dubium, quin in augustissimo Eucharistiæ sacramento, vna solaque corporis Christi substantia adesse credenda sit. Proinde velint nolint aduersarij; substantiam panis in corporis Christi substantiam mutari fateantur necesse est. Sed antequam ad reliqua feratur oratio, illud minimè prætereundum est, cur *τὸν τῷ οὐσιῶν ἀλλοίωσιν*, hanc, inquam, essentiarũ mutationem, transubstantiationem potius, quàm aut annihilationem, aut aliud quippiam, dicendam putemus, minùs forte Latine, sed res hic, non verba quaruntur.

*Cur ista mutatio transubstantiatio potius quàm annihilatio, corruptiove dicatur.*

## CAPVT LIX.

Christianum hominem neque vano loquum, iuxta beati Pauli sententiam, neque litigiosum esse decet, ne circa ea quæ quæstiones magis, quàm fidei ædificationem adferunt, occupetur. Ab hac profecto sententia, hæretici longè absunt, quippe qui semper litigant & cõtendunt, ac propterea hic propter transubstantiationis nomen nobis magnopere indignantur, cõ quod illud (vt illi aiunt) nouum est, nec vsquam in scripturis reperitur. Fateor equidem, Ecclesiam aliquando hanc panis in Christi corpus conuersionem, simpliciter mutationem nuncupasse, neque antiquos patres hoc transubstantiationis nomine vsos esse, & hoc ided, quod nullus adhuc illo sæculo, super hac mutatione, qua panis in Domini corpus conuertitur, contentionem vllam litemque mouisset. Sed à Berengarij tempore, vt Ecclesia contra hæreticorum nouitates, quænam vera sit huius sacramenti fides clarius demonstraret, hoc nomine vti compulsã est. Primo enim in frequentissima illa Lateranensi Synodo, sub Innocentio tertio celebrata, cui plus quàm mille ducenti patres interfuerunt, communi totius Ecclesiæ consensu nomen illud

2. Tim. 2. Ad 1. 3.

illud receptum est, ut quænam antiquorum atque Orthodoxorum patrum fides fuerit, commodius exprimeretur, ac declararetur, qua solam sub hoc sacramento corporis Christi substantiam, cum panis ac vini accidentibus tantummodo esse crediderunt, quemadmodum hanc ipsorum fidem semper fuisse, illorum verbis atque sententijs inferius ostendemus. Porro friuolum est, de nomine magnopere laborare, quando sensus in tuto est, de re siquidem quæ significatur hoc nomine, inter nos convenit, quæ nihil aliud est, quam vnius substantiæ absque, vlla accidentium commutatione in aliam conversionem, quam omnino fieri debere ostendimus, ut Christi verba vera esse comprobentur. Caterum ut necessitas, ob quam hoc nomine uti cogimur, rectius intelligatur, varias rerum mutationes atque conversiones esse notemus necesse est. Prima est, quando substantia ipsa, simul & accidentia commutantur, quæ admodum in corruptione fit, quæ alterius rei generationem antecedit, veluti cum panis in hominis carnem convertitur. Ibi enim totius substantiæ panis, pariter cum accidentibus corruptio quædam fieri cernitur, ut in hominis carnem panis convertatur. Verum alia conversionis species est, quæ tum fit, cum sola accidentia, substantijs in sua rerum natura remanentibus, immutantur, quemadmodum cum aqua frigida in calidam convertitur, ibi enim solis qualitatibus commutatis substantia remanet. Tertia conversionis forma est, cum remanentibus accidentibus solæ substantiæ mutantur, veluti cum gelu aut glacies in cristallum convertitur. Ibi siquidem aquæ substantia salvis accidentibus in petram commutatur. Cristallum enim aquæ colorè atque perspicuitatem, unde factum est, adhuc retinet: Ad eundem modum conversionem panis in corpus Christi fieri dicimus, quia ibi solis substantijs commutatis accidentia remanent. Unde huiusmodi conversionem, neque panis corruptionem, neque annihilationem rectè appellare potuimus, quia in corruptione totum planè, hoc est, tam accidentia quam substantiæ corrumpuntur ac pereunt. Quocirca cum nullum proprium nomen haberemus, quo huiusmodi mutationem significarem, ne circumlo-

cutione semper utendum foret, cum de ea sermo habendus esset, Ecclesia de lingua Latine præceptis atque legibus parè sollicita, illud Transsubstantiationis nomen excogitavit. Quod sanè nomen, si quis vsq; adeò contentiosus fuerit, quod recipere nolit, eò quod in scripturis non habeatur, modo id recipiat, quod per ipsum significatur, quod in scripturis utique haberi superius ostendimus, non magnopere laboro, quo illud nomine appellari velit. Hoc tantummodo ab eo impetratum velim, ut vel tantum saltè antiquitati deferat, ne propter nescio quam novitatis præsumptionem, illam deferat. Sed hæc de nominis huius ratione modo sufficiant. Iam verò restat, ut cur huiusmodi mutatio potius quam alia quævis propria huic sacramento fit, intelligamus. Neque enim cuiquam dubium esse debet, quin id quod circa sacramentorum elementa, atque materiã agitur, in signis quadam eorum quæ circa nos fiunt, cum ea dignè suscipimus, imago sit ac representatio. Quemadmodum verbi causa, externa illa aquæ lotio, quæ circa baptizati corpus agitur, spirituales atque internas, quæ in anima per baptismi virtutem fit, lotionem representat. Sic & inter ceteros nunquam satis admirandos, quod augustissimum illud Eucharistiæ sacramentum, in nobis operatur, effectus, nostri quædam in ipsum conversio, incorporatio, ac veluti transformatio est, qua vnum cum ipso efficiamur, ut & cum ipso deificemur. Nemo ignorat quemadmodum Adam sua sorte non contentus, Dei æqualitatem sceleratè concupierit, mortis fructum comedendo, quem ei diabolus offerebat. Verum secundus Adam in alium longè meliorem statum, qui diuinitati maxime accedat, & quo ad corpus, & quo ad animam nos transformare cupit, ad quæ sanè statum ut pertingere possimus, mystica hac corporis eius manducatione, in ipsum transformamur atque convertimur; ita ut ille in nobis sit, & nos in eo, per effectum quendam ei omnino contrarium, qui per cibi corporei manducationem fieri solet, utpote per quam cibus ille in nos, non autem nos in illum transformamur aut convertimur. Non enim in hac manducatione Christus in nos, sed nos in Christum convertimur.

Atqui

Atqui hæc mirifica conversio, per substantiæ panis in Christi corpus conversioem propriè significatur. Nam quemadmodum transmutatione illa panis multo præstantiorem, nobiliorem atque excellentiorem statum ac naturam, quam antea vnquam habuerat, acquirit; ita & per huius sacramenti susceptionem, ij qui digne illud recipiunt, in longè perfectiorem, nobiliorem, excellentioremque statum transferuntur, cum vera filij Dei membra efficiuntur, ac per eam mystico eius corpori inferuntur, sic ut omnes in eo, quemadmodum omnia membra in vno corpore maneamus. Atqui hoc sanè est, quod ipsemet Christus alibi dicebat: Qui manducat meam carnem, inquit, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo; quemadmodum iam antea exposuimus. Ceterum auitæ fidei hostes nunquam ita ferè sacramenti huius mysterium expenderunt: quod factum est, ut hæc quam in eo consistemus, panis in CHRISTI corpus transsubstantiatio, ijs superflua esse videatur. At maiores nostri longè maiori cum diligentia hæc mysteria considerarunt, ac propterea rectè intellexerunt, quod quemadmodum huiusmodi panis in Christi corpus transmutationem admittere cogebatur, ut verum verbi ipsius sensum referuerent, ita nec istiusmodi transsubstantiationem superflua esse, sed potius magni mysterij signum esse intellexerunt, nepe admirabilis illius transmutationis nostræ, qua per diuinam huius sacramenti communionem, in meliorem statum transferimur. Nã quo ad panis substantiam, nihil sanè, ut ipsa in hoc sacramento remaneat, opus est, ut pote quæ nullum prorsus ibi effectum, vel operationem haberet, maxime cum visibiles accidentium species expressè satis tantumde significent, quantum panis substantia significare posset, si ipsa præsens ibi remaneret. Imò si id fieret, ipsa quod minus admirabilis nostri in Christum transmutatio, (quæ in hoc sacramento fit) significaretur, esset impedimento: Nam substantia panis à nobis comesta in nos convertitur, non autem nos in eam, unde per hoc nullo modo nos in Christum transformari significaretur, verum per ipsam mortui panis in viuam Christi carnem conversionem, commo- dius designatur. Per hoc enim, nostra, ab

illo statu mortuo, quem ab Adam contraxeramus, ad statum viuum, quem per mirificam hanc, ad carnis secundi Adæ vnionem consequimur, transmutatio significatur. Ad hæc, mirum videri non debet, quod natura panis, hic creatori suo cedat, ne diuinus iste cibus terrena, atque corruptibili aliqua materia misceretur, ut ita purè & incontaminatè de mensa Domini reciperetur, & ut mens quoque nostra, ab omnibus terrenis rebus subducta, ad magni atque ineffabilis sacramenti huius sublimitatem contemplandam atque adorandam transferatur. En habes quemadmodum transsubstantiatio à maioribus nostris approbata; super vero atque germano verbi DEI sensu fundata sit, unde nec vana, nec superflua, sed maxime necessaria est, qua sacramenti huius operationes atque effectus represententur. Ceterum priusquam veterum patrum tam Græcorum quam Latinorum pro transsubstantiationis huius confirmatione testimonia in medium profertamus, operæ precium facturum me iudicavi, si eas, quibus aduersarij hanc oppugnare solent, rationes atque argumenta refutauero.

*Ad hæreticorum argumenta, quibus ipsi ex quibusdam scriptura locis transsubstantiationem oppugnant, responsio.*

#### CAPVT LX.

**E**X ijs quæ hæcenus diximus liquido apparet, quanta maiorum nostrorum diligentia fuerit, ut verum atque genuinum verbi Dei sensum consequerentur. Nam ut quod verum est, ingenuè dicam, ego plus millies, ea Dei verba legi, ac relegi, quibus transsubstantiatio innititur, priusquam verum atque solidum ipsius fundamentum intelligerem, donec in illis explicandis, Dialecticas tandem leges atque præcepta accommodarè, quibus adhibitis, verum tandem illorum sensum comperi, ita ut ad vltimam illam certitudinè penetrarim, quæ ab vilo vnquam humano ingenio hic desiderari posset. Quæ profectò res non solum hoc effecit, ut incredibilem matris Ecclesiæ sapientiã, atq; profundissimam antiquorum doctorum

P cruditi-

quoditionem satis admirari nequirem, verum vt quàm parum vniùs tantum hominis intellectus ad plenariam atque cõsummatam diuinarum literarum cognitionem consequendam idoneus sit, me docuit; & quantum illi proinde aberrant, qui cum semel atque iterum aliquem scripturæ locum oscitanter forsitan legerint, perfectam eius intelligentiam, se statim percepisse arbitrantur. Vnde idem mihi hic contigit, quod Plutarchus ijs aliquando accidisse refert, qui famosissimi illius Geometræ Archimedis sæculo floruerunt, qui cum nonnullas Geometricarum propositionum demonstrationes (quas nunquam inueniri posse illi arbitrabantur) tanta dexteritate, tantasque facilitate deliniare viderent, vt nemo esset, qui eas non intelligeret, tam faciles huiuscemodi demonstrationes, nunquam antea ab ipsis repertas fuisse, magnoperè mirabantur. Ita & ego sanè demiror, quod cum toties canæ dominicæ verba legerim, tam apertam atque perspicuam transsubstantiationis demonstrationem, quàm euidentem ea est, quam superius, ex vero ac literalibus verborum CHRISTI sensu exposui, antea nunquam inuenire potuerim: quæ talis profectò est, vt mihi omninò satisfaciatur, meque de transsubstantiationis articulo planè securum reddat; quem vt ex scripturis probarent, plurimos equidem insigniter etiam doctos viros magnoperè intricatos vidi, quemadmodum & ego ipse etiam fuisset, si ab hinc septem aut octo annis, vt illum enuclearem, compulsus fuisset. Ceterum ab eo tempore, quo indagandæ veritatis artem, ad discutiendum germanum verbi Dei sensum accommodare cœpi, rationem ac viam tandem reperi, qua ad eum pertingerem, ac probationes demonstratiuas, vt maiorum nostrorum fidem tuerer, super illum stabilirem, quemadmodum ex hac transsubstantiationis probatione liquet, quam ex vniuersali hac propositione ac primo principio collegimus: De quolibet affirmatio & negatio, & de nullo ambæ simul, cum illud verbo Dei quemadmodum decuit applicuimus, vt illarum interpretationū, quæ ei affinguntur, veritatem, atque falsitatem discuteremus. Id quod idcò dixerim, vt nouerit quisque certam quandam artē

esse, qua & ad germanam scripturarum intelligentiam perueniatur, & de legitima ipsarum interpretatione rectè iudicari possit, quæ diligenter obseruata, mirum dictu, quantam eorum qui veritatem inquirunt, mentibus lucem adferat; vbi alij interim qui huius expertes sunt, varijs opinionum tenebris inuoluti, sese ex illis controuersijs extricare nō possunt. Quæ cum ita sint, nos eam qua hac in re vti consueuimus, artem suo tempore, si Dominus vitam dederit, in lucem emissuros esse confidimus, idque partim vt alijs eam communicemus, partim vt non paucis amicis meis egregiè doctis, qui quotidiano (vt ita dixerim) conuicio à me illud efflagitant, satisfaciam. Ceterum vt vnde digressa est nostra reuertatur oratio, obiectiones quas maiorum nostrorum aduersarij transsubstantiationi opponunt, vanas prorsus, vbi arte diligenter discussa, earumque fallacia in medium prolata fuerint, nulliusque nomen esse perspicuum est. Illi proinde hæc scripturæ loca, vt plurimum nobis obijcere consueverunt: Petra erat Christus, Ecce agnus Dei, Ioannes est Elias, Agnus est pascha, Ista est Hierusalem. Quibus ex proprio cerebro suo ea addunt, quæ sequuntur: Arca est Dei præsentia, Circuncisio est foedus, Sacrificia expiationes sunt peccatorum. Quæ profectò scripturæ propositiones non sunt. Hæc quoque Christi verba citant, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Ex quibus omnibus generaliter sic argumenta sua colligunt. In omnibus iam citatis propositionibus, nulla prorsus est transsubstantiatio, sed per similitudinem omnes exponendæ sunt, & vbi que verbum (est) pro (significat) sumitur: nec in hac igitur propositione, (Hoc est corpus meum) transsubstantiatio vlla erit: sed in ea quoque verbum (est) pro (significat) accipitur. En eorum argumentum habes, in Enthymematis seu Inductionis formam redactum. Nunc reliquum est, vt sciamus, vtrum illud necessaridò concludat, nec ne? Quod vt commodius intelligatur, notandum est, vt quis erroris conuinci possit, cum scriptura eius contrarium expresse non dicit, quod errorem esse comprobare volumus, eiusmodi argumentum sumi oportere, quod aliunde ex scriptura aliqua

necessa-

necessaridò concludat. Si enim argumentum fuerit sophisticum, nihili pendendum erit, neque per illud sententia vlla aduersus eum, quem erroris arguimus, decerni poterit. Eodem quoque modo vt nouella aliqua religio recēs erigatur, ac stabiliatur, si nullum expressum sit DE I verbum, super quod illa fundari possit, adeò clara esse debent argumenta, super quæ illa stabiliatur, vt suo lumine ipsum etiam Solem longè superet. Nam fides (quæ certa rerum diuinarum cognitio est) non nisi rebus certis, ac omninò necessarijs inniti potest. Quippe super humanas inuentiones, coniecturas, imaginationes, nulla religio, nullus fidei articulus fundari potest. Nemo qui quidnam fides sit, rectè perspectum habuerit, hoc mihi (scio) negare poterit. Atqui iam nullus est in tota scriptura locus, qui vilo modo dicat illud verbum (est) in hac enunciatione (Hoc est corpus meum) pro esse accipi non debere. Neque verò vllus locus est, qui illud pro (significat) aut corpus pro effectu vel figura corporis sumi oportere pronunciet. Consequitur proinde, vt is qui pro religionis suæ fundamentò sternere vult, nos in sacro sancto Eucharistiæ sacramentò, Christi corpus non habere, sed eius tantummodo effectum, aut quod verbum istud (est) non pro (esse) sed pro significat accipi debeat, consequens in quæ est, vt id totum certis atque necessarijs omnino argumentis, & non coniecturis aut sophismatibus quibusdam probet. Omnia autem quæ aduersarij, ex locis superius citatis argumenta colligunt, nihil aliud quam mera sophismata esse audacter dixerim. Quocirca nihil inde contra nos, quo erroris nos arguant; neque pro seipsis, vt nouellam religionem suam firmiter stabiliant; necessaridò concludere possunt. Verum nunc restat, vt subsumptionem nostram, seu propositionem minorem quæ est hæc, (Omnia aduersariorum argumenta sophismata sunt) comprobemus. Id quod cuiuslibet facile persuaserim, qui quid bonum sit Enthymema, aut bona Inductio rectè cognouerit. Voces istæ dialecticæ quidem sunt, quas tamen intelligere, & quibus vt, quilibet peritus disputator debet, nisi inter disputandum falli ac omninò decipi velit. Alioqui si quis

cas non intelligat, vel ijs rectè vti nesciat, consultius fuerit, vt disputationi cedat. Nos interim eas omnibus intelligibiles reddere conabimur. Nos itaque eorum inductionem vitiosam esse, neque quicquam valere dicimus, quod ab insufficienti singularium enumeratione procedat. Similiter & eorum Enthymema vitiosum esse pronunciamus; quod nulli veræ propositioni vniuersali innitatur. His duabus rationibus, omnibus, qui vel saltem mediocriter dialecticis imbuti fuerint, eorum argumenta sophistica, atque fallacijs plena esse, haud difficulter ostendam. Sic enim alioqui colligere deberent. In istis scripturæ locis, Petra erat CHRISTVS, & hic calix est nouum testamentum, atque in omnibus alijs his similibus, verbum (est), pro (significat) accipi debet; igitur & in isto; Hoc est corpus meum, eodem modo planè sumendum erit. Hæc argumentandi ratio optima sanè est, sed quia vniuersalis illa propositio, (quæ in omnibus alijs scripturæ locis verbum (est) simili modo sumi debere dicit) falsa est; idcirco nec ipsa conclusio quicquam valet. Nam neque in ista propositione, Verbum caro factum est: neque in ista, Hic est filius meus: neque in ista, Verè filius Dei erat iste; neque in ista, Christus mortuus est: neque in alijs similibus propemodum infinitis, verbum (est) vilo modo pro (significat) sed pro (esse) tantummodo accipi potest. Ex quo efficitur, non vbi que scripturarum, verbum illud pro (significat) sumi, quemadmodum concludere nituntur aduersarij, eorum igitur argumenta sophistica sunt. Ipsi proinde neque nos erroris conuincere, neque nouellam religionem suam (quæ realem corporis Dominici in altaris sacramentò præsentiam negat) super vlla, quæ ipsi superius cõtra nos citarunt, Dei verba fundare possunt, neque vero vlla alia solidiora, super quæ illam stabiliant, in medium producere valent. Quare omninò sequitur, eam ipsorum religionem planè vanam, incertam, ac vacillantem esse. Nam vt ijs, verbi gratia, concedamus, eorum fidem super huiuscemodi argumentis pacificè esse fundatam, eaque tanquam valida & rectè pro ipsis cõcludentia vel le defendere, fingamus inquam hoc ita

esse, verum quid tunc (quæso) dicent, cum alia quædam ipsorum argumentis, in forma omnino similia cōfecero, quibus ipsorum religionem ac fidem funditus euertam, ac iubarum? Atqui hoc facile sanè fecero, argumentando hoc modo, In his scripturæ locis: Verbum caro factum est, Christus est mortuus, Christus à mortuis resurrexit, Christus ascēdit in coelum, CHRISTVS sedet ad dexteram patris, Christus ex virgine est natus, Christus est filius Dei: in istis (inquam) propositionibus, verbum (est) pro (esse), & non pro significat accipi debet: igitur & in istis, Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, eodem plane modo accipiendum erit. En vides hoc argumentum nostrum, illorum omnino simile, directè contra eos, ac pro nobis concludere. Aut igitur illorum argumentum sophisticum esse, ac perperam concludere, aut certè nostrum non minus atque suum validum esse fateantur, necesse est. Quod si vtrunque legitimum esse concesserint, liquidò cōsequitur, duas contradictorias ex eadem argumentandi formula concludi posse, quod ex diametro aduersus hoc primum principium repugnat, De quolibet affirmatio & negatio, & de nullo ambæ simul. Hinc igitur eorum argumenta, cum arte examinantur, nihil aliud nisi sophismata esse perspicuum est. Nōne igitur res vehementer deploranda est, imò omni lachrymarum fonte plangenda, istos vsque aded excæcatos esse, vt super huiuscemodi sophisticis illationibus religionem suam, (quam veluti omnium optimè reformatam, puram, sinceram, ac omnino diuinitus illatam ipsi iactant) fundare velint? Nōne magnopere dolendum est, eos simplices Christianos sic miserè fallere, decipere, ac à maiorum suorum fide auertere? Atqui ego certe capitis mei periculo certare auisim, eos iam dictis meliora argumenta, quibus nouellam hanc fidem suam comprobent, in medium adferre non posse. In primis siquidem nullum expressum Dei verbum vel scripturæ locum proferent, vbi istud verbum (est) pro (significare) vel corpus pro figura, signo, aut effectu corporis, in hac propositione (Hoc est corpus meum) accipiendum esse dicatur. Secundo nullum lo-

cum habent, qui nullam hic transsubstantiationem esse dicat. Paucis, nulla penitus nisi sophistica atque coniecturalia hæc argumenta proferre queunt. Nōne ingens proinde abusus? Nōne magnus error est, sic rudibus Christianis, pro expresso Dei verbo, ac nouæ religionis fundamento, huiuscemodi sophisticas conclusiones obtrudere? Ceterum vt hæc ad transsubstantiationem nostrā accommodemus, dico omnes eorum obiectiones nihil omnino ad eam subruendam concludere, quia transsubstantiationis fundamentum in eo consistit, quod verbum (est) in illa CHRISTI propositione, Hoc est corpus meum, pro (esse), & corpus pro vera ipsius carne accipiatur, quemadmodum pluribus iam ante rationibus luculenter ostendimus. Omnia verò argumenta quæ illi ex scripturis superius citatis colligunt, nihil prorsus ad hanc interpretationem nostram subruendam rectè inferunt, quò fit, vt ipsa non obstantibus illis, in sua integritate permaneat, quandoquidem nec validiora ad eam euertendam ipsi inuenire possunt. Quæ cum ita sint, quemlibet Christianum lectorem pramoneo, vt si pietas, iustitia, fides, ei cordi est, magnopere caueat, ne aut maiorum suorum fidem temerè improvideque cōdemnet; aut nouellas aduersariorum opiniones approbet, donec eas rationes atque argumenta in medium i protulerint, quæ & pro ipsis & contra nos concludant necessariò. Quid hac postulatione iustus? Ita si quis argumentis vsq; aded inualidis ac futilibus motus, maiores suos cōdemnare, aut eorum fidem, propter falsas istorum opiniones abiurare præsumpserit, ab eius sententia tanquam vehementer erronea appellabo, vt nisi patienter, prudenterque expectauerit, donec solidioribus ista rationibus, atq; clarioribus testimonijs ei demonstrarentur: eum tanquã erroris cupidum, & qui ad interitum cōcitus currat ac propevet, exclamabo. Ceterum ex ijs q̄ diximus animaduerte, quantum profuerit, arte ipsam, ad argumentandi rationem qua hodie vtuntur aduersarij, admouere. Refutata igitur eorum argumentandi forma, sequitur vt ad argumentorum ipsorum materiã respōdeamus, vt ita pius lector integrã & solidã quæstionis ac difficultatis huius resolutionem habeat.

R.

*Responsio ad materiam argumentorum, qua aduersarij contra transsubstantiationem obijciunt.*

## CAPVT LXI.

ITA natura comparatum est, vt humanus animus circa veritatis inquisitionem occupatus, nunquam plene quiescat, donec ad vltimū certitudinis gradū perueniat, cuius certitudinis vigor, maximè ex testimoniis firmitate consistit, ita vt quanto clariora fuerint testimonia, tanto certior atque euidentior fidem reddant. Certam est autem, testimonia obscura, dubia, incerta, nullam prorsus certitudinem quæ desiderio nostro (quo veritatem naturaliter discere cupimus) satisfaciatur, adferre posse. Vnde omnis vera certaque cognitio; clara, firma, perspicua testimonia desiderat.

Eides autem nostra cum certa sit rerum, quæ ad salutem nostram necessariæ sunt, cognitio; certa profecto esse non posset, nisi firmis atque euidentibus testimonijs niteretur. Quæri verò potest, vnde vltimus certitudinis fidei nostræ gradus accipiatur, quo adepti, humana mens plenè quiescat, ac sibi omnino satisfactum existimat. Id profecto rectè intelligamus necesse est, vt plenam huius de sacramento Eucharistiæ resolutionem habeamus. Notandum est igitur, quod quemadmodum vltimus certitudinis cuiusque artis, aut scientiæ gradus, ex euidentia primarum scientiæ, aut artis illius propositionum sumitur, quæ primæ veritates aut prima principia vocantur; sic & fides nostra vltimam firmitatem, atque certitudinem suam ex verbi Dei euidentia sumit. Hoc enim nobis in materia fidei, est verbum DEI quod philosophis in humanioribus disciplinis, prima principia, primæque veritates. Et quemadmodum horum principiorum euidentia ac certitudo non aliunde, quam ex legitima vocum, quibus constant, in naturali significatione sua, acceptarum, intelligentia sumitur, sic & vera verborum DEI, quibus fides constat euidentia, non aliunde, quam ex recta naturalis significationis ipsorum intelligentia accipi debet. Vnde quemadmodum in illis principijs elucidan-

dis, nulla expositio mystica adhiberi solet, propterea quod nulla ibi vox ambigua collocatur, quin ipsius ambiguitas explicetur; ita & in ijs diuinarum literarum sententijs, quibus tanquam basi fidei Catholice innituntur articuli, nulla penitus mystica, figurata, ambigua interpretatio adferenda est: alioqui fidei nostræ euidentia atque certitudo euacuaretur, ac è medio tolleretur, quia huiusmodi certitudo nunquam ex sensus figurati aut mystici incertitudine, atque ambiguitate sumi potest. Vt enim lumen à tenebris non oritur; ita incertitudo nunquam certitudinem gignere potest. Quò fit vt sequens conclusio, non secus atque mathematica quædam demonstratio, omnino necessaria sit: Fides certa est veritatis cognitio, Non igitur super alio quam super principiorum suorum (quæ sunt verba Dei) genuino ac literalis sensu fundatur. Hanc conclusionem simulatque quis negauerit, fidei quoque nostræ certitudinem negabit. Nam vt ad veram rei alicuius certitudinem perueniamus, certum aliquod principium statuatur, necesse est, vltra quod nihil amplius petere liceat. Alioqui in veritatis inuestigatione progressio in infinitum esset, tantaque in rebus fidei confusio existeret, vt quidnam certo credere deberemus, prorsus esset incertum. Nam si omnia scripturæ loca, quæ pro fidei nostræ confirmatione proferuntur, per figuram indifferenter exponi patiamur: nunquam certum ac stabile ipsius fidei fundamentum reperiemus. Ità fides Christiana nihil aliud erit, quam aliqua Babylon, ac mera confusio. Vnde generalem hanc regulam tanquam primum principium, ac veram legitime scripturas exponendi artem, statuo. Omnia scripturæ loca, quibus fidei nostræ articuli innituntur, literaliter, iuxta natiuam vocum significantiam exponenda sunt. Regulam hanc in principio libri huius, Diui Augustini, ac Hieronymi testimonio cōprobauit. Porro nunc cum vltimam huius controuersiæ determinationem, ex recta istius generalis regulæ intelligentia pēdere intelligam, eam non abs re hic repetendam putavi, vt ei demonstrationem (quam Dialectici à priori vocant) tribuerem, quò cōmodius ad eam recipiendam,

P 3 quem-

quemlibet æquum lectorem adducere, ac ut ita dixerim cogere, utpote quã in perquirenda veritate sedulo sequi debeat, & ad quam veluti ad Lydium lapidem huius controuersie negotium examinari oporteat. Hanc autem regulam omnino sine controuersia recipendam esse, nullo negotio doceri potest. Quæram enim ab eo, qui eam recipendam mihi negauerit, utrum omnia scripturæ loca literaliter an verò mysticè & figuratè exponenda sint, an verò quædam literaliter, quædam autem mysticè ac figuratè interpretanda sint? Quod si is aliquo rationis iudicio præditus est: ex his tribus vltimum mihi cõcedat necesse est. Quo concessio rursus quæram ab eo, num certa aliqua ratio sit, qua cognosci queat, quando scriptura literaliter, & quando non explicari debeat? Quod si aliquam huiuscemodi artem esse concesserit, ab eo exigam, ut illam mihi tradat. Et si nõ eam, quam huius libri initio exposui, ac nunc iterum repero, mihi adferre potuerit, paratus sum hic dextram porrigere. Quod si nullam huiuscemodi rationem esse dixerint, dicam eum detestandã quãdam totiùs fidei nostræ confusionẽ atq; incertitudinem statuere. Nam cum fides nostrã à vera ac legitima verbi Dei intelligentia pendeat, si eius expositio incerta fuerit, ita ut certo nesciri possit, quando illud literaliter, & quando non interpretari debeat, quid nostra fide infirmus? quid incertus? Miserrima proinde, longeq; deploratissima erit conditio nostra, si ita res se habet, ut nullam earũ rerum, quæ ad salutem nostram necessariæ sunt, cognitionem certã habere possimus: Adde quod & sic scriptura omnino vana, inutilis ac perniciosa esset, nimirum quæ non nisi disputationum, controuersiarum, diuisionum, ac discordiarum fomitem subministraret. Quæ omnia inter nos quotidie orientur, ac emergerent, quod vnus scripturam literaliter, alius verò mysticè, aut figuratè explicandam esse contenderet. Ita illa Christianis perniciosa potius quam utilis foret. Vnde duas quas hic subiiciemus, illationes omnino necessarias esse comperi. Prior est hæc: Scriptura sacra Christianis utilis est: ea igitur literaliter exponenda, cum aliquid docet, quod ut salutem consequamur, necessario scire, credere, aut fa-

tere debemus. Posterior: Fides certa est veritatis ad salutem necessariæ cognitio: Ille igitur scripturarum sententias quibus ea innitur, literaliter exponenda sunt. Conclusiones istæ non minus veræ sunt, quàm earum antecedentia. Neque vero vlla alia, præter eam quam hic tradimus, ratio inueniri potest, qua per scripturas ad vltimam fidei nostræ certitudinem pertingamus. Notanter dixi per scripturas, quia nos qui Ecclesiam scriptura priorem esse credimus, tanquam eam, quæ primam verè diuinam scripturarum cognitionem nobis impartita est, sequimur; & ab illa veram illarum intelligentiam accipimus. Verum in hac aduersus hostes nostros, qui Ecclesiæ auctoritatem spernunt & illudunt, nec aliuunde quàm ex claris & apertis sacre scripturæ locis conuinci volunt, in hac, inquam, fidei nostræ defensione, & disputatione nulla alia consummata, & vltima per scripturam, fidei nostræ certitudo haberi potest: nisi ea quam hic proponimus. Quæ spreta ac neglecta, non nisi horribilis quaedam inter nos confusio, iurgia, contentiones, ac totiùs fidei nostræ omniumque principiorũ eius (quod detestabilis est) subuersio nasceretur. Veniamus iam ad prædictas aduersariorum obiectiones, artemque superius à nobis expositam applicemus. Vbi pium lectorem serio admonitum velim, ut secum diligenter expendat, cur in locis ab aduersario citatis, scriptura iuxta eius opinionem semper figurate, in locis autẽ à nobis prolatis, ea vbique literaliter exponatur. Hoc enim diligenter considerato, statim clarè perspiciet ex modo argumentandi quo aduersarij vtuntur, nihil omnino certi posse cõsequi. Sic enim ipsi colligunt: In hoc Dei verbo, Petra erat Christus, verbum (erat) pro significare sumitur; & in isto igitur, Hoc est corpus meum, illud verbum (est) pro significare similiter accipietur. Ego verò scripturam aliam ad hunc modum allego: In hoc Dei verbo, Verbum caro factum est, verbum (est) pro (esse), & non pro significare sumitur. Ergo & in isto, Hoc est corpus meum, verbum (est) pro (esse) & non pro significare sumetur. Vides vtrumque ex scripturis similes colligendi rationes esse. Cur illorum igitur argumentis potius quam nostris, te persuaderi poteris,

ticis, præsertim cum non minus solidũ, atque ipsi ex scripturis fundamentum habeamus? Cæterum ponamus & aliud exemplum: Ipsi ergo sic iterum argumentantur. In ista, inquit, oratione, Ego sum vitis vera, Christus per similitudinẽ loquebatur; & in hac igitur, Caro mea verè est cibus, ipse per similitudinẽ loquitur. At ego eadem prorsus argumentandi ratione obseruata, sic contra eos inferã. In hac oratione, Ego sum Iesus Nazarenus; Christus per similitudinẽ non loquebatur; nec in ista proinde, Caro mea verè est cibus, per similitudinẽ locutus est. Vides vtrumq; scripturam citari, ac eandem prorsus argumentationis formulam obseruari: qui sit igitur, ut conclusiones inter se pugnet sintque contrariæ? Id profectò non aliud, quam ex argumentorum fallacijs atque sophismatibus contingere certissimum est. Liquido autem constat, in omnibus locis à nobis hic citatis, scripturam literaliter accipi oportere; sed in quibusdam ab aduersario prolatis figurate & per similitudinẽ explicandam esse. Quo igitur modo, quæ ratione de hac tota controuersia certo & irrefragabiliter iudicabimus? Nam si aduersarij scripturæ verba proponunt, eadem mea causa est, hæc siquidem ego quoque allego. Si argumenta sua solida esse affirmauerint; ego mea ipsorum argumentis omnino similia esse contendam. Si mihi obieceris manifestum esse, nonnulla, quæ ipsi adferunt, scripturæ loca per figuram ac similitudinẽ exponenda esse, à me audies; ea quæ ego protuli citra contentionẽ vllam literaliter ac sine figuris sumi oportere. Itã si pro illis quædam scripturæ loca protuleris, ego pro me multò plura producam. Proinde contentiosum finẽ trahentes, nullum litigandi finem reperiemus. Vnde igitur solidam rei huius resolutionem, atque vltimam certitudinẽ hauries, ut à quorum parte stet veritas, rectè valeas iudicare? Qui sit enim ut in omnibus istis enunciationibus, Verbum caro factum est, Christus ex virgine natus est, Christus est mortuus, est sepultus, est à mortuis excitatus. Christus est filius Dei viui, Christus est Messias, Christus est redemptor noster, qui sit (inquam) ut in istis locis, verbum (est) pro (esse) potius accipiat, quam in illis, quæ aduersarij

protulerunt? Nullam certè rei huius rationem aliam adferre potes, nisi quod hæc à nobis prolata loca de fidei articulis tractent, qui germana vtique ac literaliter scripturæ sensui innituntur, in aduersariorum autem locis fidei articuli non ex proposito docentur; sed eorum tantummodo rationes & causæ varijs similitudinibus, & figuris exponuntur. Quibus ita constitutis, non modò facile iam fuerit aduersariorum argumentis respondere, verum etiam ostendere, cur eorũ argumenta prorsus infirma sint, nostra autem solida planeque talia, quæ necessario concludunt. Ut ea igitur quæ dicimus, simplicioribus atque rudioribus adhuc ingenijs, quibus potissimum hic noster labor consulit, familiarius explicemus, eorum argumenta repetamus. Sic igitur illi argumentari solent. In hac propositione, Petra erat Christus, verbum (erat) pro significare, sumitur, igitur & in ista, Hoc est corpus meum, eodem planè modo accipiendum est. Huic illationi ita respondeo: Antecedens nunc equidẽ prætermitto (nam alibi illud verum nõ esse, Dei beneficio docebimus) sed consequentiam nego. Non enim rectè concludit, propterea quod istæ duæ propositiones sibi similes non sunt. Hac enim de quodam fidei nostræ articulo agit; illa minime. Quocirca si huiuscemodi cõsequentia, tanquam legitima vobis concederetur, sic sanè plurimos fidei nostræ articulos subruere, & ad tropos nescio quos, & allegorias (quemadmodum & in cœnæ articulo facere conamini) reuocare posses. Hoc enim concessio; corpus videlicet in hac enunciatione, Hoc est corpus meum, pro corporis figura, vel (est) pro, significat, accipiendum esse, vltimum tum absque vllò prorsus impedimento, ad aliorum articulorum euerisionem, vestra progredere audacia, isto modo. In hoc scripturæ loco, Hoc est corpus meum, corpus pro figura corporis accipitur, igitur & in isto, verbum caro factum est, vox (caro) pro carnis figura, & non pro verã ac naturali carne sumetur. Ita sane pro Marcione faceretis, qui Christum non veram carnem, sed corpus phantasticum, & carnis tantum figuram habuisse pronunciat. Atque ita deinceps procedendo, eadẽ omnino ratione, reliquos fidei nostræ articulos sub-



uertetis, hoc modo: In hac enunciatio-  
ne, Hoc est corpus meum, spiritualiter &  
non realiter, de vero Christi corpore ser-  
monem fieri, intelligendum est, igitur &  
in omnibus istis: Christus de virgine na-  
tus est, mortuus est, crucifixus est, sepul-  
tus est, resuscitatus est, ascendit in coelū,  
sedet ad dexteram patris, Christus est fi-  
lius Dei. Vt in omnibus (inquam) istis  
propositionibus quicquid de Christo di-  
citur, spiritualiter & non realiter intelli-  
gendum est, ita ut ex consequenti dicen-  
dum foret, ipsum non nisi spiritualiter  
ex virgine natum esse, Non nisi spiritua-  
liter, & non realiter crucifixum mortuū,  
resuscitatum, ascendisse in coelum, ac  
Dei filium esse. Vides (ni vehementer  
fallor) omnes huiusmodi consequen-  
tias ex primo aduersariorum argumen-  
to, si illud tanquam validum conceda-  
tur, necessariò consequi. Quæ cum ita  
sunt, amice lector, à te peto, si tibi tuā sa-  
lus cordi est, ut hanc aduersariorum ar-  
gumentationem diligenter attendas. Nā  
si diabolus id semel efficere potuerit, ut  
illorum argumenta tanquam legitima  
ac rectè concludentia recipiantur; ma-  
gnam profecto religioni nostræ labefa-  
ctationem adferet, amplamque ianuam  
aperiet, qua reliquos fidei Christianæ ar-  
ticulos (qui in munitissima Ecclesia ar-  
ce conseruantur) inuadat, iugulet, ac fun-  
ditus subruat. Proinde minimè miran-  
dum est, si in his aduersariorum argumē-  
tis resellendis tantoperè laboremus. Nec  
enim agitur hic de lana caprina. Quare  
hæc mihi non leuiter prætereunda vidē-  
tur. Nec mihi dubium est, quin illi cum  
hæc argumenta defendere, nostrisque ra-  
tionibus respondere non possint, ad cō-  
uicia suo more confugiant, meq; sophis-  
tam esse clament. Verū hoc æqui pru-  
dentisq; lectoris iudicio relinquo, num  
illi potius sophistæ dicendi sint, quos in  
tanti momenti negotio huiusmodi  
sophismata palam coram toto mundo  
proferre non pudeat, idque partim ut  
inexpugnabilem maiorum nostrorum  
fidem euertant, partim ut ruinosum no-  
uellæ religionis suæ, (quam falsò refor-  
matam appellant) fundamentum collo-  
cent. Itaque si me sophistam dixerint,  
propterea quod eorum sophismata sic  
euentilauerim, contumeliam hanc ita  
inter me & eos diuidam, ut nos vtrinq;

sophistas esse confitear, illos quod so-  
phismatibus vtantur, me quod illorum  
technas, dolos, argutias, sophismata de-  
tegens, orbi spectanda proponam. Quod  
multis sane de causis mihi faciendum  
fuit. Primo ut perfectam quandam ca-  
rum, quas ipsi nobis obijciunt, argumen-  
tationum resolutionem darem, vltimā-  
que falsitatis illarum certitudinem tan-  
quam in speculo cunctis spectandam ex-  
ponerem. Deinde ut summam atque in-  
expugnabilem fidei maiorum nostrorū  
veritatem, illorum sophismatis atque  
mendacijs opponerem. Ad extremum  
ut quinam ex nobis aut solidiori fidei  
Christianæ fundamēto nitantur, aut Dei  
verbo potius fulciantur, perspicuum es-  
se posset. Cæterum ut ad id vnde digressa  
est nostra reuertatur oratio; facile iam  
(ni vehementer fallor) animaduertis, in  
quo argumentationis hæreticæ vicia de-  
prehendantur, in eo nimirum, quod à  
dissimilibus pro similibus argumēta du-  
cunt. Ea proinde hic fallacia vtuntur,  
quam Dialectici vocant, A non simili-  
bus pro similibus argumentari: Illi si qui-  
dem aliquam scripturæ sententiam, quæ  
pro articulorum fidei fundamēto non  
ponitur, pro illius, quæ pro earum rerū  
fundamēto constituitur, simili, vsur-  
pant. Quod si à nobis discere volueris,  
quando de his fidei articulis scriptura  
pronunciet, paucis (quantum ad præsens  
institutum attinet) accipe. Vbicumque  
aliquam remissionis peccatorum aut vi-  
tæ æternæ promissionem; aut sempiternæ  
mortis comminationem; aut sacra-  
menti alicuius ad salutem necessarij in-  
stitutionem; aut aliquam deniq; de Chri-  
sti incarnatione, natiuitate, morte, resur-  
rectione, historiam inueneris, in ijs, in-  
quam, omnibus alijsque similibus scri-  
pturæ locis, scito de fidei articulis expre-  
sse agi, ac illa proinde literaliter exponē-  
da esse. His ergo, si à constitutis, restat ut  
de argumētorum nostrorū bonitate, ac  
soliditate, aliquid nunc dicamus, quæ ta-  
met si aduersariorum argumentis admo-  
dum similia videbantur, longè tamen  
dissimilia esse monstrabimus, modo  
ea, quæ hæcenus, & bene intelli-  
gantur, & memoriæ fixa  
teneantur.

(:)

De

*De argumentorum nostrorum bonitate, ad  
maiorum nostrorum fidem confirmandam,  
deq; incerto ac debili nouæ religionis  
(quæ falsò reformata dicitur)  
fundamento.*

CAPVT LXII.

**A**rgumenta, quæ superius, pro Ma-  
iorum nostrorum fide colligeba-  
bamus, ut hæc Christi verba, Hoc est cor-  
pus meum, & hic est sanguis meus, litera-  
liter & absque figura exponenda esse o-  
stenderemus, huiusmodi erant: In hoc  
scripturæ loco, Verbum caro factum est,  
Christus de virgine natus est, mortuus  
est, sepultus est, resurrexit, ascendit in coe-  
lū, sedet ad dexteram patris, Christus est  
filius Dei: in his (inquam) atque alijs con-  
similibus scripturæ locis, neque verbum  
(est) pro significare, neque caro pro figu-  
ra carnis ponitur. Neque voces illæ, vir-  
go, mors, resuscitatus, in coelum ascen-  
sio, filius Dei, & si quæ sint huiusmodi,  
pro spirituali virgine, spirituali morte,  
spirituali resurrectione, spirituali ascen-  
sione, spirituali filio Dei, accipi possunt;  
sed hæc omnia verè ac realiter absq; vlla  
figura, iuxta literalem sensum intelligū-  
tur. Ex quo sequitur, neque in istis, Caro  
mea verè est cibus, & sanguis meus verè  
est potus. Panis quē ego dabo, caro mea  
est, Hoc est corpus meum, hic est sanguis  
meus; sequitur, inquam, in istis, neque  
est, pro, significare, neque corpus aut ca-  
ro pro corpus aut carnis figura esse acci-  
pienda, neque istiusmodi verba mysticè  
aut spiritualiter, sed realiter, iuxta litera-  
lem sensum, quemadmodum & patres  
nostri illa intellexerunt, exponi debere.  
En habes nostrum argumentum, quod  
bonum ac legitimum esse dico, quod nō  
ex rebus dissimilibus pro similibus (quæ  
admodum aduersarij colligunt) sed ex  
rebus omnino similibus concludit ne-  
cessariò. Omnes enim supradictæ propo-  
sitiones, quemadmodum & promissio-  
nis quoque, ac institutionis huius sacra-  
menti propositiones, fidei articulos con-  
tinent. Quo sanè in sacramento, huius-  
modi cibum nobis Deus pollicetur, si-  
ne cuius receptione nos saluos esse non  
posse iureiurando confirmat, quemque  
recipiendo, sempiternam vitam nobis

Christus ipse promittit. Quò fit, ut huius-  
modi enunciationes ac sententiæ no-  
bis tanquam fidei nostræ fundamēta  
proponantur, ideoque literaliter, & abs-  
que tropis ac figuris vllis non minus quā  
aliæ quæuis, super quas, alij fidei nostræ  
articuli fundantur, accipiendæ sint. Hoc  
autem nostrum argumentum in syllo-  
gismi formam, ex vniuersalibus propo-  
sitionibus, hoc modo redigi potest: Omnia  
Dei verba sibi similia eodem modo  
exponenda sunt: Omnia autem quæ in  
argumento nostro superius posuimus,  
sibi similia esse perspicuū est, propterea  
quod omnia sunt articuli fidei; Omnia  
igitur simili modo exponenda sunt. Pro-  
inde omnia aut literaliter, aut figuratè  
exponi necesse est. Neque enim vlla ratio  
adferri potest, cur hæc potius quàm illa  
figuratè debeat explicari. Quod si aduer-  
sarius negat, quæro ab eo, cur ista senten-  
tia, Verbum caro factum est, literaliter  
potius, quàm ista, Caro mea verè est ci-  
bus, Aut cur ista, Christus est filius Dei,  
realiter potius quàm ista, Hoc est corpus  
meum, accipiendæ sit. Quod si nullum  
inter hæc Dei verba, discrimen assignari  
potest: hinc argumentorum nostrorum,  
pro fide maiorum, bonitatem, inde ad-  
uersariorum dolos atque fallacias reco-  
gnosce. nec inter vtrosque sententiam  
ferre iam dubites, ut & istorum, qui tam  
debili imò potius nullo fundamēto in-  
nituntur, audaciam, perfidiamque con-  
demnes, & nostram, maiorumque no-  
strorum fidem supra immobilem verita-  
tis petrar: stabili mole fundatam, ample-  
ctaris atque approbes. Nā dic mihi (quæ-  
so) super quo euidenti, ac firmo funda-  
mento nouellam hæc suam religionem  
extruant. In primis enim certissimum  
est, eos, super nullo literali verbi Dei sen-  
su, illam extruere. Nam literalis huius  
verbi Dei sensus, Hoc est corpus meum,  
pro nobis facit: Sensus autem mysticus,  
quo ipsi corpus pro figura corporis, aut  
verbum (est) pro significat, aut carnem  
denique pro spiritu accipiunt: nullo mo-  
do certus, aut stabilis est: quoniam nul-  
lus in tota scriptura locus est, ex cuius li-  
terali sensu, huiusmodi Christi verba, sic  
figuratè exponenda esse, euidenter osten-  
dere possint. Illi quidem ex alijs scriptu-  
ræ locis sensus mysticos hinc inde men-  
dicant, ut in ijs incertum suum funda-  
men-

mētum iaciant, verum ij sensus, quos ex illis figurarum tenebris eruit, non minus incerti atque ambigui sunt, quam ij, ex quibus eruuntur. Hos enim quisque pro suo arbitrio non solum excogitat, verum etiam quo sibi videtur impellit. Ad hæc illi nullum nisi sophisticum argumentum, vti superius ostendimus, pro opinionis sue cōfirmatione adferre possunt. Dicite igitur nobis (ô boni viri) quodnam sit nouellæ religionis vestræ fundamentum, qua mordicus tenetis, nos nihil aliud, nisi signa, figuras, aut effectus Domini corporis in Eucharistiæ sacramento habere. Quodnam Dei verbum hoc ita se habere perspicue docet, certosque vos efficit? Ex quo diuinarum literarum fonte, ista verba quæ vos loco carnis aut corporis (quibus vsus est Christus) collocatis, hausistis. An satis est diuinare, aut coniecturam facere, vel dicere, forsitan ita est, vt de huiuscemodi mysteriorum veritate, Christianorum conscientia confirmetur? Sed quoniam modo fieri possit, vt ex figuratæ, spiritualis, ac mysticæ expositionis vestræ ambiguitate, firmam aliquam fidei nostræ certitudinem colligamus? Quod si fieri non potest, quæso, vt in vera fidei maiorum nostrorum stabilitate, quæ immobili verbo Dei nixa subsistit, ratisper nos quiescere sinatis, donec solidum atque certum aliquod nouellæ opinionis vestræ fundamentum excogitaueritis. Quare ne tam festinanter arma capiat, quibus eam nos recipere cogatis, donec eam fortiter fundaueritis, stabilieritis, corroboraueritis: Imò verò quid ad eam vi erigendam vobis armis opus foret, si illa verbum Dei pro sua defensione haberet? Aut vnde tanta inter vos opinionum varietas oriri posset, vt sciatur, quis vestrum rectius diuinet, quodnam verbum loco corporis atque carnis (quibus vsus est Christus) statui debeat, si noua religio vestra verbum Dei pro fundamento haberet? Atqui hinc sanè sit, vt inter vos rectè non conueniat, quodque toties præclarum illum Cænæ vestræ articulum versetis ac reuersetis, imò recudatis, quia nimirum præter illam deliramentorum ambiguitatem nihil habetis, quæ verborum Dei loco reponendam, quifque Doctorum vestrorum pro suo arbitrio somniat: Nam vnde id fieri putatis,

vt nos Catholici, hoc in articulo, sic conueniamus, vt inter nos de illo nulla contentio sit, nulla dissensio? Profectò nisi expressum DEI verbum pro certo fidei nostræ fundamento teneremus, iam pridem per varias opinionum diuersitates, quemadmodum & vos, dispersi fuissetis, dum quisque quam vellet, amplexus fuisset. Neque super hominum igitur coniecturis, diuinationibus, aut sensu mystico; sed super claro & expresso verbi Dei testimonio fides nostra fundata est. Vnde mirandum non est, si tam diu ea immobilis atque inconcussa persistiterit, totque ac tam grauibz hæreticorum armis oppugnata non cesserit, sed potius semper & vbiq; victoriam reportauerit. Fundata enim erat supra firmam petram. Ac propterea quantumcunque hinc in illam violenti Tyrannicarum persecutionum turbines irruerint, inde Hæreticorum fluctuum sæua tempestas incubuerit, nunquam tamè efficere poterunt, vt illam aut euerterent, aut obruerent; quin ipsa potius ad omnes congressus, atque impetus firma, immobilisque persistens, omnes totius mundi persecutionum ventos, atque Hæreticorum tempestates superauit, sibiq; man⁹ dare coegit. Hæc est quæ regum atque imperatorum, qui eam persequebantur, sibi colla subiicit. Hæc Arii, Donati, Pelagij, Manichæi, ac demum patris vestri Berengarij Synagogas ab hinc annis quingentis subuertit, destruxit, pessundedit: Proinde nisi ipsa ex Deo esset, nisi & super firmo stabiliretur fundamento, iam pridem diruta, euerfa, ac in puluerem cineremque reducta esset. Id quod serio sane apud vos metipfos expendere, meditari, ac considerare deberetis, vt sic opinionum vestrarum nouitatis, atque instabilitatis pudeat. Cæterum ad argumenta vestra redeamus, vt vnum quodque seorsum nunc discutiamus, quandoquidem ea generaliter vno eodemque impetu euerimus.

*Peculiaris ad vnamquamq; aduersariorum obiectionem, superius in genere consutatam, responsio.*

## CAPVT LXIII.

**Q**vanti periculi res sit, aut cum hæreticis disputate, aut eos disputantes audire,

audire, præsertim homini rudi, qui illorum technas, dolos, atque fallacias nescit: abunde satis ex ijs, quæ hæcenus diximus, intelligi potest. Quam multè enim illorum ipsorum argumenta, quæ modo refutauimus, tanquam legitima susceperunt, qui nihil de eorum dolis ac malicia suspicabantur? Quam multos ego ipse vidi, qui cum huiuscemodi corum obiectiones audirent, nescientes quidnā respondere deberent, statim obmutuerunt? Attamen ei qui artis quam ostendimus, peritus est, eamque ad illas propius examinandas adhibet, huiuscemodi sophismata dissoluere lōge facillimum est. Potissimum omnium fallaciarum suarum fundamentum est, quod illi à rebus non similibz, pro similibz argumentis, quæadmodum superius ostendimus, imperitos atque incautos decipiunt. Nā nullus planè ex ijs omnibus, quos ipsi citant, scripturæ locus, illi similis est, quem ipsi peruertere conantur, eò quod iste fidei articulus sit, non autem illi, quos illi proferunt. Itaque cum hæreticus aliquis huiuscemodi sophismate re circumuenire tentabit, dicens ex eo quod istud Dei verbum, Ego sum vitis vera, per similitudinem exponendum est, consequens esse, vt istud quoque; Caro mea verè est cibus, eodem modo accipi necesse sit, cum hoc (inquam) tibi obiecerit, ei respondere non dubites, istiusmodi propositiones similes non esse, quod in priori parabola quædam, in altera verò fidei articulus proponitur. Adde quod si circumstantias diligenter consideraueris, statim deprehendes, quemadmodum seipsum exposuerit, ostendens qua in re viti similis esset, quod nequaquam profectò fecit, cum dixisset: Caro mea verè est cibus, Nihil enim addidit, quo ipsum figuratè locutum esse, intelligi possit; quemadmodum in alia propositione fecit, cum statim subiicit, Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. En vides quemadmodum hic se per similitudinem ac parabolam loqui ostendat. Cæterum postea quam dixisset, Hoc est corpus meum, nihil penitus adiecit, quo se per similitudinem loqui ostenderet. Non enim hæc aut similia verba protulit: Quemadmodum agnus paschalis, corporis mei typus, ac figura erat, ita

& panem corporis mei signifi, ac figuratantummodò esse cupio. Nihil, inquam, huiuscemodi vnquam dixit. Sed Pauli sententia opponitur, Petra autem erat CHRISTVS, quæ nullo sanè modo figurate exponenda est. Nam Paulus Christum spiritualem petram appellat: petra autem spiritualis non est Christi signum, aut figura, sed est ipsemet Christus. Vnde ipse ait, Bibebant de spiritali consequente eos petra: petra autè erat Christus. Deinde non multo post, omnia eis in figura contigisse refert. Sed quod aduersarij proferunt, tanquam Columba est spiritus sanctus, nego hoc ad hunc modum diuinis literis contineri: sed quod spiritus sanctus tantummodò, in columba specie super Christum descenderit.

Quod si quatuor Euangelistas diligenter euolueris, hoc ita esse, facile intelliges. Sed veniamus ad aliam propositionem, quæ est huiusmodi, Ioannes est Helias. Eam quoque Christus, quemadmodum per figuram intelligi vellet, exponit, cum continuò subiicit: Si vultis intelligere, ipse est Helias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi audiat. Quibus sanè verbis vnumquemque admonet, ne alio modo quam ipsemet volebat intelligi, sua verba exponeret, nempe Ioannem Heliam ab ipso dictum fuisse, quod in spiritu ac virtute Helie venisset. Adde quod nullum hic planè fidei articulum, quemadmodum in cœna nobis proponat. Cæterum quod rursus obijciunt, Hic est agnus Dei, hoc Diuus Ioannes mox explicat, adijciens, Qui tollit peccata mundi. Ac si planè dicat: hic non est ouis alicuius agnus, sed agnus Dei, ille nimirum agnus, qui peccata mundi tollit è medio. Vides quomodo metaphoricam locutionem sua statim expositio subsequatur? Deinde verò hic nullum Diuus Ioannes fidei articulum, quemadmodum Christus in cœna, instituit. Sed de hoc satis, nunc ad aliud transeamus. Obijciunt ergo rursus dicentes, Ista est Hierusalem. Sed quæ est horum Prophetarum, & Christi verborum similitudo? nulla planè. Ibi enim commemoratur, quemadmodum Propheta ciuitatis Hierusalè, ac futuræ obsidionis eius descriptionem fecerit, ac veluti in speculo ob oculos spectandam proposuerit, scripturæ autem mos est, vt archetypus, e-

1. Cor. 10.

Matt. 3.

Marc. 1.

Luc. 3.

Ioan. 1.

Matt. 18.

Ioan. 15.

ius tui quam repræsentat, nomen obtineat. Verum in cœna, nullam Christum corporis sui descriptionem, aut exemplar fecit, neque panis archetypus, aut imago illius erat. Ad hæc pronomen (ista) non regulæ (super quam Propheta huiusmodi exemplar delinierat) substantiam demonstrabat, sed figuram illam, quam ibi depinxerat. In huiusmodi igitur scripturæ locis nulla penitus similitudo est. Liquido enim constat, Prophetam, neque historiam, neque vllum fidei articulum, quemadmodum Euangelistæ, describere voluisse. Postremò, quòd obijciunt, dicentes, Agnus est pascha, Sacrificium est expiatio. Hic calix est nouum testamentum. In omnibus his accidens tantummodo aut qualitas de actione aliqua, aut de substantia, & non vna substantia de alia, aut de seipsa, quemadmodum hic, Hoc est corpus meum, prædicatur. Quòd sit, vt neque in particulari, neque in generali vlla in propositionibus illis similitudo sit, ex qua similem illarum interpretationem necessariam esse colligere quis possit. Verùm illi, qui non capiunt quanam inter accidentis, atque substantiæ naturam, differentia sit, hæc non ita facile intelligunt, nisi ad ea, quæ iam ante posuimus, exempla confugiant. Longè aliud siquidem locutionis gen<sup>o</sup> est, cum dicitur, Panis est caro, atque aliud cum dicitur, Panis est candidus. Quæ cum ita sint, perspicuum est, nihil penitus ea, quæ ipsi adferunt, ad hoc valere, vt expositionem nostram, quam vt transsubstantiationem comprobaremus, in mediũ adduximus; improbè, aut inualidam esse demonstrant. Nam vt rectè colligerent, eodem modo quo nos procedere debuerant, vt pote qui priusquam de transsubstantiatione loqueremur, multis rationib<sup>9</sup>, Christi verba literaliter intelligenda esse monstrauimus. Quo sanè probato, ex prædicto verborum illorũ sensu literali, transsubstantiatio per consequentiam necessariam, optimè inferebatur. Hoc igitur aut simili pacto argumentum suum colligere debuerant. In hoc scripturæ loco, Petra erat Christus, nulla est transsubstantiatio; atqui hic locus vestro similis est, ac literaliter quemadmodum vester, & non spiritualiter exponendus est; sequitur proinde, quod nec vester transsubstantiationem vllam rectè inferat: Hæc

argumentandi formula omnino legitima est, sed quemadmodum minor propositio falsa est, sic sanè & conclusio. Cum igitur omnes hæreticorum imperius, quibus ij transsubstantiationem oppugnant, ipsa veritate fregerimus, omniaque quæ nobis impedimento esse poterant, quo minus dictam interpretationem nostram prosequeremur, è medio sustulerimus, operæ precium erit, vt per vestigia cepta gradientes, reliqua quæ ex Dei verbis ac eorum circumstantijs, argumenta elici possunt, ad fidei maiorum nostrorum veritatem comprobendam colligamus. Sed quoniam promississe me recolo, nonnulla etiam veterum testimonia ad transsubstantiationem comprobendam me in medium prolaturum esse, ea hoc loco subiicienda duxi.

*Vetustissimi quique tam Græci, quam Latini Doctores, panis ac vini in corpus ac sanguinem Christi mutationem (quam nos transsubstantiationem vocamus) affirmant.*

## CAPVT LXIII.

**Q**uanquam abundè satis hanc substantiæ panis, ac vini in verũ Christi corpus & sanguinem transmutationẽ in hoc sacramento fieri, ex scripturis sacris iam superius ostendimus, ita vt superfluum penè videri possit, post ipsius verbi Dei auctoritatem pro huius rei confirmatione aliud quippiam in medium adducere; tamen quia aduersarij hanc de transsubstantiatione adsertionem nouellam esse falsò calumniantur, primarios tam Græcos, quam Latinos Ecclesiæ magistros eandem omninò, quemadmodũ & nos asseruisse monstrabimus, hoc vniuerso duntaxat excepto, quod transsubstantiationis nomine, quo nunc vtimur, minimè vsi sunt.

*Primum testimonium.*

**C**AETERUM ne in horum auctorum citatione æquo prolixior sim, celeberrimos tantum in medium adferam: Inter vetustissimos in primis sese offert Tertullianus aduersus Marcionem scribens, cuius sanè testimonium pro transsubstantiationis asseritione satis euidens est, cum ait, Christum, panem corpus suum effecisse,

## IN SACRAMENTARIOS. ACTIO III.

effecisse, cum diceret, Hoc est enim corpus meum.

*Secundum testimonium.*

**P**EATUS Iustinus inclitus Dei martyr, de cibo & potu illo, quem in Eucharistia nostra habemus loquens, ita ait: Non enim vt quemuis panem, neque vt quemuis potum ista omnia accipimus, sed quemadmodum per verbum DE I incarnatus est Iesus Christus saluator noster, & carnem & sanguinem pro salute nostra assumpsit, ita quoque per preces verbi illius, cibum (ex quo sanguis, & caro nostra per imitationem aluntur) cum benedictus fuerit, Iesu Christi incarnati carnem & sanguinem esse didicimus.

*Tertium testimonium.*

**I**DEM prorsus Diuus Irenæus asserit: Quando ergo (inquit) & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.

*Quartum testimonium.*

**D**IUUS porò Cyprianus meridiana luce clarus de transmutatione hac loquitur, inquit, Panis iste quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro.

*Quintum testimonium.*

**O**RIGENES insuper cõtra Celsum scribens, pro nobis facit cum ait: Nos conditori rerum morem gerentes, pro eius collatis in nos beneficijs, vbi gratias diximus, oblatis panibus vescimur, qui vtique ex oratione, & precibus sanctius quoddam corpus constanur, quod sanè sanctiores eos reddit; qui mente puriore hoc ipso vtuntur.

*Sextum testimonium.*

**C**YRILLUS quoque Hierosolymitanus Episcopus huiusmodi panis in corpus Christi mutationem in sacramento isto fieri his verbis ostendit: Ipsa beati Pauli doctrina (inquit) abundè sufficere videtur, vt certam vobis de diuinis mysterijs fidem faciat: Ipse enim modò clamabat, quod in nocte in qua tradebatur Dominus noster Iesus Christus, accipiens panem, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum: Et

accipiens calicem, & gratias agens, dixit: Accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Cum igitur ipse de pane pronunciauerit, ac dixerit, Hoc est corpus meum; quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse tam asseueranter dixerit, Hic est sanguis meus, quis vnquam dubitauerit, vt dicat non esse eius sanguinem? A quam olim in vinum conuertit in Cana Galileæ (quod habet quandam cum sanguine propinquitatem) & cum parum dignum existimabimus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutauerit? Ad eas nuptias, quibus corpora copulantur, vocatus, præter opinionem omnium, hoc fecit miraculum: & non multò magis sic cum corpus & sanguinẽ suum fruenda nobis donasse, persuasum firmiter habebimus, vt ea cum omni certitudine, tanquam corpus ipsius & sanguinem sumamus? Nam in specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem, vt cum sumperis gustes corpus & sanguinem Christi, factus eiusdem corporis & sanguinis particeps. A paulò post: Quamobrem non hæc sic attendas, velim, tanquam sint nudus & simplex panis, nudum & simplex vinum, corpus enim & sanguis sunt Christi. Nam etsi sensus illud tibi renunciat; fides tamen te confirmet. Ne iudices rem ex gustu, sed te citra vllam dubitationem fides certum reddat, quod sis dignus factus; qui corporis & sanguinis Christi particeps fieres. Ecquid clarius pro transsubstantiationis asseritione dici possit? Id quod gustus (inquit) tibi panem esse renunciat, nõ est panis; sed Christi corpus. Si panis non est; substantia igitur panis ibi nõ est amplius. Et si vinum non est; nec vini igitur substantia ibi est amplius. Ex quibus conficitur, nihil præter corporis Christi substantiam, in hoc sacramento esse. Quod paulò superius Cathecesi 3. idem auctor his verbis confirmat, Panis Eucharistiæ (inquit) facta spiritus sancti inuocatione, non amplius panis communis, sed Christi Iesu corpus est. Hæc ille ante annos 1200. scripsit. Ipse enim ex vetustioribus Ecclesiæ doctoribus est.

*Septimum testimonium.*

**V**SEBIUS Emisenus ita clarè de hac panis in corp<sup>o</sup> Christi transmutatione loqui-

*Hom. 5. de Pascha.*

Q

loquitur, vt nihil clarius dici possit. Verè vnica & perfecta (inquit) hostia fide confirmanda non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Vnde merito cœlestis cõfirmat auctoritas, Caro meã verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quando quidem qui auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & edite, Hoc est enim corpus meũ: & sanctificatione repetita, Accipite & bibite, Hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum precipientis Domini repente ex nihilo subfliterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuũ, vasta terrarum: pari potentia in spiritualibus sacramentis verbi precipit virtus, & seruit effectus. Et aliquanto inferius: Nec dubitet quisquam, ait, primarias creaturas nutu potentia, presentia maiestatibus, in Domini corporis posse transire naturam. Animaduerte, Lector, illo sæculo neminem fuisse, qui de Dei virtute, potentiaque dubitaret, qui que Christum panem in corpus, vinũ in sanguinem suum mutare posse ambigeret. Quales igitur habendi sunt Calvinista, quorum fidei, imò perfidia fundamentũ est, Christum huiusmodi conuersionem efficere nõ posse. At noster Emissenus in eadem homelia, vbi Christũ id posse multis confirmauit exemplis, ita concludit: Itã quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ, sacris altaribus imponuntur, antequã inuocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autẽ Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata cõuertere? Imò iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam cõditum in melius valeat commutare. Requirit quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & inuisibilia voluntatis imperio suscitare, cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imaginem etiã suã diuinitatis inducere: cui promptum est, eum rursus reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cœlum leuare, de homine angelum facere, corpus huma-

num conformè corpori claritatis suæ reddere, & figmentum suum in regni sui consortio sublimare, vt qui corpus nostræ fragilitatis assumpserat, nos in corpus suæ immortalitatis assumat. Hæc Eusebij, Emisseni sententiã pluribus verbis exponendã putauit, vt quàm clarè, disertè, perspicuè de panis in corpus, vini in sanguinem Christi mutatione antiquissimi patres locuti sint, aduersarij intelligant. Hæc autem Eusebij verba vsque ad edõ clara sunt, vt in aliam sententiã detorqueri nullo modo possint. Illud quoque animaduertendum est, summum hunc & eloquentissimum virum in eo non indiligenter elaborare, vt substantias diuina virtute posse mutari, luculenter ostendat. Eant igitur nunc hæretici, & diuinam potentiam atque virtutẽ pro sua perfidia rodant ac minuant. Certè nobiscum, id est, cũ fide Catholica non pugnat antiquitas.

*Octauum testimonium.*

**Q**UID Chrysostomus? Nonne Homelia 83, in Matthæum de hac transmutatione itã commemorat? Non sunt (inquit) humana virtutis hæc opera. Qui tuacista in illa cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est. Idem planè refert Homelia 31. Tomo 5. Non enim (ait) homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini, corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui pro nobis crucifixus est C H R I S T V S: Sacerdotis ore verba proferuntur, at Dei virtute consecrantur & gratia. En quemadmodum eximus iste doctor ea, quæ mensæ Domini apponuntur, in verum ipsius corpus, & sanguinẽ conuerti asseuerat.

*Nonum testimonium.*

**G**regorius verò Nyssenus in oratio-  
Anno Domini 371  
 ne quadam de diuinis sacramentis (quæ ab Euthymio in Panoplia, & à Belsarione in libro de verbis consecrationis citatur) disertissimis verbis de hac transmutatione scribit: Nam vt rationem reddat, quemadmodum Christi corpus absque sui diminutione toti populo Christiano distribuatur, inter alia, Christi corpus cùm adhuc esset mortale, panem, quemadmodum & nostra nutritum fuisse,

fuisse, panemque illum quo ipse vesceretur, in carnem illius conuersum esse confirmat. Eius hæc verba sunt: Quod enim carnis cuiusque proprium est, (inquit) id etiam illi conuenisse cõfitemur. Nam & corpus illud pane sustentabatur: Corpus autem propterea, quod D E V S verbum in illo habitauit, diuinam obtinuit dignitatẽ. Quam obrem rectè nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari. Etenim corpus illud panis erat potentia; sanctificatum est autem habitatione verbi, quod in carne habitauit. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus, in diuinam virtutem transijt, eadem de causa nunc etiam, idem fit. Vt enim illic verbi Dei gratia, sanctum effecit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat, sic etiam hic panis (vt ait Apostolus) per verbum Dei & orationem sanctificatur; non quia comeditur eò progrediens, vt verbi corpus euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, vt dictum est à verbo, Hoc est corpus meum. Hæc ille de hac transubstantiatione. Vbi eius similitudinem diligenter animaduertamus, oportet. Quẽadmodum Christus (inquit) cùm in visibili, ac passibili corpore in terris adhuc degeret, naturali comestione atque digestionẽ transubstantiationem panis quo vesceretur, in carnem suam verè efficiebat, itã & nunc similem quoque immutationem verbi diuini virtute, in carnem suã operatur: Vt igitur in priori illa conuersione, panis substantia in veram Christi carnem conuertebatur, itã & panis consecrati substantiam in eius carnis substantiam permutari omninò asserit. Neque enim quicquam inter conuersiones has discriminis est, nisi quod illa naturali digestionẽ fiebat, ista verò consecrationis virtute, id est, Dei verbo, sacerdotisque precibus, orationibusque perficitur.

*Decimum testimonium.*

**M**agnus verò Basilius in Liturgia sua, hoc est, de ritu celebrandi Missæ (quem sanè ritum à CHRISTO diuina reuelatione eum accepisse, ac in Ecclesia sua instituisse, sanctus testatur

Amphilochus) sacerdotem statem, & ei rectum, vt panis, & vinum in CHRISTI corpus & sanguinem conuertantur, huiusmodi preces ad Deum effundere contemorat: Fac Domine panem istum, preciosum corpus Christi tui: Amen. Deinde super calicem dicit: Fac Domine quod est in calice isto preciosum sanguinem Christi, transmutans illud spiritu sancto tuo. Amen. Atqui eam consecrati corporis Christi formã, vniuersalis adhuc hodie Græca obseruat Ecclesia: Vnde liquidò constat, Græcos transubstantiationem etiam nunc confiteri. Hæc nimirum ex panẽ, & vino, in verũ Christi corpus, & sanguinem in mysterijs fieri petunt?

*Vndecimum testimonium.*

**H**esychius magni illius Gregorij Nazianzeni discipulus, libro 6. in Leuiticum, amplissimum pro transubstantiatione testimonium perhibet, dicens: Christo (inquit) qui verus sacerdos est, sacrificij mystici sanctificationem, rerumque sensibilibus in res intelligibiles translationem, seu transmutationem attribuire debemus, hoc est, Ei miraculum illud attribuendum est, quod circa dictas res sensibiles illa translatione perficitur. Ipsius etenim potentia, ac verbo per ipsum prolato fit, vt res illæ quæ foris apparent, itã sanctificentur, quemadmodum omnẽ carnis sensum longe excedunt. Hæc ille.

*Duodecimum testimonium.*

**P**roclus Constantinopolitanus Episcopus, in tractatu diuinæ liturgiæ sũg Missæ, quem ante annos 1200. conscripsit, inter cætera refert, quemadmodum Iudæi, ac Gentiles ad fidem conuersi, maxima cùm deuotione, vna cum sacerdotibus Missæ assisterent, Deum instanter orantes, ac spiritus sancti aduentum præstolantes, qui panem & vinum, in Christi corpus, & sanguinem conuerteret: Sed operæ precium fuerit, vt eius verba hic subijciamus: Per has igitur preces (inquit) spiritus sancti aduentum expectabant, vt eius diuina presentia, propositum in sacrificio panem & vinum aquæ permixtum, ipsum illud corpus, & sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi efficiat.

*Tertiumdecimum testimonium.*Anno Do  
mini 448.

**E**Vthymius in commētarijs in Mat-  
thæum cap. 64. cuiusmodi de trans-  
substantiatione, suo tempore fides fuerit,  
meridiana luce clarius ostendit. Scripsit  
autem ante annos 1100. in hæc planè ver-  
ba: Itaque sicut vetus testamentum ( in-  
quit ) hostias, & sanguinem habuit, ita  
quoque & nouum, corpus videlicet, &  
sanguinem Domini. Non dixit autem,  
hæc sunt signa corporis mei & sanguinis  
mei; sed, hæc sunt corpus meum, & san-  
guis meus: Oportet ergo non ad naturã  
eorum, quæ proponuntur, aspiceret, sed  
ad virtutem eorum. Quemadmodum  
enim supernaturaliter assumptam car-  
nem deificauit ( si ita loqui licet ) ita &  
hæc ineffabiliter transmutat in ipsum vi-  
uificum corpus, & in ipsum preciosum  
sanguinem suum, & in gratiam ipsorum.  
Quid in aduersariorum perfidiam magis  
perspicue dici potest?

*Quartumdecimum testimonium.*

**S**tatuere equidem non nisi tres, aut  
quatuor ad summum veteres Eccle-  
siæ magistros pro transsubstantiationis  
antiquitate approbanda in medium ad-  
ducere; cæterum cum animaduerto, quã  
clare & aperte, quantoque consensu illi  
articulum hunc elucidauerint, tanto pe-  
rè in eius rei contemplatione delector,  
vt animo meo satisfacere nequeam, nisi  
copiosam eorum multitudinem, veluti  
insignium quorundam heroum pro no-  
bis militantium phalangem, in huius cer-  
taminis campum inducam. Adde quod  
& per hoc, ijs, quibus librorum copia de-  
est, leuamini esse cupio: Imò ( vt quod  
verum est, ingenuè fatear ) meos ipsius  
labores, hæc in parte, quantum equidem  
possum, subleuare desidero, ne tantam  
videlicet librorum multitudinem dein-  
ceps reuoluere debeam, vt illorum pa-  
trum testimonia hinc inde colligam, cū  
ca semel in vnam veluti classem, ac lo-  
cum iam redegero. Huc accedit quod  
ad infirmas fidelium conscientias in fi-  
de confirmandas, id magnoperè pro-  
fuerit, cū veteres illos patres veluti in  
communi quodam concilio super hac  
controversia sententiam suam dicere, &  
ac omnes vnanimiter pro nostra ac Ma-  
iorum nostrorum fide suffragia sua af-

ferre conspexerint. Nam cū huius-  
modi patrum sententias, in vnum velu-  
ti acruum congero, sic istiusmodi sen-  
tentiarum collectionem studiosus le-  
ctor accipiat, velim, ac si ex toto orbe  
Christiano doctissimos atque sanctissi-  
mos quosque viros, qui ab ipsis mundi  
exordio fuere, in vnum pariter locum  
congregentur, vt quæstionem hanc de-  
finiant, qui vicissim ad vnum omnes in-  
terrogati, pro maioribus nostris aduer-  
sus rebelles eorum filios, sententiam  
proferant. Proinde qui huiusmodi  
astiterint concilio, qui que tam mirifi-  
cum, atque admirabilem huiusmodi  
opinionum consensum in re tam ardua  
intellexerint, eos maiorem in modum  
consolari, in susceptaque fide corrobora-  
ri necesse est, cū se tantorum fidem  
sequi in animum induxerint, ac diffini-  
tionem eorum sententiam, tanquam ir-  
refragabilem, retinendam esse planè si-  
bi persuaserint. Atqui ego cerè istud  
sic prorsus accipio, quò sit, vt hanc sen-  
tentiarum confectionem, longè maius  
concilium esse reputem, quàm vllum  
nunc congregari possit. Nam in conci-  
lijs œcumenicis, vnus sæculi tantum-  
modò, atque ætatis doctores congrega-  
tur; in isto autem, omnium præterito-  
rum sæculorum, omniumque ætatum  
sapientissimi quique viri conuocantur,  
quò sit vt hoc illo sit longè generalius.  
Illorum autem chirographa, & testimo-  
nia ab ipsismet scripta tenemus, quibus  
qualis eorum fides fuerit, toti posterita-  
ti abundè satis contestatum reliquerunt.  
Quod si aduersarij controuersiam hanc,  
concilij alicuius iudicio permittere vel-  
lent, neque vllum isto præstantius, ne-  
que generalius, neque erroris alicuius  
minus suspectū, neque cui exceptionē ali-  
quam, aut excusationem, quò minus  
illud recipiant, opponere valeant, inue-  
niri potest. Quocirca laborem hunc, di-  
ctorum patrum suffragia, ac testimonia  
in vnum colligendi, idcirco assumen-  
dum putavi, vt iij, quibus aliquid adhuc  
tum æquitatis, tum rationis inest, ani-  
maduertant, quanto iustius, quantoque  
securius maiorum nostrorum fidei ad-  
hæreamus, ac tanti concilij diffinitio-  
nem, tantorum virorum vnanimem cõ-  
sensum potius amplectamur, quàm vt  
impia

impia aduersariorum opiniones, ac fal-  
sas eorum nouitates sequamur. His igitur  
obiter annotatis, aliorum qui restant, ve-  
terum patrum suffragia, ac sententijs col-  
ligemus. Inter quos primus sese offert D.  
Ambrosius, vnus ex ijs quatuor, quos fi-  
dei nostræ aduersarij in fidei suæ confes-  
sione, quam Christianissimo Regi anno  
1561. exhibuerunt, tanquam irrefragabi-  
lem, ac authenticum receperunt. In qua  
quidem fidei confessione dictorum iam  
doctorum fidem, tanquam veram & sa-  
nam se approbare, ac omnē prorsus hæ-  
resim, & errorem ab illis reiectam & re-  
probam, reijcere, ac reprobare se cõfi-  
tentur. Sed præstat, vt ipsorum verba po-  
nam, vt maioris auctoritatis sit id, quod  
dicimus. Hæc sunt igitur, quæ. ò. bellæ il-  
lius confessionis suæ articulo ipsi asse-  
runt: Atqui hæc in re nos approbamus  
( inquit ) quicquid antiquis Ecclesiæ cõ-  
cilijs decretum fuit, ac omnes hæreses &  
sectas detestamur, quæ à sanctis patribus  
Hilario, Ananias, Ambrosio, Cyrillo  
reiectæ sunt. Hilarij autem de vera, ac  
reali corporis Dominici in hoc sacramē-  
to præsentia, testimonium superius ex-  
posuimus; quo per veram realem cor-  
poris illius in Eucharistiæ susceptione,  
nos ipsi Christo, non solum spiritu, & fi-  
de, aut voluntatis concordia; sed etiam  
verè ac realiter vniri confirmat. Ex qui-  
bus Hilarij verbis huiusmodi pro trans-  
substantiatione argumentum subinfero.  
Christus hoc sacramento veram, ac rea-  
lem inter nostram ac ipsius carnem, eã-  
que, quoad eius fieri posset, quam per-  
fectissimam vnionem efficere volebat:  
verum si terreni huius panis substantia,  
eum ipsius pariter corpore nobis com-  
municaretur, ipsa perfectam vnionem  
hanc præpediret, quippe quæ ad eam di-  
sturbandam, sese inter duo illa mediam  
opponeret: Ex quo necessariò planè con-  
ficitur, ibi Dominici corporis substantiã  
tantummodò esse, in quam panis substã-  
tia conuersa sit: Atqui hæc vna ex præci-  
pui rationib⁹ mihi esse videtur, cur hæc  
admirabilis cõuersio fiat, ac omninò ne-  
cessaria sit. Cuius et si equidem nusquam  
( quod equidem sciam ) claram & expres-  
sam mentionē faciat Hilarius, ex eius ta-  
mē verbis, tū ob eã, quã modo diximus,  
rationē, tū ob hoc, quod nusquã panē si-  
mul cū dicta Christi carne nobis cõmu-

nicari asserat, eiusdē eñ sententiæ, ac fidei  
cum alijs fuisse, haud difficulter intelli-  
gi pot. Neq; verò vilo modo dubitauerim,  
ipsum publicè scriptis suis illã cõfessionem  
fuisse, si quis sua ætate hæreticus illam in  
dubiū reuocasset. Aliorū autē triū in di-  
cta cõfessione nominatorū testimonia,  
pro transsubstantiatione cõprobanda, in  
doctissimis ipsorū lucubrationibus habe-  
mus. Nūc igitur ad Ambrosiū nostrū, to-  
tius sua ætate sanctitatis, ac doctrinæ spe-  
culū reuertamur. Hic est enim quē ipse  
Pelagius, quanquã hæreticus, tanq̃ fecit,  
quæadmodū & aduersarij nostri, vt Ec-  
clesiæ Romanæ fidē, in ipsius potissimū  
libris relucere diceret. Quod beatus ille  
Augustin. nimirè tacuit. Hic est ( inquit )  
Mediolanensis Epif. Ambros. quē Pelagi-  
us tanta prædicatione laudauit, vt dice-  
ret in libris eius p̃cipuè fidē relucere Ro-  
manã, q̃ scriptores inter Latinos flos spe-  
ciosus enituit, ita vt ei⁹ fidē, & purissimū  
in scripturis sensum reprehendere, ne i-  
nimicus quidem auderet. Hæc tam mul-  
tis verbis, prius quàm sanctū hunc docto-  
rē citarem, præfatus sum, quia eximiam  
eius sanctitatem, doctrinam, virtutem,  
in tanta præ cæteris semper admiratione  
habui, vt ab eo improbatam doctrinam  
approbare, nec quicquid scripsit non cre-  
dere omnino non possem. Paucis, cū ve-  
rum Christianum, ac verè saluum iri nõ  
dubitauerim, quicquid sedulus fidei, ac  
vitæ eius imitator existerit. Vnde quod  
ad me attinet, malim equidē stultus, ac  
penè brutus, fidem ac doctrinam eius in-  
sequendo, æstimari, quam nouellas ho-  
minum sæculi nostri opiniones sectãdo,  
semidicus quodammodò haberi. Deni-  
que inter omnes alios, qui fidem suam  
scriptis suis nobis reliquere, nullum pla-  
nè inueniri posse arbitror, qui aut copio-  
sius aut clarius de transsubstantiatione scri-  
pserit: Neq; enim eam nudè, ac simplici-  
ter tantummodò confessus est, verū etiam  
omnes eloquentiæ suæ vires eò cõtulit,  
vt varijs eam modis, scripturis, exemplis  
rationibus comprobaret. Ipsum igitur  
loquentem audiamus. Potior, inquit, est  
lux, quam vmbra; veritas quã figura; cor-  
pus auctoris, quam manna de cœlo. For-  
tè dicas: Aliud video, quomodo mihi  
asseris, quod Christi corpus accipiam?  
Et hoc nobis superest, vt probemus. Quã-  
tis igitur vtimur exemplis, vt probemus

Ambros.  
in li. de in-  
uandis ru-  
dibus.

hoc non esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ reuertitur naturam. Vides igitur Prophetica gratia bis mutatam esse naturam serpentis, & virgæ. Currebant Aegypti flumina puro meatu: subito de fontium venis sanguis coepit erumpere. Non erat potus in fluuijs: rursus ad Prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit, Circumclusus erat vndique populus Hebræorum, hinc Aegyptijs vallatus, inde mari, virgam leuauit Moyses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus, contra naturam, in sui fontis reuertitur, exordium. Nonne claret, naturam vel maritimorū fluctuū, vel fluuiialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus primum; tetigit Moyses Petram, & aqua de petra fluxit: Nunquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam euomeret petra, quam non habebat natura? Deinde pluribus adhuc exemplis ad eandem rem productis, sic tandem concludit: Aduertamus ergo (inquit) maioris virtutis esse gratiam, quam naturam. Et adhuc tamē Prophetice benedictionis miramur gratiam? Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret; quid dicimus de consecratione ipsa diuina, vbi ipsa verba Domini seruatores operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Helix, vt ignem de celo deponeret, non valebit sermo Christi, vt speciem mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo igitur qui potuit ex nihilo facere quod non erat; non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est dare, quam mutare nouas naturas rebus. Sed cuius argumentis vtimur, suis vtamur exemplis, incarnationisque exemplo astruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præcessit, cum Dominus Iesus ex Maria nasceretur? Si ordinem quæris, viro mixta focera-

mina generare consueuerat; liquet ergo quod præter naturæ ordinem virgo generauit. Et hoc quod conficimus corpus, ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in CHRISTI corpore; cum præter naturam sit ipse partus ex virgine? Vera enim caro Christi est, quæ crucifixa est, quæ sepulta est. Verè ergo illius carnis sacramentum est. Ipse clamat Dominus noster Iesus Christus, Hoc est corpus meum. Ad eundem modum libro de sacramentis loquitur de pane qui altari ad consecrandum imponitur, inquit. Sed panis iste est, ante verba sacramentorum; vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc ergo astruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est? & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris, vbi venit, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus vtitur sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum. Iussit Dominus, & facta est terra, Iussit Dominus, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi: Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant; quantum magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem; ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem; dico tibi, quod iam corpus est Christi, quia ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & creatum est. Ad hæc posteaquam pluribus scripturæ exemplis, in facultate esse Christi ostendisset, ita panis naturam atque substantiam in carnem suam posse conuertere, sic tandem concludit: Ergo didicistis, inquit, quod ex pane fiat corpus Christi, & quod vinū & aqua in calicem mittitur, sed sit sanguis consecratione verbi cœlestis. Deinde declarat, quemadmodum verbi Dei virtute ac potentia, huiusmodi conse-

Lib. 4. c. 4.  
1. 2. 3.

cratio, & panis ac vini in corpus & sanguinem Dominicum cōuersio fiat: hinc recitatis ipsius consecrationis, quibus in Missæ canone vtitur, verbis, orationem ita concludit: Antequam, inquit, consecratur, panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem; Accipite & comedite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante consecrationem calix est vini, & aqua plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Denique ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipimus, & sanguinem bibimus. Nunquid ergo de eius fide, ac testimonio dubitare debemus? Quasi dicat, minimè verò. En quam clarè, quam patenter, quam liquidè venerandus iste Antistes, panis & vini in verum Christi corpus & sanguinem, transmutationem confirmat, astruit, comprobat. Quid quæso clarius vnquam dici possit? Vixit autem eximitis hic præsul anno Domini 390. Ac proinde mille ducenti sunt, ex quo conuersio hæc panis & vini, in corpus & sanguinem Christi (quam transubstantiationem modo vocamus) publicè in Ecclesijs prædicabatur, ac passim credebatur. Sed nunc ad Diuum Athanasium veniamus, qui vnus ex illis quatuor doctoribus est, quos aduersarij se recipere dicunt.

*Quintumdecimum testimonium.*

Athanasius igitur in libello de imagine Domini nostri Iesu Christi à Iudæis in Syria, in ciuitate Beritho crucifixa, cap. 7. sic scribit: Nec aliter æstimandum est à verè Catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud quod in arca altaris per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur; id est, eo modo, quo nunc consecramus, nempe sub panis ac vini specie. Vides itaque quemadmodum ipse, Christi carnem & sanguinem, sub specie panis ac vini, & non sub, aut cum illorum substantia esse testetur. Quocirca eum aliorum veterum Ecclesiæ magistrorum, qui solas in hoc sacramento panis, ac vini species, & non eorum substantiam remanere asserunt; fide sententiæque consentit.

*Sextumdecimum testimonium.*

Cyrillus Alexandrinus Episcopus, omnium clarissimè atque apertissimè, de reali corporis Christi præsentia, ac de panis post consecrationem in illud conuersione loquitur. Sic enim in Epistola ad Calosyrium Episcopum scribit: Ne enim horreremus (inquit) carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, cōdescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblati vim vite, conuertens ea in veritatem carnis suæ, vt corpus vite quasi quoddam semen viuificatum inueniatur in nobis, vnde subdit, Hoc facite in meam commemorationem. En quemadmodum ea quæ ad altare offeruntur, panem scilicet & vinum, ab esse mortuo ad esse viuum, cum in carnis Christi veritatem (non dicit figuram) transmutantur, conuerti asserat. Vnde liquet, nihil clarius pro transubstantiatione posse dici.

*Decimumseptimum testimonium.*

Beatus Augustinus magni illius Ambrosij discipulus, à quo ad veram Christi fidem, ac religionem cōuersus est, nequaquam à magistri sui fide, ac doctrina discrepat. Nam in sententijs, quas ex ipsius libris Diuus Prosper collegit, de hac quoque conuersione apertissime loquitur. Nos autem in specie (inquit) panis, & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus. Nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus, cum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem verò carnem & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Quibus verbis expresse ait, panem ante consecrationem, id tantummodò esse, quod natura formauit, post consecrationem verò longè aliud, carnem videlicet & sanguinem Christi existere.

*Decimumoctauum testimonium.*

Gaudentius autem Brixienis Episcopus (qui ante annos 1100. floruit, serm. i. de solemnitate paschali: Paschalis Iudæorum agnus (inquit) figura est passionis Domini, qui ipsa veritas est, quique in mysterio panis & vini, per omnes Christianas Ecclesias immolatur. Naturarum siquidem conditor & Dominus, qui à terra panem producit, rur-

sum è pane proprium corpus efficit; id-  
que idè, quia ipse & potest, & promi-  
sit. Et qui ex aqua vinum confecit, ex vi-  
no sanguinem suum consecrauit. Ac  
rursùm verba illa Exodi explicans, hoc  
est Phasè Domini, Ne existimes, inquit,  
id terrenum esse, quod per eum cœlestè  
factum est, qui panem & vinum in cor-  
pus & sanguinem suum trāsire fecit: Cū  
Dominus noster panem consecratum,  
& vinum discipulis distribueret, sic ait,  
Hoc est corpus meū, hic est sanguis me-  
us: fidem, quæso, ei adhibeamus, in quem  
credimus. Veritas enim mendacium ne-  
scit.

*Decimum nonum testimonium.*

**T**heodoretus quoque libro dialo-  
gum primo transmutationis huius  
meminit, cū de hoc sacramento lo-  
quens, ait, Christum voluisse eos, qui di-  
uina hæc mysteria suscipiunt, non ad re-  
rum, quæ videntur naturas aspiciere, sed  
vt per nominum mutationem in eam  
transmutationem credant, quæ per gra-  
tiam facta est. Cū igitur variationem  
nominum, transmutationem, quæ in i-  
sto sacramento fit, explanare pronun-  
ciat, aperte liquet eum transsubstantiatio-  
nem admittere. præsertim cū Deus, re-  
bus iuxta naturæ proprietatem nomina  
imponat, ac per nominum illorum im-  
mutationem, magnam quoque ijs in re-  
bus commutationem, imò tantam fieri  
denotet, quanta, quamque diuersa est  
nominum illorum significantia. Hæc igitur  
nominum immutatio, substantia-  
rum panis, & vini, & non naturæ eorum;  
id est, non naturalium proprietatum  
transmutationem significat. Naturales  
enim panis ac vini proprietates, (per  
quas quicquid aliquo sèsu exteriori per-  
cipi potest, veluti candor, quantitas, sa-  
por, odor, grauitas, aliaque huiusmodi,  
hic intelligitur) omninò immutatae re-  
manent: Ipsa enim sola substantia est,  
quæ variatur. Vnde cum idem alibi ait  
naturam quæ videtur, in his mysterijs re-  
manere, vt & cum seipso, & cum alijs do-  
ctoribus cōsentiat, atque concordet, eo  
planè modo exponendus est, quo eum  
nūc exposuimus: Nempe vt nomine na-  
turæ, alijsq; similibus verbis, quibus ipse  
vtitur, dictorum iam accidentiū propri-  
etates, ac virtutes intelligantur, quæ hu-  
manis sensibus percipiuntur. Nam cū ipse

commutationē aliquam fieri omninò  
fateatur, aut circa accidentia, aut circa  
ipsam substantiam, illam fieri necesse est.  
Accidentia autem minimè mutari per-  
spicuum est, consequens est igitur solam  
substantiam commutari. Neque enim  
rei mutatur essentia, si illi aliquid quod  
ante nō habebat, adijcitur. Inter creatio-  
nem autem & mutationem interest plu-  
rimum. In illa siquidem res à non esse in  
esse producitur, in hac verò vna eadem-  
que res, quæ iam erat, aliam ac diuersam  
recipit qualitatem, vt exēpli causa, quod  
album erat, mutato colore fit nigrum;  
quod calidum deposito calore, fit frigi-  
dum. Sed hæc spinosiora interim præter-  
mittam, vt alia pro fidei nostræ cōfirma-  
tione patrum testimonia, luce meridia-  
na clariora producam.

*Vigesimum testimonium.*

**R**Eatus Remigius nostræ Galliæ lit-  
mè, & Rhenorum Episcopus in pri-  
mam ad Corinthios epistolam, clarum  
satis pro transsubstantiatione nobis reli-  
quit testimonium. Quem eò lubentius  
etiam huc cito, quod Francorum regem  
qui primus factus est Christianus (cuius  
successores pro summa sua fide, ac in De-  
um pietate, Christianissimi nomen, ac  
gloriam consecuti sunt) in fide erudit, ac  
salutari aqua tinxit. Hic igitur venerā-  
dus Antistes sic ait. Caro illa quæ verbū  
Dei patris in vtero virginis, in suæ perfo-  
næ vnitatem suscepit, & panis qui in Ecce-  
lesia consecratur, vnum ac idem CHRIS-  
TI sunt corpus. Nam quemadmodum  
illa caro, corpus est Christi, ita & panis i-  
ste in eius corpus conuertitur, ita vt non  
duo sint corpora, sed vnum atque idem  
corpus. Quid magis perspicue dici po-  
test? Panis (inquit) & Domini caro in v-  
tero virginali suscepta, non duo, sed vnū  
corpus sunt, postquam panis in Christi  
corpus consecrationis virtute conuer-  
sus est.

*Vigesimum primum testimonium.*

**I**Oannes insuper Damascenus inter  
Græcos vir excellens, non minus cla-  
re de hac nostra transsubstantiatione lo-  
quitur. Si igitur verbum (inquit) DEI  
viuens est, & efficax, & omnia quæ-  
cunque voluit Dominus, fecit: si di-  
xit, fiat Lux, & facta est, fiat firma-  
mentum, & factum est, si verbo DEI  
cœli firmati sunt, & spiritu oris eius  
omnis

omnis virtus eorum; si cœlum, & terra,  
aqua, ignis, & aer, & omnis ornatus eo-  
rum, verbo Domini perfecta sunt, & ho-  
mo ipse diuulgatum animal: Si volens  
ipse Deus verbum, factus est homo, & san-  
ctæ virginis purissimis, & illibatissimis  
sanguinibus in seipso sine semine carnē  
sustentauit; non potest panem, sui ipsius  
corpus facere, & vinum & aquam san-  
guinem? Dixit in principio, Producat  
terra herbam virentem, & vique nunc  
pluuia facta producit germina diuino  
coadiuta, & vigorata præcepto: Dixit  
Deus, Hoc est corpus meum, & hic est  
sanguis meus, & hoc facite in meam cō-  
memorationem, & omnipotenti eius  
præcepto, donec veniat, efficitur, Sic  
enim dixit, & fit pluuia huic nouæ agri-  
culturæ per inuocationem spiritus sancti  
obumbrans virtus, nam quemadmo-  
dum omnia quæcunque fecit Deus, spi-  
ritu sancto cooperante fecit: sic & nunc  
spiritus sancti operatione hæc super na-  
turam operatur, quæ non potest capere  
niſi sola fides. Quomodò fiet mihi istud,  
dixit sancta virgo, quoniam virum non  
cognoſco? Respondet Gabriel Archang-  
elus. Spiritus sanctus superueniet in te,  
& virtus altissimi obumbrabit tibi. Et  
nunc interrogas quomodo panis fit cor-  
pus Christi, & vinū & aqua sanguis Chri-  
sti? Respondeo tibi & ego. Spiritus san-  
ctus obumbrat, & hæc operatur super  
sermonem & intelligentiam, panis autē  
& vinum transsumuntur. Nouit enim  
Deus humanam infirmitatem, quod cō-  
plura vsu non trita auersatur, molestè fe-  
rens. Assueti igitur condescensu vsus,  
per consueta naturæ ea facit, quæ sunt su-  
per naturam. Et quemadmodum in ba-  
ptismate (quia consuetudo hominibus  
est, aqua lauari, & oleo vngi) coniunxit  
oleo, & aquæ gratiam spiritus sancti, &  
fecit illud lauachrū regenerationis: hūc  
in modum, quia mos est hominibus pa-  
nem manducare, & vinum & aquam bi-  
bere, coniunxit his ipsis suam diuinita-  
tem, & fecit suum corpus, & sanguinem,  
vt per assuetam, & hæc quæ sunt secundum  
naturam, in ijs quæ sunt super naturam  
collocemur. Corpus enim quod ex san-  
cta virgine, corpus est secundum verita-  
tem, iunctum est diuinitati, non quod ip-  
sum corpus assumptum ex cœlo descē-  
derit, sed quod ipse panis, & vinum trās-

mutatur in corpus & sanguinem Dei. Si  
autem modum requiris, quo nam pacto  
fiat, fit tibi audire, quoniam per spiritū  
sanctum, quemadmodum ex sacra Dei  
para, seipso, & in seipso Dominus carnē  
sustentauit: Et nihil amplius cognosci-  
mus, quàm quod Dei verbum verū est,  
& efficax & omnipotens, modus autem  
inſcrutabilis. Deinde paulò inferius ex-  
emplum aliud adfert, quo, facilius hanc  
de qua agimus, transsubstantiationem  
intelligere possimus. Neque etiam hoc  
dictu promptum (inquit) quomodo na-  
turaliter panis per comestionem, & vi-  
num & aqua per potionem, in corpus &  
sanguinem bibentis, & comedentis trās-  
mutantur, & non in aliud corpus, præter  
id quod prius erat ipsius. Sic & proposi-  
tionis panis, & vinum, & aqua per inno-  
cationem, & aduentum spiritus sancti  
supernaturaliter transmutantur in cor-  
pus & sanguinem Christi, & non sunt  
duo, sed vnum & idem. Non est enim fi-  
gura panis & vinum corporis & sangui-  
nis CHRISTI (absit enim hoc); sed &  
ipsum corpus Domini deificatum, ipso  
Domino dicente, Hoc est corpus meum,  
(non figura corporis) sed corpus, & non  
figura sanguinis, sed sanguis. Nunquid  
clarius exponi posset, quomodo hæc  
transsubstantiatio fiat? minimè verò.  
Atqui hic doctor non modo ex antiqui-  
oribus, verum etiam ex celebrioribus, tã  
apud Græcam, quàm Latinam Ecclesiã,  
semper habitus fuit.

*Vigesimum secundum testimonium.*

**T**heophylact⁹ in eruditissimis in no-  
uum testamentum commentarijs  
suis, idem pluribus in locis confitetur. In  
Matthæum, cū cœnæ Dominicæ verba  
exponens, ita refert. Porro dicens, Hoc  
est corpus meum, ostendit, quod corpus  
Domini est panis, qui sanctificatur in al-  
tari, & non respōdens figura. Non enim  
dixit, hoc est figura, sed, Hoc est corpus  
meum, Ineffabili enim operatione trās-  
formatur, etiam si nobis videatur panis,  
quia infirmi sumus, & abhorremus cru-  
das carnes comedere, maximè hominis  
carnem, & idè panis quidem apparet,  
sed re vera est caro. Quid liquidius dici  
queat? In Marcum quoque sic ait: Non  
enim figura tantum, & exemplar quod-  
dam corporis Dominici panis est, sed in  
illud ipsum conuertitur corpus Christi.  
Domi-

Domini enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est, non dixit, figura carnis meae, sed caro mea est. In Ioannem denique, Attende (inquit) quod panis, qui à nobis in mysterio manducatur, non est tantum figuratio quaedam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura est carnis, sed caro mea est: Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem spiritus, in carnem Domini. En manifestè satis (nisi planè cœci simus) hic dicitur, stupendam hanc conversionem panis in carnem, & vini in sanguinè Christi, in hoc sacramento fieri.

*Vigesimum tertium testimonium.*

**R**emigius Antiodorensis Episcopus, qui floruit anno Domini 882. canonem missæ exponens, disertè admodum de hac ipsa conversione pronunciat. Si in veritate est corpus Christi (inquit) quare appellatur mysterium? Propterea utique, quia post consecrationem, aliud est, & aliud videtur. Videtur siquidem panis, & vinum; sed in veritate corpus Christi est & sanguis.

*Vigesimum quartum testimonium.*

**R**abanus doctor perantiquus, qui floruit anno Domini 885. nihil post consecrationem, in hoc sacramento præter Christi corpus esse, ingeritè asserit. Omnia quæcumque (inquit) Dominus voluit, fecit in cœlo & in terra. Et quia voluit, ut in sacramento altaris, eius corpus, & sanguis esset, idque sub figura panis, & vini. (Ait cum discipulis suis, Hæc est caro mea pro mundi vita) Nihil aliud ergo facta consecratione, quam ipsius Christi caro est. Illa ipsa (inquam) caro, quæ de virgine nata est, quæ crucifixa est, quæ & de sepulchro rediit in terram.

*Vigesimum quintum testimonium.*

**P**ascalius in libro de Eucharistia, postea quam omnia ex Dei voluntate pendere, eamque omnium rerum causam esse dixisset, tandem infert: Patet igitur (inquit) quod nihil extra, vel contra Dei voluntatem potest, sed cedunt illi omninò omnia. Et idè nullus motetur de hoc corpore, & sanguine Christi, quod in mysterio vera sit caro, & verus sit sanguis, dū sic ille voluit, qui creavit. Omnia enim quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra. Et quia

voluit, licet figura panis & vini hic sit, tamen omninò nihil aliud, quàm caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa veritas ad discipulos, Hæc (inquit) caro mea est pro mundi vita. Et (v. mirabilius loquar) non alia planè, quàm quæ nata est de Maria, & passà in cruce, & surrexit de sepulchro. Deinde pluribus veteris testamenti miraculis conversionem hanc Deo possibilem esse, ac ipsam Deum facere voluisse, comprobatur, atque ita concluditur: Vnde quia sic voluit, ut caro eius esset, & sanguis in hoc mysterio. In nullo dubites, si Deum credis, sed vera fide habeas in animo, quod hæc est caro illa, quæ oblata est pro mundi vita; quam qui dignè comederit, mortem non videbit in æternum.

*Vigesimum sextum testimonium.*

**S**tephanus Heduenensis Episcopus, qui anno 950. à Christo nato floruit, in libro de sacramento altaris, idem de conversione ista docet, quod & nunc Ecclesia Catholica. Itaque (inquit) fides nostra est, & verè credendum est, quod sacerdoti præferente hæc verba, Hoc est corpus meum, iam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de cœlo descendit; mediator Dei & hominum; Iesus Christus. Item virtute verborum istorum, Hic est calix sanguinis mei & c. vinum convertitur in sanguinem Christi.

*Vigesimum septimum testimonium.*

**F**ilbertus quoque Carnutensis Episcopus pro nobis facit: Dubitari nefas est, inquit, ut ad cuius nutum cuncta subito ex nihilo susciterent, si pari potètia in spiritualibus sacramentis terrena materies, naturæ & meritum generis sui transcendens, in Christi substantiam commutetur, cum ipse dicat, Hoc est corpus meum. Et paulo post, Hic est sanguis meus. Si Deum omnia posse credis, & hoc consequitur ut credas, nec humanis disputationibus discernere curiosius insistentes, si creaturas, quas de nihilo potuit creare, has ipsas multò magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem convertere, & in sui corporis substantiam transfundere.

*Vigesimum octavum testimonium.*

**A**nselmus in primam ad Corinthios Epistolam, hæc verba tractans: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine,

sanguine, Nec mirum (inquit) quod de pane, & vino, carnem & sanguinem suscipit. Nam & in quolibet homine, carnem & sanguinem, de pane & vino fecit, quia panis comestus convertitur in carnem, & vinum potatum vertitur in sanguinè, per creatoris operationem.

*Vigesimum nonum testimonium.*

**H**aimo ab hinc annis 700. aut circiter, priorem ad Corinthios epistolam explicans, ad illa verba, Vnus panis, & vnum corpus, multi sumus, disertè, panem in Christi corpus converti asserit. Caro, inquit, quam verbum Dei patris assumpsit in vtero virginali, in vnitæ suæ personæ, & panis qui consecratur in Ecclesia, vnum corpus Christi sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed vnum corpus.

*Trigesimum testimonium.*

**L**anfrancus in libro de veritate corporis Domini in Eucharistia, quæ adversus Berengarium scripsit, vniuersam, per totum orbem Christianum, Ecclesiam, realem substantiæ panis, in corpus Dominicum conversionem, suo sacculo confessam fuisse testatur. Confiteatur enim (inquit) Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, panem & vinum ad consecrandum proponi in altari; sed inter sacerandum incomprehensibiliter, & ineffabiliter, in substantiam carnis & sanguinis commutari.

*Trigesimum primum testimonium.*

**M**ultò sane numerosiore patrū, qui iam dictos aut præcesserunt aut subsequuti sunt, multitudinem, veluti Isidorum, Bedam, Guidmondum, Algerum, Hugonem, Lingonem, Bernardum, totumque doctorum, qui hos secuti sunt, exercitum, huc adducere possemus. Cæterum ut triginta, & vnius numerum compleamus, quo & patrum nostrorum aduersarios facile nos victuros arbitramur, vnius tantummodò Ruperti testimonium hic adhuc subiiciemus. Hic nimirum adèò eleganter, & erudite scripturas sacras exposuit, ut ad veterum illorum doctorum gravitatem ac maiestatem quam proximè accesserit. Adde quod & hic libro de operibus spiritus sancti tertio, & in commentarijs super Ioannem, materiam hanc intimè, ac medullitus penetrauit, discuf-

sit, expendit. Tertio igitur de operibus spiritus sancti libro, de Christo loquens, sic ait: Panem communem accepit, sed benedicendo longè in aliud, quàm fuerat, transmutauit, ut veraciter diceret sic, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Item vini substantiam accepit, sed itidem gratias agendo vel benedicendo, sic in aliud vertit, ut diceret veritas, quæ non mentitur, Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Sed non videtur oculis carnis, non sentitur gustu oris, quod panis ille caro Christi factus sit, quod vinum illud in sanguinem verum sit. Nimirum, si videretur color, aut sentiretur sapor carnis, & sanguinis humani, homini non plus salutis, sed plurimum adferret horroris. Sic ergo est corpus, vel caro, & sanguis Christi, quomodo esse vel ad vsum nostrum conuenit, & ad salutem nostram sufficit: Vides quàm eruditè præclarus iste doctor rationem reddat, cur Christi corpus realiter quidem (sed inuisibiliter tamè) in isto sit sacramento, & quod panis ac vini species quidem appareant, quanquam illorum interim substantia in ipsius Christi corpus, & sanguinem conuersa sit. En quantus veterum patrum numerus, qui omnes vno, eodèque consensu conversionem hanc (quæ nos transubstantiationè nuncupamus) in hoc sacramento fieri asseuerant: Quorum testimonia & ad fidei nostræ confirmationem, & ad aduersariorum perfidiam reuincendam, satis multa produximus. Nunc ad reliqua pergamus.

*Quid studiosus lector agere debeat, postquam horum 31. doctorum testimonia, quæ pro transubstantiatione superius citauimus, perlegerit.*

CAPVT LXV.

**B**ene uolos lectores, ut me excusatum habeant, hic precabor, si eorum quicquam, me tot auctores ob vnius rei probationem citando, æquo prolixiorum fuisse arbitrantur. Id enim, ut facerem, pluribus, ijsque iustissimis de causis adductus sum. Primum quod aduersarij, cum duo aut tria tantummodò veterum testimonia eis citantur, illa statim falsa, & extorta expositione, & glossa aliqua præuertere

Anno Domini 1010. In epistola ad adu datum.



uertere conantur. Ceterum tãtam multitudinem, quantam in medium produximus peruertere, non parum ipsis fuerit aut temporis aut laboris, imò nunquam eos id efficere posse, plus satis intelligo. Deinde verò nònulli lectores huiusmodi sunt, qui tribus, aut quatuor veterum patrum testimonijs, aut nihil aut certè parum commouentur, verum cum tam copiosam eiusdem omninò consensus, ac de vna, eademq; re eodem planè modo diffinitem multitudinem conspexerint, admodum profectò pertinaces, ac duræ cervicis sint oportet, si non persuadentur, vt tantæ multitudinis, totq; sanctissimorum virorũ diffinitionem, sententiam, ac fidem sequantur: Tertio lectori ostendere volumus, quemadmodum antiqui illi doctores, verbum Dei (super quod transsubstantiationis fundamentum collocauimus) eodem planè modo, quo & nos, exposuerint. Quod ex eo manifestissime liquet, quod omnes illi, quos superius citauimus, istud Dei verbum, Hoc est enim corpus meum: Item istud, Panis quem ego dabo caro mea est, acceperint, vt sepius iam dictam substantiæ panis, in corpus Christi conuersionem comprobarent. Atqui hoc, vt diligenter lector animaduertat, magnoperè velim. Plus enim ponderis habet, quàm fortasse putetur. Neque enim illi, quemadmodum nos fecimus, digito, vt dicitur, demonstrarunt, quoniam modo illa conuersio, ex verbo Dei per bonam consequentiam necessariò inferatur. Attamè illi eodem planè modo, quo & nos, id intellexerunt, tamen interim id arte ipsa probare dissimularint. Idque idè (vt opinor) quia (vt aiunt Rhetores) caput artis est dissimulare artem. Nos autem eam inducere compulsi sumus, partim ob incredibilem aduersariorum nostrorum pertinaciam, partim ob temerariam Iudicum quorũdam præsumptionem, qui cum nullius planè artis, qua de cõtrouersia hac rectè iudicare valeant, periti sint; se nihilominus, vt sententiam dicant, sumpta censoria virgula, impudenter ingerunt, non secus, ac si totius mundi sapientissimi essent. Hoc igitur negotium aggredi, istũque laborem subire coacti sumus, vt huiusmodi hominibus ignorantiam ac præsumptionem suam ostenderemus.

Quartò (vt vnde digressi sumus nostra redeat oratio) numerosam hanc doctorum turbam in medium adduximus, vt sedulò cogitet, aut vt cogitandi saltem occasionem lector habeat (si modò rectò rationis iudicio, si sincerè veritatem ipsam indagare, ac cognoscere studeat) an ne res discriminis plena ac admodum periculosa sit, tot sapientissimorum, pariter, ac sanctissimorum virorum auctoritatem contemnere, vilipendere, respicere, vt pro ijs homines nescio quos, apostatas, deliros, phanaticos, qui nullius propemodum sint eruditionis, nullius pietatis, sed qui magnæ potius sint præsumptionis, ac temeritatis, recipias, amplectaris, exosculeris? Nonne igitur tutius est, veteranos illos CHRISTI milites sequi, qui sic feliciter in magno illo diuinarum scripturarum mari nauigantes, mercibus & rate (vt aiunt) integra euaserunt; vbi parua, ac simplici salua frequenter nauicula, magni interim gigantes nõ raro submergantur. Quæ cum ita sint, magnam hanc testimoniorum turbam, lectori, qui ea rectè vti nonerit, neque impedimento, neque fallidio esse posse arbitror. Hinc enim habet Catholicus, vnde tranquillo consistat animo, cum fidem suam, rãtorum virorum fidei consonam esse perspexerit, qui in illa ipsa fide & viuentes, & morientes, Deo semper grati fuerunt, ac in amœnis iam paradisi locis beati triumphant. Dubius autem ac in vtramque partem vacillans, similiter quoque habet, vnde nutantem animi sui trutinã retentet, ac ad tot grauissimorum virorum pondus desistere compellat, vt omni prorsus ventosa nouarum istarum opinionum nouitate reiecta, tam illibati numilinitatis fidem recipiat atque amplectatur. Si quis autem adhuc in errore versatur, habet vnde illum corrigat, & ad tantorum DEI amicorum solidam sanctamque fidem reformet, maximè vbi animaduertit, magnæ temeritatis, ac ingentis impudentiæ esse, aut dicere, aut credere illos omnes sanctissimos patres, à vera ac genuina verbi Dei intelligentia, quam ipse solus ingenij sui magnitudine iam recenter nescio vbinam indagauerit, tot sæculis aberrasse: Quemadmodum ergo in militari acie, quod vnus aut alter gregarius miles præstare non potest, numerosa id cohors

hòrs facillè exequitur; ita & in hoc conflictu aduersus fidei nostræ hostes, quod vnus aut alter tãtummodò Ecclesiæ doctor à nobis citatus præstare non potuisset: 20. aut 30. quos aduersus eos, in campum aciemque produximus, facile (vt confido) eorum copias fundent, vt & à fide perfidia, & mendacium à veritate vincatur.

*Hac numerosa patrum citatione, aduersariorum, qui dicere non dubitarunt, hanc panis, in corpus Christi conuersionem, antiquis Patribus incognitam fuisse, impudens mendacium ostendi.*

## CAPVT LXVI.

**M**artinum Lutherum, omnium sæculi nostri hæreticorũ patriarchã scribere non puduit, transsubstantiatione trecentenariam esse inuentionem, hoc est, à trecentis tantummodò annis in Ecclesiã prædicatam fuisse. Philippus quoque Melanchthõ primari? Augustanæ confessionis (quæ ann. 1530. Potētissimo Imperatori Carolo V. oblata fuit) architectus, cæterique protestantium ministri, qui in ea confessione se tum consentire fingebant, veriti non suere scripto tradere, iam dictam transsubstantiationem, antiquis patribus omninò incognitam fuisse. At tum quidem non de transsubstantiationis nomine agebatur, sed de re per ipsam significata, nimirum de panis, in substantiam corporis Dominici conuersione, quam ipsi vsq; & vsque pugnaciter perinegant, dicentes eam antiquis patribus inauditam fuisse. Idem & Calvinista somniat, quippe qui maiori ex parte nouos illorũ errores sequitur. Ceterũ quisquis loca à nobis superius citata attentè perlegerit, eos aut turpiter errare, aut impudenter mentiri, facillè intelliget, imò eos omnes, aut deceptores, aut ignaros, aut temerarios esse, absque villo negotio deprehendet. Magnæ enim præsumptionis, nedicam insanix, dicere transsubstantiationem antiquis patribus incognitam fuisse, si eorum lucubrationes aliquãdo viderunt. Sin minus, ingens animi eorũ peruersitas erat, in fidei suæ confessione tam impudens mendaciũ collocare. Nã eniuuis æqui lectoris iudiciũ appello, quæ eas quas superius posuimus, veterum sententias lectitauerint; nisi impudētissimè mentiti fuerint, cum transsubstantia-

tionẽ antiquis patribus planè incognitã fuisse dicerent, hoc est quod per eam significatur: non enim hic de nomine, sed de re significata differimus, circa quã vera ac genuina antiquorũ patrum fides cõsistebat, ita vt nomen istud (transsubstantiatio) non idè inuentum sit, vt nouus aliquis fidei articulus cõderetur, verum vt veterum patrum recta fides, quã quorundam impiorum hominum ingenia fallaciter subuertere conabatur, cõmodius explicaretur. Vt enim nomen illud (quod 109 siue (consubstantialitas) non idè sanè à Niceni concilij patribus institutum est, vt noua aliqua fides credentibus obtruderetur; sed vt quænam germana verorum Christianorum fides antè illud concilium erat, semperque fuerat, clarius digito monstraretur. Quippe antè illud concilium omnes semper fideles, patris ac filij in Trinitate consubstantialitatem crediderant: Sic & Conciliũ Lateranense nullam planè mundo nouellam fidem inuexit, cum nouã illiusmodi vocẽ Christianis proponeret, sed tantummodò quænam iam antea semper, toto Christiano orbe, credentiũ fides fuisset, manifestius ostendit. Id ita se habere, haud difficulter (meo quidẽ iudicio) animaduertet, quisquis à nobis superius posita veterum testimonia diligenter cuoluet. Ego verò nescio quis infernalis furor captiuos istorũ discipulos teneat, vt huiusmodi Magistròs sequatur, quos cū ad eò parèter mentiri audiant, vt velut digito ipsorũ mendacia ostendi queant; nihilomin? tamen nouellæ eorũ doctrinæ semper adharèt, ac semper ulterius in malum proficientes, quotquot illi præclari scilicet Architecti frabricantur errores, eos p veritate suscipiunt ac mordicus retinēt. Quid sibi (quæso) vult hoc, nisi eos planè à DEO relictos esse, vt in mentem reprobam tradantur? Ceterum missos illos faciamus, vt nonnulla patrũ testimonia, quæ contra transsubstantiationem, aduersarij profèrunt, explicemus, istorumq; impiam vanitatẽ refutemus.

*Ad nonnulla, quæ aduersarij citatis quibusdã obscuris veterum patrum sententijs, per hoc errori suo antiquitatis colorẽ tribuere putantes, obijcere solent, responsio.*

## CAPVT LXVII.

**Q**uæadmodum aduersarij obscura quædam diuinarũ scripturarũ loca citare cõsue-

uerunt, inde paralogismos, ac falsas ex illis consequentias elicentes; ita & in veterum libris nonnullas subobscuras, aut ab ipsis truncatas ac mutilas, ab eo quod veram illarum intelligentiam facile monstrare possent, refecatas sententias peruestigarunt, vt hac nimirum ratione, nouellis suis opinionibus, antiquitatis colorem ac patrociniū emendarent. Ceterum tanta est illorum, quæ superius posuimus, testimoniorum perspicuitas, vt attentus ac veritatis studiosus lector, qui ad ea recursum semper habuerit, ita se in vera antiquorum illorum patrum sententia, ac fide confirmare possit, vt nullum ei omnino periculum sit, ne vllis aduersariorum mandris, aut adulterinis allegationibus inuoluitus, ab ijs mendacio fallente capiatur. Nos interim certas quasdam hic (quibus commodius, de ijs quæ ipsi allegant, iudicari possit) regulas assignabimus, quibus tanquam Theſei filo, rectè obseruatis, tutius per illorum fraudes atque labyrinthos, quiuis ingredi possit.

*Prima regula.*

**I**llud igitur imprimis animaduertendum est, antiquissimos illos patres, quibus primis illis sæculis, antè quàm fidem Christianam orbis amplexus est, hac discretione prudentiaque vsos esse, vt non nisi obscure, ac tectis verbis de sublimibus fidei nostræ mysterijs agerent, idque idcirco sanè, nè fidem nostram gentilibus suis, ac ludibrio exponerent. Ipsis etenim concionantibus, omnis generis auditores assistebant. Aderant siquidem veri ac perfecti Christiani, aderant cathecumeni, Pharisei, Iudæi, Pagani, ac ceteri id genus, qui vana nonnunquã curiositate, nonnunquã verò vt religionis nostræ irridendæ occasionem inuenirent, ad templa & sacras conciones confluebant. Quò fiebat, vt cum illi de sacramentorum nostrorum mysterijs verba facere vellent, eiusmodi arte loqui compellerentur, quæ & perfecti Christiani dimidiato veluti verbo, veritatem ipsam intelligerent, & imperfecti scandali locum non haberet, & aduersarij nullam irridendi ansam reperire possent. Quocirca mirandum non est, si illi de sacramentorum nostrorum mysterijs obscure admodum loquatur.

Cum enim vererentur, ne in Porphyrij alicuius, aut Celsi, aut similis cuiusquam irrisoris manus, eorum libri inciderent: ea quæ de sublimibus fidei nostræ articulis credebant, clarè & apertè scribere non audebant. Atqui inter difficillimos fidei nostræ articulos, cum qui de reali corporis Christi, in hoc augustissimo sacramento præsentia, deque eius manducatione agit, esse constat, vt potè ratione cuius, tantoperè philosophi religionem nostram ludibrio habuere, vt dicerent, se neque stultiores vnquam gentem, neque quæ absurdiora, quàm Christiani, crederent, vidisse. Hinc accidit, vt tam multa in illorum patrum scriptis ad eò obscura & ambigua reperiantur, vt quidnam illi dicere voluerint, vix intelligi possit. Vnde Diuus Augustinus, quoties cum huiusmodi hominibus concilium erat, de his mysterijs loquutus, commonitorio quodam genere apud fideles utebatur. Dicebat enim, Non sunt fideles, quidnam velim. Ceterum quando cum solis Christianis loqueretur, tunc ingenuè, ac confidenter, quæ de huiusmodi mysterijs credenda erant, proferebat. Quisquis autem igitur veterum patrum fidem, ac sententiam consequi cupit, eam ex ijs locis, in quibus illam fidelibus ingenuè, & clare explicuerunt, sumat necessè est.

*Secunda regula.*

**A**ntiqui patres obiter nonnunquã, ac veluti in transcurso, & non ex proposito, de his mysterijs tractarunt, quo fiebat, vt obiter tantummodo aliqua eorum partem contingerent. Alij verò consultò plane, & ex studio hæc enodanda sumebant. Vnde vt addiscamus quanam germana eorum fuerit fides, ea loca inspicenda sunt, in quibus ex studio hanc explicauerunt.

*Tertia regula.*

**Q**ui prius, quàm Christi fidem orbis amplexus est, scripsere, quia nonnùmquam de industria obscuri esse volebant, imò & cum clare de huiusmodi mysterijs loqui vellent, verba propria in cõmuni hominũ vsu recepta nondum habebant, vt proprie, quòd significare cupiebant, exprimerent, ita vt pro suo tunc arbitrato, quisque ijs, quibus vellent, verbis uteretur, eo factum est, vt nonnulla inter veteres

contra

contradictio esse videatur, quæ facile dissoluitur, cum obscura eorum loca, cum ijs, in quibus quænam eorum esset fides, simpliciter exponunt, quæque clariora sunt, conferuntur.

*Quarta regula.*

**Q**uotquot ab eo tempore, quo Ecclesia veris tantummodo Christianis replentur (cum omnes fidei nostræ hostes, ac irrisores diuinorum testimoniorum robore iam conuicti, ipsam recipere, ac errores suos relinquere cogentur) omnes (inquam) quotquot ab eo tempore scripserunt clarè ac disertè de admirandis sacramenti huius effectibus, ac alijs incomprehensibilibus, quæ in eo continentur, rebus, loquuntur. Siquidè liberè, ac confidenter coram toto orbe dicere, ac scribere poterant, quæ ipsi credebant. Quò fit vt horum libri de reali corporis Christi in hoc sacramento præsentia, deque panis ac vini in corpus, ac sanguinem eius conuersione clariùs, ac manifestius tractent. Quocirca liberius atque audacius ab eis pro fidei nostræ cõfirmatione testimonia expeti possunt. Nam quod alij vetustiores, ob causas superius expositas, clarè & apertè scribere verebantur: ij plena cum libertate & absque vllò profus periculo, ne aut scripta sua, aut fidem, aliorum ludibrio, aut scaldalo exponerent, efficere potuerunt.

*Quinta regula.*

**C**eterum in omnibus istis vniuersalibus quædam obseruanda est regula, nempe obscuriora doctorum loca ad ea, quæ clariora sunt, referri oportere: Ea enim certissima addiscenda: veritatis est methodus, vt ex ijs, quæ per se iam satis nota sunt ad incognitã perueniamus. Vnde Arnobius in psalmum 41. Quæ in scripturis (inquit) dilucida sunt, præiudicium pati ab obscuris locis non debent.

*Sexta regula.*

**A**d hæc etiam si nonnulli, puta duo aut tres reperirentur, qui aliquo modo in transsubstantiationis præiudicium, ita disertè & clarè loquerentur, vt eorum verba cum aliorum doctorum verbis, qui in maiori numero essent, honesta aliqua expositione concordare non possent, particulares illorũ duorũ aut trium opiniones omnino deferenda sunt, vt vniuersalem, & Catholicam

sequamur. Exempli gratia, si duo aut tres inueniantur, qui cum triginta, aut quadraginta, qui ipsis opponi possunt, non omni ex parte consentiunt, cõmunitia multorum suffragia amplectenda erunt, & paucorum iudicia deferenda. Id ita facile probari potest. Collectio illa doctorum, quàm ex vnoquoque sæculo ab ipsis statim Christianissimi initio congestimus, vt transsubstantiationem cõprobaremus: est velut generale quoddam Concilium. Quemadmodum igitur in Concilio Oecumenico propter vnum aut alterum, qui cum cæteris non conueniunt, non relinquitur infectum negotium, nec committitur vt de rebus cõtrouersis, cum cæteri inter se conueniunt, sententia non feratur: Ita & in hac Doctorum congregatione, quàm paulò antè fecimus, si veterum vnus aut alter reperiat, qui non clarè satis exposuerit id, quod alij non modò disertè, clareque scripserunt, verum etiam publicè confessi sunt, non idè vt ex ea parte, quæ longè plura abundant suffragia, sententiam dicamus, prorogare debemus: Tum enim particularitas relinquenda est, vt vniuersitatem sequamur. Iam celeberrimorum atque præstantissimorum totius Ecclesiæ Catholicæ Doctorum de transsubstantiatione sententiam audisti; proinde si vnus aut alterius dimidiatã fortasse sententia ex opposito tibi obijciatur; tamen interim in promptu habeas, vnde huiusmodi obiectioni probè respondeas, tibi attamen dicere suffecerit, generalem, ac communem omnium aliorum consensum (qui particulari illi vnus, aut duorum longè præferendus est) à parte tua stare. Id enim si sedulo obseruaueris, omnia pericula, quò minus in errorem aliquem incidas, facile vitabis ac fugies, qualecunq; tandem ex aduerso strophæ tibi obtrudantur.

*Septima regula.*

**O**mnino impossibile fuerit aduersario, vt illa triginta & vnum testimonia, quæ superius pro transsubstantiatione citauimus, cum vno aut altero, quod ipsi ex opposito adferunt, conciliant. Imò ea quæ ipsi citant, cum nostris facile conueniunt, si iam dictæ eis accommodentur regulæ. Ad hoc igitur omnibus modis elaborandum est; & non vt tantum clara testimonia, tamque liquida & ma-

ifesta sanctorum veterum patrum fides quam publicè confessi sunt, adu-  
retur, vt cum vno aut altero, imò cum  
impia (potius dixerim / huius tempesta-  
tis hereticorum incredulitate concilien-  
tur. Nunc igitur, vt ea quæ modò dixi-  
mus, eò accommodemus, vt discat Le-  
ctor, rectè de ijs quæ in tota hac causa ad-  
feruntur, ex arte iudicare, dico nihil con-  
tra transubstantiationem afferri posse,  
quin facilè dictarum iam regularum v-  
na, aut altera ad id accommodata, eua-  
cuari, ac dissolui queat. Imprimis itaq;  
non multum elaborabimus, vt ad ea quæ  
aduersarij nobis ex Gelasio Papa, ac  
Theodoro ( vt panis substantiam post  
consecrationem in hoc sacramento re-  
manere demonstrent ) obijciunt, respon-  
deamus: Quippe regulis superius positis  
haud difficile eis respondere fuerit. Atta-  
men vt regularum nostrarum praxim o-  
stendamus, hac de re non nihil discerem?  
Ante omnia ergo animaduertendū est,  
disputationis nostræ legem eiusmodi fu-  
isse, vt ex ipsis scripturis, Maiorum no-  
strorum fidem veram esse comprobare-  
mus. Cùm igitur ex scripturis transub-  
stantiationē necessariam esse ostenderi-  
mus, vt verbum DE I ratum sit, & quod  
veteres, quos superius recensuimus, sen-  
tentiam suam ex scriptura confirmant,  
& quod illi, qui dictam transubstantia-  
tionem negant, nullum penitus clarum  
& apertum scripturæ locum in medium  
producere valeant, quò eam minimè re-  
quisitam esse demonstrent, via tutissima  
cerrissimaque est, vt eos qui scripturas  
proferunt, sequamur, ac eos, qui alterius  
opinionis sunt, relinquamus. Cæterum  
nos tanto rigore in hoc præsertim argu-  
mento vti nolumus, maxime cùm pro-  
certo nobis persuasum habeamus, eos,  
quos ipsi citant, Doctores, ex regulis su-  
perius constitutis, cum alijs absque vllò  
prorsus negotio conciliari posse. Prin-  
cipio igitur dicimus, duos illos patres, eo  
tempore scripsisse, quo obscure adhuc  
de sacramento huius mysterijs sermo fie-  
bat, cùm necdum scilicet constitutum  
esset, quibus verbis vtendum foret, vt res  
tam admirabilis elucidaretur. Vnde Ge-  
ladius, cùm panem & vinum operatione  
spiritus sancti in diuinam substantiam  
transire dixisset, vt ostenderet, nihil ob-

stante diuina huiusmodi transmutatio-  
ne panis ac vini accidentia in sua inte-  
gritate permanere, hac dictione ( sub-  
stantia ) aut ( natura ) vsus est, dicens, ip-  
sam substantiam aut naturam in hoc sa-  
cramento remanere. Cùm ergo sub-  
stantiam aut naturam diceret, proprijs  
se verbis indigere ostendit, vt id signifi-  
caret, quod exprimere volebat. Nam cū  
substantiæ verbo vsus esset, vt id corrige-  
ret, naturæ nomen adiecit, dicens, sub-  
stantiam aut naturam remanere. Natu-  
ræ igitur nomen, additum substantiæ, ni-  
hil aliud, quàm eius, quod dixerat, cor-  
rectio est. Animaduertebat enim se  
prius dixisse, panem & vinum operatio-  
ne spiritus sancti, in diuinam transire  
substantiam. Dicere igitur volebat, eor-  
um substantiam in carnis filij Dei sub-  
stantiam transmutari. Cùm enim acci-  
dentia in sua integritate permaneant,  
commode designari non posset, quidnā  
de pane in corporis filij Dei substantiam  
commutatam esset; nisi dixerimus, ip-  
sum esse, quod nos ad Dialecticos rigo-  
rem, substantiam propriè nuncupamus.  
Geladius igitur cùm panis substantiam  
in diuinam substantiam conueriti se di-  
xisset animaduertebat, & quod eò euasif-  
set, vt panis substantiam ibi remanere di-  
ceret, seipsum statim corrigit, ac etiam  
exponit, ostendens quo sensu substantiæ  
nomen accipiat, cùm naturæ vocabulū  
addit, dicens substantia aut natura. Vnde  
& cùm vulgò de herbarum, lapidum, pi-  
scium, ac similibus rerum natura loqui-  
mur, non de earum substantia, sed de  
earum accidentibus, ac naturalibus pro-  
prietatibus loquimur. Atqui ad hunc  
sane modum Doctoris huius verba ex-  
ponamus, necesse est, nisi illum sibi ipsi  
contradicere, secumque pugnare dica-  
mus, ita vt in vna eademq; oratione pa-  
nem in diuinam substantiam transmu-  
tatum asserat, ac quod illius nihilominus  
substantia, accidentia, & qualitates in sua  
integritate permaneant. Quod idem est  
ac si diceret, ipsum in aliam substantiam  
commutatam esse, nec quicquam eius  
tamen in illam transmutatum. Quæ sa-  
nè propositio manifestè seipsam destru-  
it. Quid proinde restat, nisi vt dicamus,  
ipsius rei obscuritatem, ac propriorum  
verborum, quibus eam prout intellige-  
bat,

bat, exponeret, inopiam cum compu-  
lisset, vt diceret, panis substantiam post  
transmutationem à spiritu sancto factā  
remanere? Cæterum paulò antè sapi-  
enter admodum de panis transmutatio-  
ne, seu ( vt nunc vulgò dicimus ) trans-  
substantiatione loquutus fuerat, quod  
quidem verbum, si tunc temporis in vsu  
fuisset, nō est dubiū, quin eò lubenter v-  
sus esset. Nā mutatio illa, que, vt fiat, spiri-  
tus sancti virtute opus est, mirifica est, ac  
talis planè, quæ omnē puræ creaturæ ro-  
bur, ac potentiam longè exuperet. Non  
est igitur transmutatio hæc, de qua hic ag-  
git Geladius, eo modo spiritualis, quo  
modò eam esse nouelli isti Sacramen-  
tarij existimant: nec est huiusmodi, vt sola  
fide peragatur, quemadmodum ipsi eam  
fieri somniant. Ad hæc autem respon-  
deo, necdum satis constare, cuiusnam  
sint hæc verba, quæ aduersarij Gelasio at-  
tribuunt. Siquidem adhuc sub iudice lis  
est, vtrumne ea Gelasij sint, an cuiusquā  
alterius, Quocirca non magnoperè, vt  
huiusmodi obiectioni respondeatur, la-  
borandum est, præsertim cum non mi-  
nus ea pro nobis, quàm contra nos faci-  
at. Illis etenim verbis Geladius, panis  
in corpus CHRISTI mutationem ap-  
probat, quocumque tandem modo, ea,  
quæ postea sequuntur, accipienda sint.  
Veniamus iam ad Theodoretum, quem  
superius citauimus, vt transubstantia-  
tionem comprobaremus. Num igitur se-  
cum is pugnat, sibi quæ contrarius est?  
Minimè. Alioqui si vrgeat aduersarius,  
vt eius testimonium suscipiamus, ostendat,  
quemadmodū sibi ipsi constet, quā-  
doquidem nō tanta est in Ecclesia Chri-  
sti huius auctoritas, vt illis, quos superius  
citauimus, patribus præiudicare pos-  
sit, maximè cùm aliquando in fide sus-  
pectus fuerit. Hoc modo facilè me ab  
hac obiectione expedire possem, quem-  
admodum & nonnullos alios ante me  
fecisse video. Cæterum tantæ admira-  
tionis est mihi huius viri eruditio atque  
doctrina, vt cum tam seuerè, ac irreue-  
renter tractare nolim, nisi id necessitas  
ipsa compulerit. Proinde respondeo,  
ipsum eadem qua & Geladius, verbo-  
rum inopia laborasse, quibus ea quæ ip-  
se de hoc sacramento mysteria intelli-  
gebat, exponeret. Cùm igitur talem in

hoc sacramento mutationem fieri di-  
xisset, qualem ipsa verborum commu-  
tatio designabat, postea dixit, nihil ob-  
stante huiusmodi commutatione, si-  
gnorum naturam, id est, proprietates, &  
accidentia sic ibi remanere, vt nulla  
prorsus circa ipsa transmutatio fieret.  
Eodem itaque sensu, quo & Geladius,  
naturæ nomine vsus est. Ad alium ve-  
rò locum, qui ex secundò Dialogorum  
eius libro profertur, vbi signa mystica,  
post sanctificationem à propria natura  
non migrare asserit ( nam in prima sua  
substantia, specie, ac figura sic perman-  
ent, vt non secus atque antea, videan-  
tur, tangantur, ac percipiuntur ) ad eum  
( inquam ) locum respondeo, illud,  
quod postea dicit, manifestè satis ostend-  
ere, ipsum huiusmodi verbis nolle  
substantiæ panis in CHRISTI corpus  
conuersionem negare, substantiam ad  
Dialecticos rigorem accipiendo. Nam  
statim veluti se ipsum explicans, ait:  
Cæterum res ( inquit ) factæ intelligun-  
tur, creduntur, adorantur. Ait ergo,  
per sanctificationem signis illis, huius-  
modi rem fieri, quæ adoretur, ita exi-  
stens, quemadmodum creditur: Hoc  
est veram CHRISTI carnem signis  
illis re verà fieri, vt adoretur. Lique-  
t igitur, eximium hunc doctorem aduer-  
sarijs ex Diametro repugnare, vt potè  
qui asserit Idololatriam esse, id quod sub  
hoc sacramento continetur, adorare.  
Hic autem ex aduerso, quod signis illis  
efficitur, adorari perhibet. Quod si quæ-  
ras quidnam illud sit, mutatio ( inquit )  
nominum, illud abundè declarat: nam  
id quod antea panis dicebatur, nunc  
CHRISTI corpus dicitur. Est igitur  
Domini corpus, in quod huiusmodi  
panis transmutationem fieri præclarus  
iste Doctor ostendit, & quem à fide-  
libus adorari ait. Hic igitur Theodore-  
tus, si rectè intelligatur, nihil contra nos,  
sed omninò pro nobis facit, quia cùm  
obscura eius loca, & ea in quibus ipse  
clare, ac disertè loquitur, inter se conse-  
runtur, transubstantiationem approba-  
re, liquido comperitur. Quocirca na-  
turæ, ac substantiæ nomina ab eo sic ac-  
cipiuntur, vt naturales panis proprietates  
significant: quæ ( sola panis essentia  
commutata ) in sua integritate persistit.

Ceterum ne diutius hac in re labore-  
mus, iuxta primam Regulam respon-  
deo, Theodorem ex industria obscu-  
rum esse voluisse, ne sublimia sacra-  
menti huius mysteria prophanaret, ne  
ve ea inimicorum fidei Christianæ risui  
exponeret. Porro iuxta quintam Re-  
gulam dico obscura Theodori loca,  
nihil claris ac manifestis eius locis, quæ  
superius tam ex ipso, quam ex alijs Do-  
ctoribus citauimus, obesse debere. De-  
nique iuxta sextam regulam dico, Ta-  
meti Theodori pariter ac Gelasius e-  
ius essent opinionis, cuius eos esse con-  
tendunt aduersarij, nihil tamen horum  
duorum auctoritatem illis triginta, quos  
pro parte nostra citauimus, derogare,  
aut incommodare posse, quemadmo-  
dum in Concilio Oecumenico, vbi duo  
aut tres cum reliquis non consentiunt,  
nihil impediunt, quò minus Concilij  
decisio particulari ipsorum opinioni  
anteponatur. Atqui hæc sanè regula  
ex diuo Augustino sumpta est, qui epi-  
stola 59. Paulini quæstionibus respon-  
dens, sic ait: In scripturis sanctis inter-  
pretandis, etsi multa dici possint, quæ  
improbanda non sunt, tamen in hise-  
legendum, quod omnis, vel penè om-  
nis frequentat Ecclesia. Eiusmodi igitur  
Doctorum auctoritates, atque in-  
terpretationes eligendæ sunt, quas tota  
sere Ecclesia amplectitur, ac tuctur, ita  
vt non ob particularem vnus, aut al-  
terius opinionem, communis ac vni-  
uersalis consensus deseratur. In cate-  
ris autem obiectionibus, quæ aduersus  
clarissima illa veterum testimonia, quæ  
superius exposuimus fieri solent, nihil  
est quod directè illis oppositum sit at-  
que contrarium, nisi forte illud, quod  
ipsi ad realem corporis CHRISTI in  
hoc augustissimo sacramento præsentia-  
m impugnandam proferunt, quod suo  
loco commodè confutabimus. Inte-  
rim operæpretium nobis esse videtur,  
vt pauca quedam Conciliorum, pro  
transubstantiatione, testimonia, in me-  
dium proferamus, vt & hinc fidei no-  
stra veritas magis elucescat, & ad-  
uersariorum mendacia

clarius perspic  
possint.

*Quod transubstantiationis articulus pluri-  
bus Oecumenicis Concilijs comproba-  
tus fuit.*

## CAPVT LXVIII.

**A**NTE omnia nemini dubium esse  
debet, quin omnia illa Concilia,  
quæ de reali corporis Dominici in hoc  
sacramento præsentia, testimonium  
perhibent pro transubstantiatione quo-  
que faciant, quia realis illa præsentia re-  
ctè admitti nequit, quin etiam ex con-  
sequenti (vt iam ante declarauimus)  
hæc transubstantiatio concedatur, id-  
que idè, quòd fieri non potest, vt panis  
cùm sit panis, Christi quoque corpus sit.  
Ac proinde primum generale Concili-  
um Nicœnum simul ac Ephesinum pro  
nobis faciunt, quandoquidem vtrum-  
que (quemadmodum alias copiosius of-  
fendimus) de reali corporis Christi in  
nostro sacramento præsentia, disertè tra-  
ctat. Ceterum ea tantummodo impræ-  
sentiarum in medium producere itari-  
mus, quæ directè, & ex industria, de ca-  
gunt, tractant, disputant. Inter quæ pri-  
mò sese offert secunda Nicœna Syno-  
dus, anno Domini 781. contra eos, qui i-  
magines è templis profligare, ac penitus  
abolere studebant, celebrata, inter quos  
nonnulli eo dementiæ prolapsi erant, vt  
augustissimum illud sacramentum, ni-  
hil præterquam corporis Dominici ima-  
ginem esse dicerent, ad id nonnulla Dni  
Basilij loca citantes, in quibus (quemad-  
modum ipsi existimabant) ille signa my-  
stica, & *τυρωμα*, hoc est, imagines nuncu-  
pabat. Id quod Basilius de signis tantum-  
modò ante consecrationem à se dictum  
intelligi volebat, sicuti latius Concilium  
illud exponit, Nam consecratione pera-  
cta, non iam imagines, sed propriū Chri-  
sti corpus ac sanguis est. Contra Beren-  
garium, cùm ipse aduersus tremendum  
istud sacramentum errorem suum erige-  
re vellet, plura sunt celebrata Concilia.  
Primum Romæ sub Leone Papa, huius  
nominis IX. vbi Berengarij literæ, in qui-  
bus errorem suum profitebatur, publicè  
lectæ fuerunt, vnde & ipse cum errore  
suo condemnatus fuit. Secunda aduer-  
sus eundem Synodus, Vercellis sub eo-  
dem Pontifice celebrata fuit, cui is in-  
teref.

teresse non ausus est, sed duos tantum ex  
discipulis, qui ipsius partes tuerentur, at-  
que defenderent, misit. Verum illi sum-  
ma eruditione statim conuicti, ac matu-  
ra postmodum circa Magistri sui erro-  
rem, deliberatione habita, rursus con-  
demnati fuerunt. At cùm ille nihilo mi-  
nus in errore persisteret, rursus sub Pon-  
tificæ Victore II. dicti Leonis successore,  
Turonis alia celebrata est Synodus, in  
qua ipsemet Berengarius adfuit, ac rur-  
sum conuictus, errorem suum publicè  
recantauit. Verum vt semper leuis, ac  
inconstans erat, non multò post, in eun-  
dem errorem suum denuò relapsus est,  
vnde & aliud Romæ centum Episcopo-  
rum, ac 13. Archiepiscoporum generale  
Concilium conuocatum est, in quo di-  
ctus Berengarius non modò suum agno-  
uit & abiurauit errorem, librosque quos,  
vt eum defenderet, scripserat, propria  
manu igni cremandos iniecit, verum et-  
iam coram toto Concilio, ac summo  
Pontifice Nicolao huius nominis secū-  
do, qui Victori successerat, palinodiam  
eccinit. Ceterum postea (vt hæretico-  
rū genius est) adeò varius ac inconstans  
fuit, vt in pristinum, ac iam ante ab seip-  
so damnatum errorem denuò, relapsus  
sit. Quò factum est, vt aliud rursus Con-  
cilium Romæ defuncto summo Ponti-  
fice Nicolao, sub eius successore Grego-  
rio septimo celebraretur, cuius acta se-  
quuntur. Anno Domini 1074. mense  
Februarij, indictione secunda, pontifica-  
tus Domini Gregorij Papæ septimi an-  
no sexto, ad honorem Dei, Ecclesiæ san-  
ctæ adificationem, & ad salutem anima-  
rum & corporum, conuenerunt Archi-  
episcopi, Episcopi & Religiosi viri, vt  
Concilium celebrarent. Quibus congre-  
gatis in Ecclesia Saluatoris habita est col-  
latio de corpore & sanguine Domini,  
nec erat omnium vna sententia. Maior  
tamen pars affirmabat, panem & vinum  
per verba orationis & consecrationis sa-  
cerdotalis sancto spiritu inuisibiliter o-  
perante, in corpus Christi, quod natum  
est de virgine, & pependit in cruce, & in  
eius sanguinè, qui ex illius latere lancea  
militis perforato effluxit substantialiter  
commutari, istamque sententiā ortho-  
xorum patrum tam Græcorum quàm La-  
tinorum auctoritate studiosissimè defē-  
debat. Sed nonnulli magna longaq; ca-

citare percussi, quibusdam cauillationi-  
bus, quibus & se & alios fallebant, esse fi-  
guram tantum, defendere conabantur.  
Verumtamen cùm hæc materia tractari  
cœpit, altera pars veritatem oppugnare  
desijt, antequam tertia Die Concilium  
congregaretur. Ignis enim spiritus san-  
cti, consumens paleas, & falsi luminis te-  
nebras sua claritate discutiens, noctis ob-  
scurum in clarum diei lumē repente mu-  
tauit. Denique ipse Berengarius illius ma-  
gister erroris, coram toto Concilio hæ-  
resim, quam multis annis docueratq;  
defenderat, sponte confessus est, veniam  
que petijt, & de Apostolica benignitate  
clementiaque obtinuit. Deinde in hæc  
verba suum abiurauit errorem: Ego Be-  
renarius indignus Ecclesiæ sancti Mau-  
ritij Andegauentis Diaconus, cognosces  
veram, Catholicam, & Apostolicam fi-  
dem, anathematizo omnē hæresim, præ-  
cipuè eam, de qua hæctenus infamatus  
sum, quæ astruere conatur, panem & vi-  
num, quæ in altari ponuntur, post con-  
secrationem solummodò sacramentum,  
& non verum corpus & sanguinem Do-  
mini nostri Iesu CHRISTI esse: Et  
non posse sensualiter, nisi in solo sacra-  
mento manibus sacerdotum tractari vel  
frangi, aut fidelium dentibus atteri. Cō-  
sentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ,  
& Apostolicæ sedi, & ore & corde profi-  
teor, de sacramentis Dominicæ mensæ  
eamdem fidem me tenere, quam Domi-  
nus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc  
sancta Synodus auctoritate Evangelica  
& Apostolica tenenda tradidit, mihi que  
firmauit, scilicet panem & vinum, quæ in  
altari ponuntur, post consecrationem  
non solum sacramentum, sed etiam ve-  
rum corpus & sanguinem Domini nō-  
stri Iesu Christi esse, & sensualiter non so-  
lum sacramentum, sed etiam verum cor-  
pus & sanguinem Domini nostri IESV  
Christi esse, & sensualiter non solum sa-  
cramentum, sed in veritate manibus sa-  
cerdotum tractari, frangi, fidelium den-  
tibus atteri, iurās per sanctam & homa-  
nison trinitatem, & per hæc sacrosanctæ  
Christi euangelia, eos qui contra hanc fi-  
dem venerint, cum dogmatibus & con-  
secratoribus suis aeterno anathemate di-  
gnos esse pronūcio. Quod si ego ipse ali-  
quādo cōtra hos aliqd sentire aut pdica-  
re præsumpsero, canonū seueritati sub-

iaccam: Tunc summus Pontifex omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate ei præcepit, ne amplius de corpore aut sanguine Christi disputaret, ne quemquam hæc de re docere præsumeret, nisi eos tantummodò, quos falsa doctrina peruerterat, vt ad rectum fidei tramitem ipsos reuocaret. En ratio, qua Sacramentariorū antesignanus Berengarius ab errore tandē respuit, ac pro Maiorū fide stetit, asserens transsubstantiationē, semper à sanctis patribus & Orthodoxis tam Græcis quam Latinis creditam, & approbatam fuisse. Atqui Concilium istud circiter ducentos annos ante Lateranense celebratum fuit. Vnde aduersariorū qui dicunt, in eo primum Concilio, de conuersione panis in corpus Christi mentionem habitam esse, mēdaciū luce clarius videri potest. Cum igitur, quemadmodum Synodi illius Romanæ tot annis ante Lateranensem celebratæ, decreto transsubstantiatio confirmata sit, deprehenderimus; confidentius ipsius Lateranensis determinationem in medium adferemus, maximè cum ea sub tanto Pontifice Innocentio scilicet tertio acta fuerit, quo vix vllus à Diui Gregorij temporibus aut doctior aut sanctior fuit. Adde quod & in ea 471. Episcopi, ac alij Ecclesiæ patres 812. quatuor item Patriarchæ, Hierosolymitanus scilicet, Antiochenus, Alexandrinus, & Constantinopolitanus, ac totius Christiani orbis Imperatorum, ac Regum Legati, & Oratores conuenerint. In primo itaque Synodi huius canone, sic definitum, ac statutum est. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem ipse sacerdos, & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris, sub specie panis & vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina, vt ad percipiendum mysterium vnitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro, & hoc vtique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos fuerit rite ordinatus, secundum clauas Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus IESVS CHRISTVS. Hactenus Concilij huius verba, quod

quidem anno à natiuitate Christi 1215. tanta celebritate actum fuit, vt nullū vnquam illustrius Christianus orbis habuerit. Vnde maiores nostri, certò statuentes, Christum promissionem suā adimpletse, qua Ecclesiæ suæ pollicitus fuerat, se ei ad finem vsque sæculi adfuturum, nec permissurum vnquam, vt portæ inferi (quæ sunt hæreticorum insultus atque errores) aduersus eam prævalerent; hoc (inquam) certò statuentes, nunquam Synodi illius definitioni, ac decretis repugnare sunt ausi. Quod si tanti Concilij iudicium, priuato sensui suo, aut duorum, triumue nouellorū magistrorū opinionibus anteposuerunt, nõne honore potius quam vituperio digni sunt? Hinc & aliæ omnes generales Synodi, quotquot post iam dictas in Ecclesia celebratæ sunt, pro ijs qui transsubstantiationem in sacramento nostro fieri docerent, semper definiunt. Concilium siquidem Constantiense anno 1415. celebratum, Ioanem V Vices ranquam hæreticum condemnauit, quod inter ceteros articulos suos, transsubstantiationē negaret. Concilium insuper generale Florentinum sub Eugenio Papa IIII. panis substantiam in corpus Christi, & vini in eius sanguinem transmutationem manifestè confitetur. Concilium denique Tridentinum eos terribiliter anathematizat, & excommunicat, qui aut asserunt aut sustinent panis substantiam in corpore Christi in hoc sacramento non conuerti. Verum nos ipsius Concilij verba ad maiorem huius assertionem hic subiicienda censemus. Sic igitur sessione 3. canone secundo habet: Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis & vini, vna cum corpore & sanguine Domini nostri IESVS CHRISTI, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat; anathema sit. Horribilis profectò sententia. quæ omnes eos, qui Christum verissimè dixisse credunt, quicquid in terris Ecclesia ligauerit, fore vt & in cælis ligatū sit, vehemēter

terre

terre deberet. Quocirca nullo equidē pacto dubitauerim, eos omnes & in terra & in cælo excommunicatos esse, qui sic firmiter credere nolunt, que madmodum in tot Concilijs Oecumenicis Ecclesia definiuit, vereque decreuit. Irrideat, proinde, sed suo sane periculo quisquis voluerit: nos verò, maioresque notitri vniuersalis Ecclesiæ auctoritati nolimus repugnare, vt ei nouellos nescio quos homines proferamus. Iure siquidem metuiamus, ne si id fecerimus, in terribilem hanc Ecclesiæ sententiā, quam in cælis ratam esse non dubium est, incidamus.

*Ad Lectorem exhortatio, vt pro fide, ac religione Maiorum, quam tam aptè hæctenus comprobauimus, sententiam ferat.*

## CAPVT LXIX.

**N**Vnc igitur candide Lector, haud difficulter animaduertere potes, quā iuste Maiores nostri conuersionē panis, ac vini in corpus & sanguinē Christi credidere. Iam enim meridiana luce clarius intueri potes, quā firmiter ea fides omni auctoritatum, quæ ad hoc requiruntur, vt de alicuius fidei nostræ articuli veritate certus atque securus quis effici possit, genere fulciatur. Quid enim iuste à nobis exigere posses, vt pro Maiorū nostrorum fide sententiam feras, quod tibi non protulerimus, ac in medium adduxerimus? Num scripturæ auctoritatem requiris? Sed nos ipso expresso que Dei verbo fidem ita probauimus, vt non dubitemus dicere, aut hanc admittendā, ac suscipiendam, aut Dei verbum falsum esse, duoque contradictoria simul vera existere. An veterum patrum testimonio desideras? Sed ex vetustioribus ac celebrioribus quibusque matris Ecclesiæ doctoribus ac magistris, dictam conuersionem, in nostro sacramento fieri sic probauimus, vt triginta & vnus ad id confirmandum, sententias adduxerimus. Sed Conciliorum auctoritatem fortè desideras. At nos quantum huic rei comprobandæ sufficiat, abundè suppeditauimus. Quid proinde ad hæc amplius postulas? Ratione ne, quibus hæc mutationem, in sacramento necessariā

esse doceamus? Verum & eas copiose admodum tibi assignauimus. Et vt multa paucis expediam, ostendimus aduersarios splendide mentitos esse, cum trāssubstantiationē antiquis patribus incognitā fuisse dicerent. Deinde certis quibusdam eorum obiectionibus, quas illi nobis opponere solent, studiosè respondimus. Postremò quicquid ex scripturis nobis obijciunt, id falsæ eorum intelligentiæ inniti demonstrauimus. Quid igitur, amice Lector, superest, nisi vt pro maioribus contra eorum hostes sententiam dicas, maximè cum disertè satis ostenderimus, illos non pro suo arbitratu transsubstantiationem hanc excogitasse, sed ipsa veritate, ipso Dei verbo, ipsa veterū Ecclesiæ Doctorum auctoritate, vt eam statuerent, esse compulso? Quam enim (rogo) tale quippiam pro suo arbitrio excogitandi (quemadmodum ingrati eorum filij mentiuntur) occasionem habuissent? Quid illis quod eam credant, vtilitatis accedit? Vtilitatis (inquam) temporalis: nam quod ad spiritalem attinet, quanto res aliqua creditu difficilior fuerit, tanto maior eam credenti vtilitas erit. Quid? An existimas illos ad eò credulos, seuque fuisse, vt ijs rāta res, tam difficilis, tam incomprehensibilis, facilius quàm sæculi nostri hominibus persuaderi posset? An suæ salutis incurij, ne à recto veritatis tramite aberrarent, solliciti non fuerunt? & illorum socordia vigilanti aduersariorum cautione vincetur? Nil profectò minus. Nam si eorum probitatem, in signemque virtutem seridè tecum expendas, si illorum vitæ genus cum aduersariorum improbitate cõtuleris; non est mihi dubium, quin istis, quibus nihil curæ est, quid aut dicant aut scribant, siue illud verū sit, siue falsum; modò causæ suæ patrocinetur, istis (inquam) repudiatis ac reiectis, fidem perfidiæ, & pietatē impietati antepones. Quæ cum ita sint, iustam abs te sententiam expectamus, vt Maiores tuos, calumnijs, quibus afficiuntur iniuriā liberes, maximè cum integram originis, ac antiquitatis illorum religionis, ac fidei cognitionem quam apertissimè nunc ostenderimus. His igitur ita constitutis, nos & ipsius causæ nostræ bonitate, & tua prudentia, licet hanc enicturos, istamque mirificam conuersionem, simul

acrea

ac realem corporis Christi in hoc sacramento presentiam omnino credendam te iudicaturum esse; confisi; deinceps fidei nostrae defensionem prosequemur, ad verba calicis consecratoria redeuntes, ut ijs explicatis, plurima adhuc atque valida pro dictae transsubstantiationis approbatione argumenta colligamus. Atqui plurimum sanè ab horum verborum expositione, propter istam nobis occurrentem de transsubstantiatione quaestionem retardati sumus. Circa quam nos diutius herere omnino necessum fuit, propterea quod supremam huic negotio manum imponere, omnemque controuersiam ac difficultatem, quae circa rectam verbi DEI intelligentiam oriri posset, è medio tollere volebamus, ne aduersario (qui nihil aliud nisi litigandi materiam aucupatur) aduersus maiorum nostrorum fidem, vllus controuersiae locus relictus esse videatur.

FINIS ACTIONIS QUARTAE

Neque enim villo modo dubitandum est, transsubstantiationis articulum, eum esse, circa quem maiorem credendi difficultatem aduersarius commouet. Nam vbi ipsum realem corporis Dominici in nostro sacramento presentiam confiteri coegeris, ne omnino conuictus esse videatur, ad hanc difficultatem, tanquam ad asyllum confugiet, propterea quod hic articulus non ita facile, ab omnibus intelligi aut probari potest. Nos autem tot argumentis, rationibus, scripturarum, patrumque testimonijs illud ostendimus, ut quod à nobis æquus Lector ad fidei Catholicæ confirmationem præterea requirat, nihil sit. Restat igitur ut ad interruptam, diuque intermissam expositionem nostram redeamus.

(.)

ACTIO.

# ACTIO QUINTA

IN SACRAMENTARIOS  
HAERETICOS,

IN HAC, EX VERBIS, QVAE IN BENEDICENDO, & exhibendo calice Christus dixit, innumera penè argumenta ducuntur, ad realem sanguinis Christi presentiam in Eucharistia comprobendam: Continet autem hæc actio amplissimam verborum prædictorum expositionem, eamque raram & singularem, verum clarissimam, explicatis diligenter etiam ipsis huius sacramenti mysterijs.

Quisnam sit genuinus verborum Christi, quæ super calicem protulit, sensus.

CAPVT LXX.



**D**RIVSQVAM ad Christi verborum (quæ super calicem protulit, ut suum preciosum sanguinem consecraret) expositionem veniam ipsa Euangelistarum ac D. Pauli verba ponemus. Beatus igitur Euangelista Matthæus sic habet: Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Marcus autem sic ait. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, Et ait illis, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucas autem: Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Diuus denique Paulus ita commemorat: Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem, &c. Caterum Diuus Ambrosius in quarto de sacramentis libro, ad hunc modum consecrationis verba recitat: Similiter etiam calicem postquam cœnatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit ad cœlum, ad te sancte pater, omnipotens æterne Deus,

gratias agens, benedixit, Apostolis, & discipulis suis tradidit, dicens: Accipite, bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus. Vniuersalis autem Ecclesia Latina, hisin calicis consecratione verbis vtitur: Simili modo postea quàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem, in sanctas ac venerabiles manus suas, Item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix, sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Ecclesia postremo Aethiopica, quemadmodum in vniuersali eius Canone videre est, ad hunc modum recitat: Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum: Prius, quàm CHRISTI verba, quæ ipse super calicem protulit, exponam, ea iuxta varietatem, quæ apud eos, qui illa scriptis suis nobis tradiderunt, inuenitur, recitanda duxi. Quæ quidem varietas, non in sensu ipso, sed in verbis tantummodo consistit, quemadmodum ante quàm ab hoc instituto recedamus, planum faciemus, idque pluribus verbis. Hoc autem faciendum putamus necessarium, propterea quod aduersarius obscuris Lucæ, ac Pauli tantummodo verbis mordicus inharere contendit. Obscura esse dico D. Lucæ ac Pauli verba, præsertim si figurate, quemadmodum aduersarij volunt, exponenda sint. Vt igitur in genere verum illorum sensum habea-

habeamus, dicit Matthei ac Marci verba, ipsius Lucæ, ac Pauli verborum explanationem, ac commentarium esse: Nam horum verba omnino clara, & aperta sunt, ac ijs, quæ Christus super panem protulit, cum diceret, Hoc est enim corpus meum, planè conformia: Vnde hæc verba, nouum testamentum, quæ apud beatum Lucam, ac Paulum leguntur, in genitiuo casu, hoc modo mihi poni debere videntur: Hic calix noui testamenti, & non, nouum testamentum; aut ad minus certe necessum fuerit, vt nominatiuus, pro genitiuo accipiatur: Atqui sanè Paschasius per antiquus auctor in genitiuo casu, ad hunc legit modum: Hic calix noui testamenti est in meo sanguine; & non, vt apud Lucam legitur, Hic est calix nouum testamentum, neq; vt apud Paulum: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Vnde vt Paschasij (qui in genitiuo casu legit) locum nostra lectione meliùs habere arbitretur, hinc facile adducor, quod neque apud Lucam, neque apud beatum Paulum, verbum substantiuum (est) inter vocem (calix) & (nouum testamentum) collocetur. In primis enim apud Lucam, in textu Græco, nullum omnino verbum ponitur, sed sic legitur: Hic calix nouum testamentum in meo sanguine. Apud beatum vero Paulum, verbum (est) nequaquam inter vocem (calix) & (nouum testamentum) sed post duas illas voces, ad hunc modum ponitur. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Quare perspicuum est, Christum in nullo scripturæ loco dixisse; Hic calix est nouum testamentum: Id quod diligenter adnotari debet, vt veram Christi verborum intelligentiam consequamur. Nam si nec iota quidem, nec apex vnus frustra in scripturis sacris ponitur, nec frustra legitur Christum, illud verbum (est) inter vocem illam (calix) & (nouum testamentum) ponere noluisse, existimandum est. Quod eò facit, vt nullus existimet, illum voluisse dicere; Hic calix est nouum testamentum: Nusquam siquidem scripturarum, verba hæc, in hunc modum prolata reperientur. Vt igitur pedem cum aduersario conferamus (qui illa, tanquam scripturam sacram accipit, & legit non secus, atque si verbum (est) inter dictionem (calix) & nouum testamentum po-

neretur) dico, scripturam ab eo perperam citari, nec ita scriptum esse, quemadmodum is scriptum esse dicit. Quod si dicat, illa in idem recidere, respondeo, non ita esse, multumque inter duas has propositiones interesse: Hic est calix nouum testamentum: Et hæc: Hic calix est nouum testamentum: vel hanc denique: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: Si quidem in vna, dicitio illa (nouum testamentum) pro affirmatiuo eius rei, quam vox (calix) significat, prædicato ponitur, in alijs duabus, semper tanquam vocis illius (calix) determinatio, & non tanquam prædicatum ponitur: Quod non absque graui causa factum esse audacter sanc, nec sine grauissima Chryostomi auctoritate pronuncio. Is enim in Genesim sic ait: In diuinis literis, nihil temere, & absque causa est positum, etiam verbum quod fortuito videri posset, magnum thesaurum in se latentem continet. Item homelia decima septima, Scriptura diuina (inquit) nihil temere, vel fortuito loquitur, sed & syllaba, & apiculus vnus, reconditum habet thesaurum: Hec ille. Cuius auctoritatem secutus, magnum thesaurum, ad veritatem cognoscendam in eo, quod neque Paulus neque Lucas, verbum (est) inter voces illas (calix) & (nouum testamentum) posuerunt, firum esse dico: Id enim ideo factum est, ne Sacramentarij (est) pro (significat) hic exponere possent: Hic enim textus, quo diceretur: Hic calix noui testamenti significat in meo sanguine, absurdissimus esset. Imò præpositio illa (in) ex industria adiecta est, ne (est) pro (significat) accipi possit. Proinde, si ipsius verba bene perscultur, aduersarios ex illis vt tropos, ac figuras suas tametsi plurimum sudent, elicere non posse, perspicuum est. Sed dicent, Latinum sermonem non recte cõgruere, si sic duo substantiua in eodem casu collocentur. Quibus respondeo, hoc id eo fieri, quia nominatiuus ibi, pro genitiuo ponitur. Vnde Paschasij textus, qui in genitiuo casu legebat (nouum testamenti) correctior mihi videtur. Interim tamen Ecclesia Grammaticæ leges sapè contemnens, vnum casum pro alio frequenter usurpat, & quodam genere constructionis, quam Grammatici Appositionem vocant, nonnunquam in eodem casu

casu duo substantiua ponuntur: Dictum est igitur, calix nouum testamentum pro eò, quod rectius Latine diceretur, Calix noui testamenti. Atqui ea verba sic exponendo, nihil opus est, vt ea recte intelligantur, ad troporum ac figurarum inuolucra confugerent. Vt autem ea sic exponam, me præter rationes, superius expositas, adducit vniuersalis Ecclesiæ Latinæ consuetudo, quæ in sacro Canone, cum diuina consecratio agitur (vbi non alia, quam ipsius CHRISTI verba ponenda existimat, conformiter iuxta expositionem nostram pronunciat: Nam pro illo, quod habetur, (nouum testamentum) ipsa ponit, noui testamenti, hoc modo dicendo: Hic est calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti: Neque vero vlla ratione dubitauerim, quin iste genuinus sit illorum verborum sensus, quocumque tandem modo, seu apud Græcos, seu apud Latinos legantur: Ecclesia enim Grammaticorum legibus non tenetur: Quocirca cum beatus Lucas diceret: Hic est calix nouum testamentum; omnino mihi persuasum habeo, ipsum dicere voluisse; Hic est calix noui testamenti. Et cum D. Paulus scriberet: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, non dubito, quin illius sententiæ esset, vt diceret, Hic calix noui testamenti est in meo sanguine. Quare non patiar mihi hanc interpretationem atque rationem extorqueri, præsertim, cum & hæc consecrationis verba, in sacro sancto Missæ sacrificio communi totius Latinæ Ecclesiæ consensu, ad hunc modum legantur; & cum ipse Paschasius, eodem planè modo, quo nos interpretamur, ea recitet. Quin & Aethiopica quoque Ecclesia, vocem illam (nouum testamentum) in genitiuo casu legit: Quo sanè modo dum legimus, nulla maior in D. Pauli, aut Lucæ, quam Matthei, aut Marci verbis difficultas inuenitur, sicque omnia illa absque tropis, aut figuris vllis facile explicabuntur. Quod de me attinet, religiosum esse putarem, affirmare Christum dixisse, Hic calix est nouum testamentum, quandoquidem nullus aut Euangelistarum, aut Apostolorum, ad eum sensum, eius verba retulerit. Agat interim quique prout lubuerit, attamen

inges mihi præsumptio, atque temeritas videtur, ea CHRISTI verba, aut eius loquendi genus corrigere, aut immutare velle, quicquid interim Grammatici præcipiant.

*Quomodo urgens sit a duersarijs, vt diuersam interpretationem suscipere compellantur.*

## CAPVT LXXI.

VT aduersarius urgeatur, & vt ad superius positam interpretationem suscipiendam cogatur; generale hoc principium Theologicum diligenter adnotandum est; Euangelistas & Apostolos, nusquam inter se pugnare, nec sibi esse contrarios. Auctores nostri (inquit Augustinus) in quibus non frustrarum literarum figitur; & terminatur canon, absit, vt inter se aliqua ratione dissentiant: Et quemadmodum ait Epiphanius, Est nihil discors in diuina scriptura, nec opposita dicitio aduersus dictionem reperietur. Hoc ita constituto, respondeat aduersarius, necesse est, an id quod D. Lucas, & Paulus de verbis Domini super calicem, aiunt, vna, eademque res sit, ac eiusdem sensus, an diuersa, diuersique sensus existat. Si prius concedatur, plane sequitur, tametsi diuersis verbis, atque diuerso locutionis genere vsi sint; eorum attamen verborum sensum vnum, atque eundem esse: Porro si non eandem rem illa designare contentant, consequens est; vt vnus istorum locus, per alium exponi nequeat. Proinde id quod dicit Paulus, illius quod ait Mattheus, explicatio esse non poterit. Aduersarij autem Matthei verba, per ea, quæ sunt apud Paulum; explicanda esse contendunt. Ex quo planè conficitur, eos fateri, vtriusque verba eiusdem omnino esse sententiæ. Hic igitur eos teneo: Hinc (inquam) strennuè contendam, verba ista Lucæ, Hic est calix nouum testamentum, tantundem planè significare, atque illa Matthei, Hic est sanguis meus noui testamenti. Si quis proinde his Lucæ verbis, (Hic est calix nouum testamentum) sensum aliquem illis Matthei verbis, Hic est sanguis meus noui testamenti, contrarium adsignare voluerit;

*Lib. 18. de  
Cini. Dei  
cap. 41.*

*Contra  
Heresim  
Audiant  
vnum.*

hunc

hunc non recte secundum Euangelium veritatem procedere asseram, quandoquidem vnum Euangelistam, alteri repugnare faciat. Atqui illa eundem sensum habere non possunt, nisi hæc Lucæ verba, nouum testamentum, pro genitio isto, noui testamenti accipiantur. Hoc si mihi concedunt, consequens est Paschasi locum, veram verborum Lucæ intelligentiam continere, & quod nominatiuus, apud Lucam pro genitio sumatur. Nam duæ istæ Enunciations: Hic est calix nouum testamentum: Et: Hic est sanguis meus noui testamenti, nunquam eandem omnino rem designare possent, nisi ille nominatiuus (nouum testamentum) pro genitio sumeretur: Nam ita nominatiuum illum apud Lucam, & Paulum, pro genitio accipiendo, (quia, calix, hic pro potu ipso, qui in eo continetur, & non pro vase continente sumitur) idem planè, qui apud Matthæum sensus erit, ita dicendo. Hic est calix id est potus noui testamenti in meo sanguine: Vel sic: Hic potus noui testamenti est in meo sanguine. Atqui duæ istæ enunciations, eundem planè sensum habent cum ista: Hic est sanguis meus noui testamenti, ita vt dicere: Sanguis meus noui testamenti: Et potus noui testamenti in sanguine meo, idem planè sit: Cæterum, si eodem modo, quo aduersarij, exponas, eundem sensum nunquam deprehendere poteris. Siquidem vbique verbum substantiuum (est) pro (significat) interpretantur. Vnde verborum Pauli sensus eiusmodi foret; Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, Hoc est, Hic calix significat nouum testamentum in meo sanguine: Matthæi vero sensus, qui sic habet, Hic est sanguis meus noui testamenti, idem esset, ac si dixisset, hoc significat sanguinem meum noui testamenti: Significare autem nouum testamentum, & significare sanguinem, longè diuersa sunt. Denique quocumque tandem modo Diui Lucæ, ac Pauli verba explicaueris, nisi nominatiuum illum, nouum testamentum pro genitio sumpseris, nunquam eundem cum Matthæi, ac Marci verbis, sensum inuenies: Ex quibus hoc manifeste sequitur, aut vnum non posse alterius esse interpreta-

tionem, aut (quemadmodum dicebamus) nouum testamentum pro (nouo testamenti) accipiendum esse. Cum igitur aduersarij harum sententiarum vnam alterius commentarium esse fateantur, ita vt vtramque eiusdem plane sensus esse concedat: Nostram quoque interpretationem superius positam, qua in verbis Paulinis nominatiuum, pro genitio accipi dicebamus, veram, ac genuinam esse fateatur, necesse est: Quapropter Ecclesia, quæ in sacro missæ Canone verba illa, in genitio casu constituit, recte, ac conformiter, iuxta genuinam verbi Dei intelligentiam facit. Atqui hæc sane via est, qua diligenter hanc circumstantiam obseruando, quod scilicet, neque apud Lucam, neque apud Paulum, verbum (est) inter voces illas (calix) & (nouum testamentum) ponebatur, eò peruenimus, vt eundem omnino trium Euangelistarum, ac D. Pauli sensum, ita vt nullo planè tropo opus sit, inueniremus: Nam accipiendo nomen illud (calix) pro potu (quemadmodum & accipi debet, sicuti postea verberius explicabimus) & nominatiuum pro genitio vsurpando, non nisi vnum, eundemque omnium iam dictorum verborum sensum habemus, quemadmodum iam latè satis demonstrauimus.

*Quemadmodum aduersarij falluntur, ac se ipsos euertunt, dicentes hæc Pauli verba, (Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) figurata esse, ac horum nihilominus Matthæi verborum (Hic est sanguis meus) & cæcæ explicationem esse.*

## CAPVT LXXII.

**Q**uemadmodum veritas constans ac suis ipsius conseruatiua est, ita error, ac mendacium seipsa frequenter euertunt. Quo fit, vt mendaces suis ipsorum verbis, non raro capiantur, dum ipsi secum ita pugnant, vt non tam à nobis conuicti, quam à se iugulati esse videantur. Id in hoc argumento, magis fidei maiorum no-

stro-

nostrorum aduersarij, Caluinistis vsu venit. Nam dicentes hæc verba: (Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) figurata esse; hoc est, per figuram exponenda esse, ac ea nihilominus veram istorum Matthæi verborum, (Hic est sanguis meus, noui testamenti) interpretationem esse, sufficientem, qua ipsos conuincamus; rationem nobis subministrant. Nam ex vna ipsorum oratione, alterius falsitatem ostendam, atque ad hunc, qui sequitur modum, contra eos argumentabor. Omnium propositio nem seipsas exponentium, idem est sensus, ac si figurata locutione exponenda essent Pauli verba, non possent eundem habere sensum, cum verbis Matthæi (vti capite precedenti ostensum est) ergo non sunt ista verba Pauli per figuram exponenda: Adde quod & alio seipsos modo euertant: Nimirum tamen verba illa eiusdem omnino sensus esse fateantur, ipsa tamen, eo, quo superiori capite exposuimus, modo, explicare nolunt: Quæ tamen nisi sic exponantur, nunquam eiusdem sensus esse demonstrari potest: Id clare patebit, si ad hoc compellantur, vt alium, ab eo, quem dedimus, Pauli verborum sensum excogitent, (sic tamen vt horum loco verba alia non collocent) qui eorum, quæ apud Matthæum sunt, verborum sensui conformis sit. Atqui hoc sane pacto fit, vt suis ipsorum verbis seipsos ingulcent: Nunc reliquum est, vt eos absque iudicio, aut ratione aliqua loqui ostendamus, cum ipsi locutionem aliquam per se claram, ac non figuratam, alia obscuriori, ac figurata explicandam esse pronunciant: Cum igitur aduersariorum libros reuelo, ac animaduerto, quemadmodum illi ad vnum omnes, istud Dei verbum (quod apud Matthæum, ac Marcum habetur) Hic est sanguis meus noui testamenti, quod omnino clarum atque perspicuum est, relinquât, vt in illud D. Pauli impingant (Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine, quod figuratum esse contendunt; quodque in obscuro hoc Dei verbo totius nouæ sectæ, ac religionis suæ fundamentum ininiti velint) quotiescunque (inquam) hæc mecum expendo, ijs iure merito;

succensco, Illos siquidem non rei veritatem inquirere, sed contentioibus materiam cõfundere velle, perspicuum est. Quid enim absurdius, quam dicere, obscurum scripturæ locum, alterius clarioris elucidationem esse? Idem enim est, ac si dicerent, mortuam, & extinctam candelam, ad id cõducere, vt tenebrosum locum illustret, ac illum innotet potius, quam illa, quæ succensa est, quemadmodum superius diximus: Cum igitur sic lumen fugientes, tenebras quærant, quid aliud, quam se peruerse agere velle, demonstrant? Nam vt ait Christus, qui male agit, odit lucem. Hinc sane fit, vt turpiter, ac miris modis errēt: Primo, quod rectam docendi methodum deserant, quæ in eo consistit, vt à notioribus & claris, ad eorum, quæ ignota, vel obscura sunt, intelligentiam procedamus; illi autem contra, ex clarioribus siquidem ad obscuriora, & ex ignotioribus, ad notiora progressum faciunt, ita præclaram hæc beati Irenæi regulam, quæ sic habet: *Omnis (inquit) quæstio nõ per aliud, quod* *Lib. 2. c. 5.* *tra h. v. f.* *quæritur, habebit resolutionem, nec cap. 10.* *ambiguitas, per aliam ambiguitatem soluetur apud eos, qui habent sensum, aut enigmata per aliud maius enigma, sed ea, quæ sunt talia, ex manifestis, & consonantibus, & claris, accipiunt absolutiões. Ita beatus Irenæus rationem hanc, scripturas illustandi, imò obscurandi potius dixerim, quam aduersarij obseruare volunt, reprobat. Deinde non minus turpiter errant, cum eò impingunt; vt nouellæ religionis suæ fundamenta in scripturæ allegorijs, ac metaphoris quæ iuxta eorum sententiam, obscuræ sunt, collocare nituntur. Nam quemadmodum in principio libri huius diximus, ac probauimus; nullus verbi DEI allegoricus sensus, pro articuli alicuius fidei nostræ fundamento constitui potest, nisi aliunde locus quispiam isto longe clarior habeatur, ex cuius literali sensu, id quod allegoria, ac metaphora nostra intelligi volumus, cõprobetur: Vnde Augustinus ait: Allegoria vltra procedere non debent, quam præcipientem habent scripturæ regulam, tantum abest, vt fundandis vllis dogmatis per se sufficiant: Atqui, vt istud diligenter notes, velim, In hoc. n. immobile quoddam huius*



causæ firmamentum est, quo nouam hæc aduersariorum religionem, nullum omnino scripturæ, pro nouellæ fidei suæ (si ita eam appellare licet) fundamentum habere monstratur, quandoquidem hæc coenæ verba secundum eos figurate intelligenda sunt. Quod enim Dei verbum, in literali sensu acceptum habent, quo tropos suos ac figuras veras esse demonstrent? Vnde perspicuum est, nullum eos Dei verbum habere, super quod religionem suam fundare possint. Nam verbum istud; (Hic calix, vel hoc vinum est signum noui testamenti) in sacris literis nusquam omnino inueniri potest, sicut nec istud: (Hoc est signum corporis mei) vel hoc est signum sanguinis mei, quæ sane verba nunquam CHRISTI ore prolata sūt: Ex quo manifestum est, ea non nisi hominum esse verba. Quæ cum ita sint, perspicuum est, eorum fidem, non nisi in hominum verbis esse fundatam: Hoc igitur studiose, ac seridè adnotetur. Hæc enim potissima ratio est, cur absurdas eorum opiniones recipere nolim, quia satis (inquam) intelligo, eos nullum aliud impij sui dogmatis fundamentum habere, nisi verba, quæ ipsi de suo cerebro fabricantur. Quod si verbis agendum est, oportebat uti non humanis sed diuinis, quæ ex ipso diuinarum literarum fonte literaliter hauriuntur, eoque tam solido fundamento iacto, tanti ponderis ædificium extruere. Quocirca vehementer eos errare dico, cum omnia Coenæ verba figurata esse contendunt. Cum autem nullam scripturæ sententiam in sensu literaliter acceptam habeant, super quam nouellas opiniones suas constituent; Religionis ac fidei suæ fundamentum ipsimet euertunt. Ita illi ruinosum suæ religionis fundamentum detegunt, & ostendunt, cum arbitrantur, illud super metaphoricum scripturæ sensum, tanquam super arenam esse ponendum. Proinde ex eo, quod vno in loco dixerant, id quod antea asseruerant: funditus euertunt, destituunt, ac velut in fauillam, cineremque redigunt: Quare obnixè te rogo (amice Lector) ut ea, quæ hic dicimus, diligenter animaduertas: Nam hoc vnicum ritè intellectum abundè tibi suf-

fecerit, ut & de tota causa rectè iudices, & verba coenæ, non minus ea, quæ super calicem, quàm quæ super panem prolata sunt, non metaphoricè, aut figurate, sed simpliciter, ac iuxta literam intelligenda esse perspicias: Id quod pluribus adhuc rationibus, ex quibusdam circumstantijs, ac verbis (quibus ipse CHRISTVS de calice loquens usus est) ductis tibi demonstrabimus. Nunc itaque ad ea, quæ ipse de calice, & dixit, & fecit, ac faciendæ præcepit, sigillatim exponenda veniamus, ut inde pro Maiorum nostrorum fide, solida argumenta promamus.

*Quæ argumenta sumenda sūt, ut verba super calicem à CHRISTO prolata literaliter, absque vlla mystica interpretatione exponenda esse demonstrentur.*

## CAPVT LXXIII.

**D**ECLARAVIMVS in genere, quis germanus Christi verborum super calicem prolatorum sit sensus, ita ut abundè satis ea absque tropo, aut figura explicanda esse demonstrauerim, deinde falsam aduersariorum sententiam ipsorum verbis refutauimus. At tamen, ut probationum varietas, ac copiosa multitudo, hinc obstinatam aduersariorum incredulitatem confundat, inde causæ nostræ æquitatem magis illustret; pro illius confirmatione plura etiam nunc argumenta in medium adferre decreuimus. Et sane plurima hic argumenta repetere possemus, quibus verba super panem prolata, absque tropo vllò exponenda esse monstrauimus, quæ omnia quamuis nostram causam multum adiuant, tamen hoc loco non repetam. Nam si hæc CHRISTI verba, (Hoc est corpus meum,) ad literam, & absque vlla figura exponenda sunt, ista quoque (Hic est sanguis meus) eodem plane modo, quandoquidem omnino similia sunt, explicentur necesse est. Deinde ut hoc idem confirmetur, generalis illa ratio hic repeti posset, quam nos ex eo sumebamus, quod quidam fidei articulus hic instituitur, ac

proin-

## IN SACRAMENTARIOS. ACTIO V.

proinde verba, quibus ille instituitur, ac hominibus promulgatur, iuxta literam interpretari oporteat: Ad hæc dicere possemus, perpetuam hic historiam Coenæ Domini esse narrationem, cæterum omnia hæc missa faciemus, ut ad peculiare, quæ præsentis sunt negotij, circumstantias veniamus: Primum itaque argumentum nostrum ab eo ipso sumetur fundamento, quo se aduersarij ut plurimum munire solent, quod huiusmodi est. Nihil de tantis mysterijs, nisi ipsius scripturæ auctoritate firmeretur; esse dicendum: Quod sane fundamentum, in articulis fidei, qui ex scripturis sumi debent, verissimum, ac omnino generale est. Cum igitur hoc sacramentum maximus fidei nostræ sit articulus, nihil in eo esse dicendum est, nisi id quod in eo scriptura esse commemorat: Cæterum nusquam in tota scriptura inueniri potest; ubi aliquid in calice præter CHRISTI sanguinem esse dicatur. Siquidem Matthæus, & Marcus, nullam vini, sed sanguinis tantummodò mentionem faciunt: Lucas in super & Paulus sanguinis tantum meminere. Ex quibus ita colligo. Cum nihil de hoc sacramento, quod in scriptura sacra non reperitur asseri debeat, nullo modo vinum, sed sanguinem duntaxat in calice Domini esse dicendum est. Aduerte proinde diligenter; quicquid de coena Domini, in toto nouo testamento legitur, nam facile deprehendes, nunquam hoc sacramentum, vinum Domini, aut vinum simpliciter dici, sed generali tantummodo nomine Calix Domini nuncupatur: Cum itaque verbum Dei, nullam vini mentionem faciat, ingens profecto temeritas fuerit, de eo hic verba facere, ac tantum ipsius verbis, atque sacramentis adijcere: Quocirca maiores nostri qui timorem Dei præ oculis semper habuerunt, nihil vnquam in hoc calice præter sanguinem Domini esse, (cum ipse illius solius meminerit) dicere ausi sunt: Atqui argumentum istud, contra aduersarios, ex diametro concludit, propterea quod, primò ipsorum principio, adeoque validissimo nouellæ Religionis suæ fundamento innitatur: Hoc autem iuxta illorum exiltimationem à me dictum est, nam

in rei veritate, quamuis se nihil, præter id quod in sacra scriptura contineatur, dicere velle consingant, longè tamen aliud agunt, quemadmodum superiori capite, cum enunciationem hanc, (Hoc est signum sanguinis mei) non DEI sed hominum verbum esse, ostendimus. Nihil igitur aliud in coenæ, (quàm nouæ suæ, Religionis præcipuum sacramentum esse dicunt) negotio, nisi hominum verba aduersarij habent. Fundamentum sane firmissimum, quod nulla vis, nulla vnquam labefactare possit antiquitas.

*Quemadmodum Christus quinque milia reficiens, circa panem miraculum præmisit, ut sic auditores suos præpararet ad credendum panis conuersionem in corpus suum, ita & circa vinum, miraculum, valde aptum edidit, quo sacramenti huius miraculum, cum vinum in eius sanguinem conuertitur, rectè intelligatur.*

## CAPVT LXXIII.

**D**OCTE admodum D. Augustinus tractatu in Ioannem nono scriptum reliquit, omnia CHRISTI gesta, & facta non eò tantum nobis conferre, ut corda nostra excitentur, & ad credendum miraculis prouocentur, verum etiam ut in doctrina fidei ædificemur: Vnde & alibi ait: Domini nostri IESV CHRISTI facta, non sunt tantummodo facta, sed signa: Si ergo sunt signa, præter id quod mira sunt, aliquid profecto significant: Hæc ille. Quæ pro fundamento rationis nostræ, quam ex miraculo conuersionis aquæ in vinum, pro fidei maiorum, confirmatione sumimus, à nobis dicta sunt. Istud enim miraculum à Domino factum esse dico, non ad id tantum, ut miraculum esset, verum etiam ut aliud significans, ad magnum illud præclarumque miraculum; quo vinum in CHRISTI sanguinem vertitur, commodius intelligendum, animos hominum præpararet. Nam optimè nouerat CHRISTVS, difficile admodum fore, ut quibusdā persuaderetur, rem tantā ab illo effici posse.

S 3 lino

Imò iam longe ante nonnullos, in nouissimis istis temporibus futuros præuidebat, qui hanc vini in sanguinem suum conuersionem illi impossibilem esse cõtenderent. Proinde ipsa experientia rerum magistra demonstrare voluit, se facillime, ac pro suo libito rem vnam, in aliam posse conuertere, vt ita nemo, qui eum aquam in vinum commutasse legisset, vinum quoque in sanguinem suum conuertere posse dubitaret. Si quispiam igitur ex me quærat, quomodo CHRISTVS vinum in sanguinem suum transmutare posset, ei per aliud (quomodo) respondere possum, ita quærendo: Quomodo ipse in Cana Galilææ in nuptijs, aquam in vinum conuertere protulit? Et cum ille ad meum (quomodo) responderit, ego ad suum quoque respondebo: Hoc enim diuina verbi sui virtute factum est, cum ministris diceret: Fertè architriclino. Hoc enim verbo prolato, aqua inter ministrorum manus, in vinum repente conuersa est: Ita & diuina verbi Dei virtute, quod Christus super vinum protulit, dicens (Hic est sanguis meus) vinum in eius sanguinem subito conuersum est: Mirabatur quidem architriclinus, videns optimum vinum vltimo reseruatum, huius rei auctorem ignorans, at serui, & ministri probe nouerant, sic & multi mirantur, qui sub hoc sacramento miraculum istud effici possit. At veri Dei ministri, qui eum, qui id miraculi fecerit, norant, nimirum eum esse, qui suo verbo, soloque vocis imperio, cœlum, & terram, & quicquid eorum ambitu continetur, creauit, minime absurdum esse, arbitrantur, si tam grande miraculū non modo semel fecerit, sed etiam quotidie faciat. Caterum illud miraculum, quo Christus aquam in vinum conuertit, designabat, eum in nuptiarum suarū diem, cum desponsaret Ecclesiam (quas quidem nuptias in vltima cœna, cum Apostolis suis celebravit) optimum vinū, quod Deum & homines lætificat, hoc est, preciosum sanguinem suum, ex vino factum, ad finem vsque conuiuij reseruaturum: Quod & præstitit. Nam cum secundum legem, agnum paschalem cū illis comedisset, & vinum, ac calicē Moisaicum bibisset, vt Iudaico paschæ finem imponeret, cœna iam facta, calicem iterum accepit, consecrauit, ac benedixit,

Ind. 9.

dicens, Hic est sanguis meus, deinde Apostolis, (qui vniuersam ibi representabant Ecclesiam) bibendum tradidit, ac ita optimum vinum in finem vsque seruaui, vt sic adimpleret, quod primū illud aquæ in vinum conuersæ miraculū præfigurabat. Argumentum igitur, quod ex hoc miraculo, pro Maiorum nostrorum fide colligo, eiusmodi est: Christus optimum vinum, in finem vsque conuiuij, seu nuptiarum suarum, reseruare debuit, quemadmodum hoc miraculo significabatur. Hoc est, longè præstantiorem potum, suis exhibere debebat, quam antea vnquam hominibus exhiberat: At si materiale duntaxat vinum ac sanguinis sui signa, & figuras tantummodo, eis exhibuisset, nihil amplius sub nouo testamēto, quam sub veteri, hominibus dedisset, neque optimum vinum in finem vsque nuptiarum suarum reseruasset: nam & sub Moysē, ac veteri lege patres non minus bonum potum, quam Christiani Euangelio coruscante habuissent. Consequens igitur est, Christum nō materiale vinum, nec signa, aut figuras tantummodo sanguinis sui, sed ipsum suū sanguinem, quem ante promiserat, discipulis propinasse. Istud est igitur argumentum, quod ex hoc miraculo elicimus, quod sane miraculum experientia ipsa, Christi potestatem, qua vinum in sanguinem conuertere possit, clare demonstrat. Deinde manifeste docet, verba super calicem prolata, non per sanguinis sui figuras, signa, aut ænigmata, sed simpliciter, iuxta literam intelligēda esse, quemadmodum non per figuras, aut signa tantum, sed simpliciter ac re vera in nuptijs aqua in vinum conuersa est.

*Verba de veteris testamenti sanguine prolata, veram de noui testamenti sanguine intelligentiam demonstrare, vna tertio ratio promittitur, vt sine figuris has verba exponenda esse doceatur.*

## CAPVT LXXV.

**D**IVVS Paulus de lege Moisaica loquens, omnia quæ in ea fiebant, nō nisi rerum noui testamenti figuras fuisse, pronuntiare non dubitat. Omnia (inquit) in figuris continebantur illis: Hoc est,

*Cor. 10.* est, in eis rei figura, quæ populo Christiano (qui verus in spiritu Israel est) per Christum redemptorem nostrum re vera exhibenda erat. Et alibi legem futurorum bonorum vmbra habere dicit. *Heb. 9.* Quæ igitur in veteris testamenti institutione præcesserant, ea ad illarum rerum, quæ in nouæ legis institutione gestæ sūt, intelligentiam conferunt. Quare operæ precium me facturum arbitror, si ceremonias in veteris illius testamenti institutione obseruatas, breuiter hic recitauero. *Exod. 24.* Igitur in Exodo habes quemadmodum Moyses scripsit vniuersos sermones Domini, & mane consurgens altare Domino, ad radices montis edificauerit, ac deinde duodecim titulos, secundum numerū duodecim Tribuum Israel affixerit: Quo facto inuenes de filiis Israel misit, qui holocausta offerrent Domino, qui duodecim vitulos, victimas pacificas immolauerunt: Tunc Moyses dimidiam partem sanguinis tulit, & misit in crateras, partem autem reliquam fudit super altare: Assumenque volumen foederis, legit audiente populo, qui respondit: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, ac ei obediētes erimus: Tum Moyses vitulorum, ac hircorum sanguinem, cum aqua, lana rubea, ac hyssopo accipiens, populum aspersit inquit: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum, super cunctis sermonibus his, vel quemadmodum Paulus recitat: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Porro hæc Moysi verba, secundum literam absque figura, aut metaphora vlla explicanda esse, non dubium est, ex quo manifeste sequitur, in noui testamenti institutione, verba, quæ illius sanguinem demonstrant, iuxta literam quoque sine figura, aut tropo interpretari oportere, Christianosque, filio Dei simpliciter, quemadmodum filij Israel Moysi, credere & obedire debere. Aduersarij vociferantur, scripturam intellectu facilem esse, quia nullus (vt ipsi inquit) illius est locus, quin alio quoque in simili alibi elucidetur. At si omnes diuinarum literarum paginas reuoluas, nullum (scio) locum reperies, qui his Christi verbis, (Hic est sanguis meus) tam similis sit, quam illa Moysi verba, quibus veteris testamenti sanguinem ostendebat, dicens: Hic est sanguis

testamenti quem mandauit vobis Dominus: Hinc itaque huiusmodi argumentum elicio. Si hæc Moysi verba, absque figuris vllis exponenda sunt, sic & Christi verba, quibus, quisnam noui testamenti sanguis esset, ostendit, sine tropis intelligenda erunt: At de illis, nemo sanæ mentis dubitauerit, quin sine figuris interpretanda sint: neque igitur de his, quin sic quoque exponi debeant, vlla ratione dubitandum est: Nam si illius testamenti, (quod typis ac figuris plenu erat) verba, absque figuris intelliguntur, nonne multo magis illius testamenti (quod ipsissima est veritas, & omnium figurarum elucidatio, & complementū) verba, absque huiusmodi figuris, aut tropis accipienda sunt? Hæc igitur ratio, necessario, mihi cõcludere videtur, quandoquidem nulla ratio, quæ magis pro vna, quam pro altera parte facere videatur, assignari potest. Proinde Maiores nostri, qui totam scripturam diligentissime euoluerant, & vnum locum, cum alio exactissime contulerant, nunquam sibi persuadere potuerunt, institutionis noui testamenti verba, potius quàm veteris, per figuram intelligenda esse, sed illud multo magis sibi persuaserunt, Christo simpliciter esse credendum, non secus, quam populus ille duræ ceruicis Israel secundum carnem, Moysi crediderat. Si tanti vitrum, quanti margaritum? Si populus ille duræ ceruicis, si Israel secundum carnem Moysi credidit, quid Israelem secundum spiritum, facere æquum est, vt fidei Abraham patris sui imitator existat?

*Verborum, quibus Christus sanguinem suum hominibus pollicitus est, considerationem magno esse argumento, exhibitioria ipsius verba, re vera iuxta literam explicanda esse.*

## CAPVT LXXVI.

**C**VM scriptura vna per aliam sibi similem exponitur, ea interpretandi optima, ac talis est ratio, cui omnia Doctorum commentaria, ac interpretationes merito cedere debeant: huiusmodi autem interpretandi genus, non minus nunc habemus, vt calicis verba, quæ

iam tractamus, explicemus, quam cum ea, quae super panem pronuntiata sunt, explicabamus: Nam cum Christus, sanguinem suum in potum hominibus polliceretur, manifeste satis ostendit, quem admodum verba sua, cum post promissa praestaret, intelligi vellet. Accommodemus igitur promissoria eius verba, ut exhibitoria explicemus. Quæritur itaque, vtrum Christus in Coena Apostolis suis dicens: (Accipite, & bibite, Hic est sanguis meus novi testamenti) absque figuris loqui, ac sanguinem suum bibendum, in rei veritate porrigere vellet, necne? Quæ quidem quaestio, ut recte solui possit, inuestigandum est, an Christus sanguinem suum hominibus in potum, verè, ac realiter; an vero per figuram, ac signum tantummodo promiserit. Si enim ipsum verè, ac realiter promississe probari potest, hinc sane necessarîo consequetur, sua ipsius verba, quibus sanguinem suum esse aiebat, quem in coena discipulis suis bibendum porrigebat, sine figura aliqua, aut sensu mystico esse intelligenda, idque ideo, quia Christus in promissis suis fidelis est, ita ut quicquid pollicetur, fideliter & eo modo, quo pollicetur, exhibeat. Videamus ergo quidnam dicat, cum hominibus sanguinem suum polliceretur. Caro enim mea (inquit) verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Qui sanguinem suum dicit verè esse potum, eum quoque verè bibitum esse ostendat, necesse est. Nec enim quod verè bibi non potest, verè potus, nec quod manducari non potest, id verè cibus dici potest: Istud proinde argumentum necessarîo concludet: Christi sanguis verè potus est, ergo verè bibitur. Nam si verè bibi non potest, neque caro eius verè manducari; ille igitur verè mentitus est, qui ea dicebat, verè potum, ac verè cibum esse: Non ergo res leuis momenti est, neque parua, in Deum blasphemia; dicere ipsum non posse, carnem suam hominibus manducandam, neque sanguinem suum bibendum exhibere, nisi spiritualiter tantummodo, & per fidem; quodque in vno dumtaxat, nempe in coelo, verè, ac realiter esse possit. Nam si corpus, & sanguis Christi, non nisi in coelo sint, nec a libi vsquam esse possint, & quod tantum inter ipsius corpus, & sacramentum nostrum, in rei veritate distet, quanta inter

coelum, & terram distantia est (sicuti in eptissimo Beza quondam fabulabatur) nullo modo dubitandum est, quin Christus cum diceret, corpus suum verè cibum esse, & sanguinem suum verè potum, verè mentitus sit: Quocirca clarè perspicuo, nouellæ Religionis illorum fundamentum, in redemptorem nostrum planè blasphemum, ac eius verbo ex diametro oppositum esse. Potissimum enim Calvinianæ hæreseos, ac inuictorum eius fundamentum est, ut impossibile esse contendant; Christi corpus re ipsa in pluribus locis, in coelo videlicet, ac in terra simul esse posse. Ac sic tantumdem de Christi corpore, ac non amplius, quam de nostro credunt: Imò verò sic Dei omnipotentiam constringunt, ac limitant, ut dicere audeant, cum omni virtute, ac potentia sua, id efficere non posse, ut Christi corpus re vera in pluribus locis simul existat: Nonne igitur directe in Redemptorem nostrum sacrilego ore blasphemant? Nam cum dicant, Christum non posse in rei veritate nobiscum super terram, in coena nostra esse; neque nos re vera in coelum ascendere possumus, ut eum ibi realiter recipiamus, nonne apertissime sequitur, eos dicere nec carnem eius verè cibum nostrum, nec sanguinem verè potum nostrum esse? Ex quo, quid aliud concluditur; nisi Christum verè mentitum fuisse, cum id in rei veritate esse pronuntiaret, quod isti impossibile esse affirmant? O horrendam in Dei filium blasphemiam: Certe quantum ad me attinet, nunquam equidem Calvinista esse possem, quin prius Christum mentitum esse confitear, cum diceret, corpus suum verè esse cibum, & sanguinem suum verè esse potum: Neque enim res aliqua verè cibus dici potest, quæ nec eo loco, ubi illi sunt, quorum ipsa cibus est, neque illi, ubi ipsa sit: esse possit. Ceterum, ut ad institutum redeamus, iam declarauimus, ac copiosius Deo donante, monstrabimus, quicquid verè cibum est, realiter quoque cibum esse, eò, quod voces illæ (verè ac realiter) conuertibiles sint, quemadmodum nomina (verum, & res) à quibus illæ descendunt, ac deriuantur: Ad hæc ostendimus, quod (verè) ei opponatur, quod est esse per fidem, imaginatiōnem, phantasiam, spiritum, signum, aut figuram: Cum ergo Christus sanguinem suum

suum hominibus promittens diceret, eum verè esse potum, manifestè satis innuebat, se non illum per figuras, aut signa, sed realiter promittere. Si igitur verè, ac realiter in potum promissit, non est dubium, quin eo planè modo, quo ante promiserat, exhibuerit: At ipsius verba abunde satis ostendunt, ipsum verè, ac realiter promississe: Ex quo manifestum est, quicquid Deo credit, eum ipsius quoque verba, quibus promissa sua exhibebat, realiter vera esse, ac secundum literam absque vlla figura exponenda esse non dubitare; Constituendus est enim locus, in quo CHRISTVS sanguinem suum, in verum cibum hominibus exhibuerit; at nullus præter Coenam, ubi promissionis huius exhibitio commemoratur, assignari potest. Vnde verba, quæ Christus in ea protulit, verè ac literaliter explicanda esse, perspicuum est: Hanc efficacissimam rationem, cum Maiores nostri probè animaduertent, ac sibi precauerent, ne in Deum blasphemii essent, dicentes, eum fuisse mentitum, compulsi fuerunt credere, Christum verè, ac realiter de sanguine suo locutum esse, cum diceret: Accipite, & bibite: Hic est sanguis meus novi testamenti.

*Explicatio illius vocis (bibite) & quodnam ex ea, pro Maiorum nostrorum fide, argumentum colligatur.*

## CAPVT LXXVII.

Familia quoddam argumentandi genus à beatis Apostolis didicimus, quod tum fit, cum id, quod de figura dictum est, sumimus: ut id quod circa re figuratam fieri debeat, ostendamus. Quo argumentandi genere Diuus Ioannes frequenter vitur, veluti cum probare vellet, Christi in cruce pendens osia cū latronum, qui cum eo suspensi erant, osibus non fuisse frangenda, id quod de agno paschali dictum fuerat, vsurpans. Os (inquit) non comminuetis ex eo: Eodem itaque argumentandi genere & nos, pro Maiorum nostrorum fide confirmanda, ac approbanda vtetur: Scriptum est autem populum Israel, boum, ac hircorum sanguine, (qui ipso institutionis veteris testamenti Die, Domino Deo oblatus, ac sacratus fuerat) aspersum fuisse:

Vnde beatus Paulus ait, testamentum illud sine sanguine dedicatum non fuisse. Ipso igitur veteris illius testamenti dedicationis Die, victimæ pacificæ Domino Deo oblate fuerunt, sanguisque aspersio super populum, qui tum aderat, facta est: Ex quo concluditur, quod in secundi testamenti dedicatione, sacrificiū quoque ac sanguinis aspersio extiterit: Vnde Christus in Coena, primò corpus suum Deo patri, hostiam, ac victimam pacificam obtulit. Deinde proprio sanguine suo calicem impleuit, ut nouum Dei populum, nouum Israel aspergeret. De Moyse scriptum est, quod media parte sanguinis vitulorum (qui in veteris testamenti dedicatione oblatus fuerat) calices ad hoc præparatos impleuerit: ita & hinc colligimus, noui testamenti calicem, non vitulorum quidem, neque hircorum, sed illius, quem illa animantia præfigurabant, Hoc est, alio tanto præstantiori, quanto nouum testamentum, veteri excellentius est, sanguine implendum esse. Ex eo igitur, quod in veteris testamenti calicibus, non sanguinis figuram, aut signum tantum; sed re ipsa, verum sanguinem infudisse constat, inferimus & in noui quoque testamenti calice verum sanguinem contineri oportere: Quod si à me quaeris, cuius sit iste sanguis, à me audies, esse illius vituli saginati, quem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis occidi iussit, ut filio prodigo, qui cum aliquamdiu periisset, ac iam tandem ad domum patris reuersus esset, conuiuium celebraret: illo attestante qui ait: Accipite, & bibite: Hic est sanguis meus novi testamenti. Ceterum, ut clarius istud intelligi possit, animaduertendum est, magnum inter testamenti alicuius institutionem seu dedicationem, & confirmationem esse discrimen. Confirmatio enim testatoris morte perficitur, dedicatio autem ante mortem, eo sua adhuc libertate, ac recto mentis iudicio fruente instituitur. Ac ideo sanguis, in Christi morte effusus, non pro noui testamenti dedicatione, neque pro populi (cuius causa fiebat) asperione effusus est. Tunc enim, ne vnus quidem ex illo populo, qui illo sanguine aspergeretur, aderat. Omnes enim suggerant. Deinde testamentum illud præcedente vesperi conditum, ac ex integro completum fuerat;

fuerat, hoc dumtaxat excepto, vt testatoris morte confirmaretur. Adhuc testator ipse, libertate tum non potiebat, vt testamentum conderet, quippe qui inter principum manus, captius detineretur. Ex hac igitur summa colligo, in ipsa noui testamenti dedicatione, seu institutione, non minus, quam cum vetus illud institueretur, sanguine opus fuisse. Quem autem alium ostendes, nisi eum de quo verus testator noster Christus Iesus loquebatur, cum calicem manibus tenens, nouo illi populo diceret: Accipite, & bibite: Hic est sanguis meus noui testamenti. Ex mutua itaque calicum veteris, ac noui testamenti collatione, & excius, quod in illius veteris testamēti calicibus continebatur, cum eo, quod in noui testamenti calice continetur, comparatione, in isto noui testamenti calice verē, ac realiter verum sanguinem, quē admodum & in illis, inesse debere, manifestum est. Ipsius nempe Redemptoris, CHRISTI Iesu, qui per vitulos illos, qui in veteris illius testamenti dedicatione in victimam pacificam, & gratiarum actionem oblati fuerant, præfiguratus est sanguis.

*Quidnam his verbis, Bibite ex eo omnes, Christus innuat.*

## CAPVT LXXVIII.

Singula Christi verba magnum thesaurum continent, sed absconditū, qui detectus in mediumque prolatus, Maiorum nostrorum fidem vehementer illustrat, quemadmodum ex ijs, quæ in hanc Domini sententiam (Bibite ex eo omnes) dicturi sumus perspicuum est. Hæc siquidem verba, discrimen inter vetus ac nouum testamentum, atque vnius, præ altero, excellentiam ostendunt. Verum vt rectius istud intelligatur, sciendum est, omnino necessum fuisse, vt nouus populus pro quo, & cum quo mediator Dei, & hominum, nouum testamentum condebat, testamenti istius sanguine aspergeretur, quemadmodum vetus ille populus, veteris illius testamenti sanguine per Moysem mediatorem aspersus est. Sed quemadmodum, nouum testamentum longē maioris efficaciam, atque virtutis, multoque maioris gratiæ

atque excellentiæ est, quam vetus, ita & sanguinis huius aspersio, eo modo, qui effectuum vtriusque differentiam ostenderet, faciendā fuit. Vetus autem testamentum, & ille sanguis, qui vt vetus ille populus aspergeretur, effusus est, hanc vim solam habuit, vt corpus ab illis immundicijs, ac irregularitatibus carnalibus, quæ per illius testamenti traditionem, ac ceremoniarum transgressionē incurrerentur, ablueret, quemadmodū Diuus Paulus in sua ad Hebræos Epistola pluribus verbis ostendit. Nam postea quam præcipuas ipsius traditiones, ac ceremonias descripsisset, ac summum sacerdotem semel dumtaxat in anno, in sancta sanctorum, idque non sine sanguine, (quam pro sua, ac populi ignorantia offerrebat) intrare dixisset, ita tandem cōcludit: Hoc significante (inquit) spiritu sancto, nondum propalaram esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum, quæ parabola est instantis temporis, iuxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam, perfectum facere seruitutem, solummodo in cibis, & potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis: At CHRISTVS (inquit postea) assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius ædificauit tabernaculum sanguinemque longē præstantiorem, ac efficaciorē, quam fuit ille veteris tabernaculi, nobis suppeditat. Nam si (inquit) sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis CHRISTI, qui per spiritum sanctum semetipsum obrulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruendum Deo viuenti: Vides quemadmodum noui testamēti sanguinem, multo maioris efficaciam, quam veteris illius testamenti esse demonstrat? Illius siquidem virtus, vt corporis fordes ablueret, ad carnem vsque tantummodo se extendebat: Huius autem vis, vt animæ maculas abluat, ipsam conscientiam penetrat. Igitur quoniam veteris testamenti sanguis ad carnis tantummodo sanctificationem valebat, idcirco exterius, super veteris illius populi corpora (vt cum coinquinaret potius (si fas

Heb. 9.

Ibidem.

est ita loqui) quam vt mundaret) aspergebatur. Cæterum quia noui testamenti sanguis virtutem habet, vt conscientias abluat, atque sanctificet, ideo interior quædam ex eo fit aspersio, non exterius super noui populi corpora illum effundendo, sed interior cum verē ac realiter bibendo. Neque enim commodior vlla ratio inueniri poterat, vt in ipsa corpora effunderetur, ac eo, noui istius populi corda aspergerentur, quam vt ex eo calice, quem ipse Christus potentia sua infinita miscuerat, absque villo aut sui ipsius dolore, aut illorum qui ipsum biberēt, horrore biberetur. Illud autem minime prætereundum est, quid sit id, quod superius de instantis temporis, id est, noui testamenti parabola, seu figura dictum est. Liber enim in quo vetus illud testamentum scriptum erat, sanguine etiam aspersum fuisse memoratur. Quid autē illud significat aliud, nisi librum, in quo Christus nouum scripserat testamentū, illius sanguine verē ac realiter aspergendum esse: Quod quemadmodum ab illo fit impletum, omnino inquirēdum est. Verum ante omnia, quisnam iste liber sit, in quo nouum testamentum scriptū est, intelligamus, necesse est. Hoc quoque beatus Paulus in sua ad Hebræos epistola abunde satis ostendit, Domini Dei verba, quibus ipse nouum testamentum promittebat, citans, quæ apud Hieremiam hunc in modum scripta sunt. Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum in die illa, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum scribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. En cuiusmodi sit noui testamenti liber, corda noui populi Israel, papyrus atque liber sunt, in quibus Moyses noster leges, ac verba sua scripsit. Liber autem hic verē, ac realiter sanguine rigandus erat, quemadmodum Moyses papyrus illam, in qua vetus scripserat testamen-

Heb. 8.

Iere. 31.

tum, illō cruore resperferat. Cæterum hominis cor, quod interius, ac in ipsius corporis medio consistit, Christi sanguine exterius dumtaxat effuso, nō potuisset aspergi, quare omnino necessū fuit, vt Dei sapientia, rationem aliam adinueniret, qua noui populi sui corda, quæ testamenti ipsius liber sunt, aspergeret, purgaret, ablueret. Ac propterea ipse statuit, ac omnino decreuit, vt ipsius sanguis biberetur, vt hac rationē illorum corda eo abluerentur, ac sic legem perfectionis, legem, veræ sanctitatis, legem dico euangelicam, illis suo sanguine inscriberet. Hæc verò duæ potissimum sunt causæ, cur sanguinis noui testamenti aspersio, bibendo fiat, & non exterius lana coccinea illum super corpora nostra aspergendo, quemadmodum in veteri testamento fiebat. Prior est vt sanguis huius, qui conscientias interius mundat & abluat, designetur effectus. Altera verò est, vt noui testamenti liber, id est corda nostra aspergantur, ad quæ sanguis iste in hoc diuino, atque augustissimo sacramento bibitus perherrat: Hæc igitur ratio est, cur Christus, vt ipsius sanguis biberetur, & non vt lana coccinea, quemadmodum veteris testamenti sanguis, super populum suum exterius aspergeretur, inscriuit atque præcepit. Adde quod & sanguis iste vsque ad eodē preciosus est, vt magna foret irreuerentia, sic exterius illum effundere. Sanguis ille veteris testamenti eorum, qui aspergebantur, vestimenta fadabat, verum ipsius agni noui testamenti sanguis, interiora hominis vestimenta abluat, imo (& quod longē magis est) candida reddit, quemadmodum D. Ioannes de ijs, quos ante Thronum Dei in albis vestitōs conspexerat, attestatur, de quibus seniorum vnus ei dixit. Isti sunt qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine agni: En quā ingentia, sub vno Christi verbo, mysteria tegebantur, quæ in medium proferre, coacti sumus, vt & aduersariorum incredulitas ab omnibus perspici, & quā congruenter ac iuste maiores nostri realem sanguinis Dominici potationē posuerint, intelligi possit. Quid enim magnis illis celestibusque mysterijs, per huius sanguinis effectum designatis congruentius: Quæ nouelli, ac audaculi isti Doctores

App. 7.

ctores non intelligentes, realem huiusmodi potationem vanam, ac omnino superfluum, non minus temere, quam insipienter iudicauerunt. Vnde & potationem suam, per fidem (vt ipsi vocant) excogitarunt, stultè exponents bibere pro credere, quasi Christi sanguinem bibere, nihil aliud sit, nisi credere. O temeritatem ac stultitiam singularem! Sed hos tandem missos faciamus, vt cuiusuis æqui prudentisque Lectoris iudicium appellemus. Quæro igitur, an non rationes nostræ satis efficaces sint? nam Maiores nostri iure meritoque crediderint, quod quemadmodum CHRISTI sanguis verè potus erat, ita & verè, ac realiter biberetur, ac quotidie bibatur, maxime propter eos admirabiles effectus, ad quos infinita Dei sapientia (cuius rationes, atque consilia incomprehensibilia sunt) illum destinavit: Quos sane effectus, atque utilitates, cum Maiores nostri probe animaduertent; Christi verba de ipsius sanguine, ad literam, nullò ad metaphoras, aut figuras, habito respectu, interpretati sunt.

*Dua pro Maiorum nostrorum fide rationes, ex istorum adhuc verborum circumstantiis (Accipite, & bibite ex eo omnes) desumpta.*

## CAPVT LXXIX.

**H**orum verborum (Accipite & bibite) in scriptura vsus, eò destinatus est, vt realem actionem significant, cum aliquid recipimus, quòd nobis extrinsecum erat. Nam de ijs rebus, quas in nobis, aut fide, aut cogitatione, aut alijs similibus modis fingimus, dici non potest, quod eas accipiamus, ac bibamus; Proinde quemadmodum verbum illud (Accipite) cum de Christo dicitur. (Accipit panem; accepit calicem) sic planè sumitur, vt realem actionem significet, ita & cum Apostolis proprium sanguinem suum offerret, dicēs, (Accipite &c.) eodem sane modo quemadmodum ipsius verba diserte satis ostendunt, accipiendum esse dico. Idem & de illo verbo, bibite, habeo dicere, non phantasticam, aut imaginariam, sed veram ac realem actionem eo significari. Cæterum alia

rursum hic nobis consideranda est circumstantia, nempe, quod (Accipite, & bibite) sint verba præcepti. Iam verò diuinorum mandatorum verba secundum literam absque vllò tropo, aut figura accipi debent, vt iam antea latius declarauimus. Nam magnopere in nobis oblectatur Deus, cum prompte, ac simplicitate eius præceptis obedimus, ea, quemadmodum ipsius verba sonant, exequentes: hac siquidem in re bonam fidelium suorum obediendi voluntatem experitur, vnde in præceptis suis non vult verbis ambiguis, ac figuratis vt ne fidelibus, ac dilectis cultoribus suis, aliquid vel absurdum, vel quod ipsi displicere possent, agendi occasionem præbeat: Quo fit, vt simplicibus verbis quid à suis fieri velit, ostendat. In hunc itaque modum eius verba fideles accipere nouerunt. Quemadmodum & Maiores nostri sibi semper faciendum putarunt, qui animaduertentes, Christum hic de suo sanguine bibendo iubere; nunquam Dei verba mysticè, aut figuratè exponere ausi sunt. Quod quid aliud fuerit, quàm vt Dei præcepto non obediatur, occasionem querere? Sed hæc latius aliàs declarauimus, quæ nunc obiter, vt lectoris memoriam reficere, repetenda putauimus. Quare ad alia transeamus: Est itaque & alia hic circumstantia notatu dignissima, nempe quod vnus tantum rei sumenda mentio hic fiat: Non enim CHRISTVS hic ait: Bibite ex eis omnes, sed Bibite ex eo omnes, de vna tantummodo reservationem faciens. Quod contra eos, qui realem in hoc sacramento corporis Christi præsentiam credentes, transsubstantiationem nihilominus negant, simul & vini, & corporis sui substantiam, Apostolis suis Christum tradidisse dicentes, diligenter annotandum est. Quæ sententia quàm falsa sit, facile intelligi potest ex hac circumstantia, argumentum sumendo ad hunc modum, A Christo in calice, quem Apostolis obtulit, nihil aliud datum esse dicendū est, nisi id quod illius verba datum esse testantur. Hęc autem vnus tantum rei mentionem faciunt, ex quo rectè concluditur, ipsum, vnam solummodo rem illis exhibuisse: Minorem huius syllogismi, ex eo veram esse constar, quod Christus non ait, Bibite ex eis omnes. Quod ab eo tamen dictum

etiam oportuerat, si in illo calice duo diuersi potus, & non vnus tantummodo fuisset: Vnam igitur rem tantum bibendam præcepit, vnam solam accepit, vnam tantum ostendit. Quocirca affirmare, aut docere, ipsum pluribus de rebus ibi locutum esse, quid est aliud, quàm illius verbis aliquid addere? Quòd factum est, vt Maiores nostri transsubstantiationem libenter admiserint, ne duos diuersos potus simul in calice Domini credentes, ipsius verbo aliquid addere viderentur. Quod æterna maledictione iure punitur. Quicumque igitur realem Dominici sanguinis in hoc sacramento præsentiam credunt, iuxta verbi Dei rigorem, transsubstantiationem, quemadmodum & patres nostri, admittant, necesse est.

*Quod Christus cum hoc sacramentum instituit, bis calicem accepit, pro Maiorum nostrorum fide stabilienda, multum valere.*

## CAPVT LXXX.

**Q**ui omne verbum otiosum ad eò seuerè vetuit, ab eo nullum vnamquam aut vanum, aut inutile, aut otiosum, aut absque magna ratione verbum prolatum esse credendum est. Quod ita se habere, nemo Christianus negat. Quocirca cum animaduertimus, CHRISTVM vna de re, plura verba, quàm de alia fecisse, diligenter debemus expendere, cur id fecerit, certò nobis persuadentes, id non siue magno mysterio fieri, & quin magnis ibi thesaurus lateat, ijs qui ad quærendum idonei fuerint, eruendus, minimè dubitantes. CHRISTVS autem in cenà duos calices accepit, vnum ante panis consecrationem, vt iam antea latius comprobauimus: Alterum finita iam cenà, quemadmodum apud Lucam videre est: At de primo quamuis illum ipse in manus acceperit, ac Deo patri gratias egerit, discipulisque dixerit, Accipite, & diuidite inter vos; non ideo tamen, sanguinem suum esse pronunciauit; sed postea quam dixisset, Accipite, & diuidite inter vos, ibi dicendi finem fecit, non aliud se illis dare

pronuncians, quàm id quod in calicem infundi viderant: Cæterum postea quam secundo calicem accepisset, ac Deo patri gratias egisset, benedixissetque, ac Apostolis dixisset, Accipite, & bibite ex eo omnes; sermonem ibi non compleuit, sed adiecit, Hic est sanguis meus noui testamenti: Hic Apostoli nisi ipsum verum dicere credidissent, iure ab eo quæsiuissent, cur secundo calici hæc verba (Hic est sanguis meus) potius quàm primo addidisset. Sed quæro ex te, si vterque calix, non nisi ipsius sanguinis signum, & figura erat (cum ipse nihil absque ratione, ac rei veritate dixerit) cur de vno sanguinem suum potius, quàm de altero esse pronunciauit? Sic sane Apostoli, à Domino quærere poterant, quod cum non fecerint, sed simpliciter eius verba auscultauerint, omnino mihi persuasum habeo, eos credidisse, quod illis non per signum, aut figuram, sed verè, ac realiter bibendum exhibebatur, nihil aliud nisi CHRISTI sanguinem fuisse. Ad hæc altum istud, atque profundum Apostolorum silentium, me impellit, vt Christum multo ante & sapius Apostolos suos de hoc sacramento quàm diligentissime instruxisset, ac copiosissime, quidnam illis in rei veritate tum datum esset, dixisset, non dubitem. Illi vero tam erant de sua salute solliciti, vt ea Christi verba, (quibus, nisi sanguinem suum biberent, mortem æternam comminabatur) nulla ratione sic sub silentio transegerint, quin prius veram eorum interpretationem, atque intelligentiam haberent. Hinc igitur illud tam altum silentium, quod Christum de tam sublimibus mysterijs, nimirum de carne sua manducanda, & sanguine sub aliena specie bibendo differentem, frequenter audiuerant. Sed vt ad rem redeamus, velim equidem, vt illi, (qui hic Christum, non de suo sanguine, sed de eius signo, aut figura tantummodo locutum esse contendunt) velim (inquam) vt rationem aliquam mihi reddant, cur de secundo potius calice, quàm de primo dixerit, Hic est sanguis meus, &c. Cur hoc (inquam) dixit, si nihil amplius sanguinis in vno fuit, quàm in altero, & si vterque non nisi sanguinis illius signum, ac figura extitit?

T Nam

Nam si vnus altero nihil amplius con-  
rinebat, quid sibi vult, quod de troca-  
liter quam de illo pronunciat? Ali-  
quam sane rationem hic mihi dari cu-  
perem, qua Christi verba neque vana,  
neque superflua fuisse doceatur, si in eo  
calice, in quo sanguinem suum Chri-  
stus esse dicebat, nihil aliud, nisi signa  
& figuræ fuerunt. Nullus Hugonista,  
nullus Zuinglianus aliam, nisi à Maio-  
ribus traditam rationem assignare po-  
test, quin euestigio rideatur. Maiores  
autem nostri, quorum fidem sequi-  
mur, eum sic dicere crediderunt, quia  
verum erat, quod ipse dicebat, & quia  
calix ille sanguinem suum verè conti-  
nebat, sicuti ipsius verba præ se ferunt.  
Sudent igitur aduersarij, vt rationem a-  
liam, cur posteriori calici appendicem  
huiusmodi CHRISTVS addide-  
rit, iuueniant; nihil tamen amplius  
efficient, quam vt oleum & operam  
perdant. Quocirca Maiorum fidei,  
quæ expresso DEI verbo innitur,  
firmiter adherentes; reliquas verbo-  
rum CHRISTI circumstantias di-  
scutiemus.

*Quod inuistat a hæc gratiarum actio, quam  
Christus super calicem egit, magna ali-  
cuius rei ibi perpetrata ar-  
gumentum sit.*

## CAPVT LXXXI.

*Lib. 33.  
9. 4. 69.*

**R**Estè Augustinus de vi, ac natura  
circumstantiarum sacra scripturæ,  
Solet (inquit) circumstantia scripturæ  
illuminare sententiam, cum ea, quæ  
circumscripta, præsentem quæstionem  
contingentia, diligenti discussione tra-  
ctantur. Cum igitur coenæ verba, per  
nostræ tempestatis hæreticos difficilia  
effecta sint, felices admodum sumus,  
quod clarus illorum sensus tanto cir-  
cumstantiarum, quæ & præcedunt, &  
sequuntur, lumine illustreretur. Sunt e-  
nim eiusmodi circumstantiæ, quæ dili-  
genter consideratæ, facile omnem ad-  
uersariorum incredulitatem perfidi-  
amque confundant. Quapropter pau-  
lo diutius circa vnam quamque earum  
nobis inhærendum est, vt fidei Maio-

rum rationes commodius intelligere  
possimus. Inter cæteras, hanc quæ se-  
quitur, multum ponderis habere iudi-  
co: CHRISTVS, priusquam in calice,  
quem manu tenebat, sanguinem suum  
esse diceret; peculiare Deo patri suo  
gratias egit, quod tum demum facere  
consueuerat, cum quippiam inconsue-  
tum, ac magni ponderis, veluti grande  
aliquod miraculum perpetrare decre-  
uerat. Ita apud Ioannem priusquam  
miraculum de quinque panibus, ac  
duobus piscibus faceret, accepto in ma-  
nibus pane, gratias egit, tum magnum  
illud miraculum, quo quinque homi-  
num milia tam paucis panibus satiata  
sunt, ac plus duodecies nihilominus,  
quam antea fuerat, panis superfuit, sub-  
secutum est. Ad eundem modum cum  
magnum illud resuscitati Lazari mira-  
culum ædidit, primò Deum patrem  
deprecatus est, ac ei gratias egit. Pater  
(inquit) gratias tibi ago, quia audisti  
me, & cæc. Et hanc gratiarum actio-  
nem continuo admirabile illud conse-  
quutum est miraculum, ad quod in-  
fernus, natura, ac mundus obstupuit.  
Sic etiam cum priorem in cœna cali-  
cem accepisset, qui secundum Mosai-  
cæ legis ritum bibebatur, DEI patri  
gratias egit, quo factò, ad Mosai-  
cæ legis abrogationem se cõtulit, quod  
sane opus ad eò ingens, ac miraculo-  
sum fuit, vt vix vllum vnquam maius  
CHRISTVS perpetraverit. Etenim  
noui testamenti, in veteris illius lo-  
cum, subrogatio, ingentis difficultatis  
opus erat. Cum igitur accepto cali-  
ce, eum Deo patri gratias agere con-  
spicio, priusquam consecratoria ver-  
ba proferat; ingens aliquod miracu-  
lum, aut magni saltem quippiam  
momenti ab eo expectare compellor,  
quod huiusmodi infuctas gratiarum  
actiones, quas propter rei euentus cer-  
titudinem Deo patri agebat, ac si iam  
res ipsa acta esset, subsequatur. Neque  
vero vllò modo dubitauerim; quin A-  
postoli, qui eum, in rebus suis a-  
gendis curiosius obseruare consueue-  
rant, vehementer animo suspensi fue-  
rint, ac mirabilem quempiam eius-  
modi gratiarum actionis exitum  
prætolati sint. Vnde nec in vllò  
sanc,

sane expectatione sua frustrati fuerunt,  
nam admirabile continuo filij DEI  
vocem, qua se ideo patri gratias egisse,  
dicebat, quod potestatem ei dedisset,  
vt in eo calice pro vino suum sangui-  
nem absque vlla sui mutilatione, aut  
venæ sectione constitueret, illisque  
bibendum porrigeret, audierunt. Vn-  
de aiebat illis: Accipite, & bibite, Hic  
est sanguis meus. Apostoli autem abs-  
que vlla aut contradictione, aut disputa-  
tione calicem de manu eius accipiunt,  
quippe qui diuinam illius potentiam,  
ac verborum eius fidem toties antè ex-  
perti fuissent. Hanc itaque simpli-  
cem beatorum Apostolorum fidem  
Maiores nostri imitati sunt, firmiter  
credentes, post insuetam illam gratia-  
rum actionem, mirabilem panis in cor-  
pus ipsius, & vini in sanguinem, con-  
uersionem subsequutam. Nunquam e-  
nim huiusmodi gratiarum actionem  
in ipso obseruauerant, quin ingens con-  
tinuò opus ac miraculum consequere-  
tur.

*Quod circumstantia benedictionis à Domi-  
no super calicem facta, diligenter quoque  
adnotanda sit, vt ipsius ver-  
ba rectius intelli-  
gantur.*

## CAPVT LXXXII.

**Q**UANQVAM Euangelicus tex-  
tus expresse non referat, Christum  
calici benedictionem suam impertiuif-  
se; nihilominus tamen ex eo, quod cir-  
ca panem gessit, (quem Euangelistæ  
post gratiarum actionem benedixisse  
commemorant) & ex eo quod circa e-  
undem calicem tota frequentat Eccle-  
sia, abunde satis colligimus, ipsum ca-  
licem, non minus quam panem fuisse  
benedictum. Quæ profecto benedictio-  
nis circumstantia, diligenter obseruan-  
da est, vt CHRISTI verba rectius in-  
telligamus. Cum igitur nullam circa  
panis benedictionem, hac de re menti-  
onem fecerimus, non nihil hic, de ea di-  
cendum est. Dei itaque benedictionem  
magnæ semper efficacæ fuisse, ita, vt cir-  
ca res benedictas, rarum, ac singulare  
quid operaretur, in sacris literis, Sole

clarius perspicere potest. Hoc in primis  
constat, ex ea benedictione, qua primos  
illos homines, quos ad imaginem su-  
am condiderat, benedixit Deus. Nam  
illius vi & energia potestatem eis dedit,  
vt posteritatem suam in tantum mul-  
tiplicarent, vt totam terram occupa-  
rent, ac replerent. Idem & de benedi-  
ctione Abrahamæ legimus, quæ tantæ vir-  
tutis fuit, vt ipsius quoque posteritas,  
quasi stellæ cœli, aut arena maris mul-  
tiplicaretur. Verum hæc missa facia-  
mus, & ad ipsius CHRISTI benedi-  
ctiones veniamus. Qui quinque panes  
in manus accipiens, benedixit, tum ij in  
tanta copia repente creuerunt, vt ad  
quinque hominum milia saturanda a-  
bunde suffecerint: Quemadmodum  
autem miraculum istud, magni illius  
miraculi, quo CHRISTVS quoti-  
die cœlesti illo pane (qui vera ipsius ca-  
ro est, refectionem cunctis fidelibus  
subministrat, exemplum ac typus erat;  
ita & illa benedictio, eius benedictio-  
nis, quam in sacra cœna panis, ac vino  
collaturus erat, vim & energiam præfi-  
gurabat. Animaduertentes igitur, Chri-  
stum benedictionem suam, vino, quod  
calici infuderat, impertiri, ne eam  
(quæso) aut futilem, aut absque ma-  
gno, circa vinum illud, effectu, esse  
existimemus, sed eam potius huiusmo-  
di virtutem, atque efficaciam illi impri-  
mere credamus, vt cum in verum Chri-  
sti sanguinem illud transmutauerit, ita  
sanguis iste multiplicetur, vt totus mû-  
dus ex eo bibat; & postea nihilomi-  
nius tantum remaneat, quantum vn-  
quam antea fuisset. Neque vero cui-  
quam videatur absurdum, quod tanta  
de benedictionis filij Dei virtute, atque  
energia prædicamus: Nam si Helix be-  
nedictio tantum habuit virium, vt ho-  
spitiæ suæ lechythus olei non ante defice-  
ret, quam fames quæ vniuersam regio-  
nem illam inuaserat, defineret. Si Eli-  
sæ benedictio super modicum olei va-  
sculum effusa tantum valuit, vt pauper  
vidua sine olei diminutione, omnia,  
quæ à vicinis suis vasa mutuo acceperat,  
impleret, quid mirum si ipsius om-  
nium Prophetarum magistri benedi-  
ctionem, parem, imò & longè ma-  
iorem energiam habere credamus?  
T 2 Cal.

Ceterum est hic & aliud minimè prætereundum, nimirum in omnibus Christi benedictionibus, ipsius verba, simpliciter, iuxta literam, absque villo sensu mystico, aut allegorico explicanda esse. Quò fit, vt & hæc quoque secundum literam, & non allegorice, quemadmodum aduersarij somniant, accipienda sint: *Maiores nostri huiuscemodi benedictionem non absque graui causa à CHRISTO confectam fuisse, certò sibi persuadentes; admirabilem hanc conuersionem vini in sanguinem Christi, illius benedictionis virtute, atque efficacia factam esse meritò crediderunt. Vnde Diuus Paulus ad benedictionis quæ in hoc sacramento operatur, vim energiamque respiciens, sacramenti nostri calicem, benedictionis calicem appellat. Calix benedictionis (inquit) cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis CHRISTI est? Hinc manifestum est, argumentum illud, quod ex huius benedictionis circumstantia sumimus, his beati Pauli verbis omnino consentaneum esse: Cum enim Christi calicem, benedictionis calicem nominat, cumque dicit, nos benedictionem illi conferre, vt per eam, C H R I S T I sanguini communicemus, satis clare ostendit, huiuscemodi benedictionem efficere, vt vinum in ipsius sanguinem conuertatur, vt re ipsa, vero illius sanguini communicare possimus. Quocirca sole meridiano clarius videre est, omnes verborum Dei, ac operum eius circumstantias, ad verum, ac genuinum ipsorum sensum (cui Maiorum nostrorum fides innititur), rite explicandum, magnopere conducere: Illi enim in Dominico calice ante benedictionem non nisi puro vino, post illam, vero Christi sanguini nos communicare meritò crediderunt.*

*In hac sententia, Hic est sanguis meus, pronomen hic, nihil aliud nisi sanguinem demonstrare.*

## CAPVT LXXXIII.

Quemadmodum ostendimus, pronomen hoc, in illis Christi verbis:

(Hoc est corpus meum) nihil præter id, quod per vocem (corpus) significatur, demonstrare posse; quin verbum Dei adulteretur, idem & de pronomine (Hic) in his Christi verbis (Hic est sanguis meus) facile intelligi potest: hoc namque pronomen neque vini substantiam, neque quicquam aliud ab illo prædicato (sanguis) diuersum demonstrare potest. Vnde tam apud Græcos, quam Latinos, cum illo, in genere, & numero conuenit: Verùm vt hæc melius studiosus Lector intelligat, ad ea quæ superius de natura pronominis (Hoc) scripsimus, illum remittendum putamus. Id tamen quod de pronominis illius natura tum omiseram, hoc loco dicam, nimirum quod secundum Græcæ linguæ vsum, cum in oratione vox aliqua sine articulo ponitur, ea in genere tantummodo aliquid significat, quemadmodum beatus Cyrillus docet: cum vero articulus apponitur, propriè, ac singulatim vnica solummodo rem denotat, Veluti cum pronunciatur vox illa (Homo) sine articulo, in genere quemlibet hominem designat: cum autem aliquis articulus ei apponitur, particularis homo quispiam designatur: Ita & de pronomine Demonstratiuo dicendum esse cenfeo. Cùm enim solitarie, & absque substantiuo aliquo collocatur, nihil certi, aut particulariter significat, aut demonstrat, sed Lectorem ita suspensum tenet, vt qua de re sermo sit, nesciat, donec illi alia vox adiungatur. Nam exempli gratia, cùm dicitur (Hic est) nescitur, qua de re sermo fiat, donec vocem (sanguis) ei addideris. Tum enim hac voce, generalis illa significandi ratio restringitur: Vt eos igitur, qui ipsam quoque Grammaticam ignorant, verum pronominis huius vsum doceamus, generalem huiuscemodi regulam adsignamus. Quotiescumque istud pronomen (Hic) singulatim ante verbum (est) pro subiecto ponitur, nihil aliud nisi id, quod per vocem illam significatur, quæ post verbum (est) subsequitur, cum qua & concordat, ostendit. Nota etiam, ei dictionem aliquam ante verbum (est) addi non posse, quæ rem verè diuersam,

sam, ab eo, quod per prædicatum significatur, designet; Verbi gratia, in hac oratione, Hic est sanguis meus. Istud pronomen (Hic) solitarie ante verbum (est) collocatur, nihil proinde aliud, nisi id quod post verbum illud subsequitur; nempe vocem (sanguis) demonstrare potest. Si autem illi pronomini, dictionem aliquam, quæ aliud significaret, quàm id, quod sanguinis nomine denotatur, adiungas, statim orationem falsam reddes. Veluti si dictionem, vinum, ei adicias, dicendo, Hoc vinum est sanguis meus: Falsissima est hæc propositio, quia duæ diuersæ substantiæ, nunquam de se mutuo verè dici possunt, quemadmodum superius ostendimus: Illa igitur enunciatio, hic asinus est iste equus, ista nihilo verior potest esse. Quæ cùm ita sint, illud pronomen (hic) in ista oratione ante verbum (est) dictionem aliquam quæ aliud re ipsa diuersum, ab eo quod sanguinis nomine denotatur, significet, secum ferre non posse, manifestum est. Aliud autem generale nomen vt rē potus, de quo prædicaretur, non incongrue admitteret. Vnde rectè dixeris, Hic potus est sanguis meus; non tamen ideo rectè quoque dixeris: Hoc vinum est sanguis meus. Paulò superius dixisse me meministi, ipsam vocem vim, naturam, ac vsum à nobis bene cognitum (quæ omnia ex Grammaticis peti debent) ad hoc plurimum conferre, vt verum, ac genuinum verbi Dei sensum consequamur. Cùm enim Deus hominibus de re quæpiam loquitur, eo dicendi genere quod tum, cum hominibus loquebatur, in communi vtu apud eos erat, vti solet. Quare iam ex ijs, quæ diximus, facile videre est, quàm studiose Maiores nostri Pronominis naturam obserauerint. Vnde CHRISTVM per illud, neque vinum, neque aquam, neque aliud omnino, quam suum sanguinem demonstrasse, vnquam credere potuerunt. Ex quo liquet, quàm rationi, ac verò, legitimoque verbi Dei sensui, eorum interpretatio sit consentanea.

*Quod nomen ipsius vini, in nomen sanguinis mutatio huiusmodi realem quoque rerum significatarum mutationem denotet, cuiusmodi Maiores nostri crediderunt.*

## CAPVT LXXXIII.

ANTIQUA Philosophorum sententia est, Deum, ac naturam nihil vnquam frustra agere: Quod non solum in ordinarijs, verumetiam in extraordinarijs DEI operibus verissimum demonstrari potest, ex quibus nullum absque iusta, legitimaque ratione aut fit, aut vnquam factum fuit. Inter extraordinaria autem Dei opera, nominum quarundam rerum mutationem, aut ipsorum impositionem meritò numerare possumus. Quod absque legitima causa nunquam factum fuit, ita vt si verum est illud, quod vulgò dicitur, Conueniunt rebus nomina sæpe suis, dubium non erit, quin hoc in omnibus nominibus, quæ Deus vili vnquam rei imposuit, verissimum reperiatur. Quod vt ita esse demonstremus, exempla quædam, tam ex veteri, quam nouo testamento in medium proferamus. In Genesi Deus apprensus Abrahæ, illi promissit fore, vt pater multarum gentium fieret, vnde & nomen ipsius immutauit, dicens: Non vocabitur vltra nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constituit te. En mutationis huius ratio: Itè cùm Deus Patriarchæ Iacob nomen commutaret, Israel cum nuncupans, statim rationem reddit, inquit, Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis? In nouo quoque testamento, plurima sane, ac præclara huius rei monumenta reperies. Vt cùm C H R I S T V S nomen Simonis, in Petrū conuerteret, id profecto agebat, quia ille, Ecclesiæ suæ fundamentum, futurus erat. Tu es Petrus (inquit) & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Hæc ecclesia ab initio super CHRISTVM quidem fundata fuerat, at super nullum adhuc hominem condita extiterat.

T 3 Pro-

Propterea Christus illam super illū hominem, qui Simon appellabatur, se edificatum pollicebatur: in cuius rei signum, nomen illius immutavit, eum deinceps Petrum nuncupando. Sic & apud Marcum scriptum est, quoniam ipse Ioannem, & Iacobum fratrem eius vocaverit Boanerges, hoc est filios tonitruum. Idque ideo, quod magnum, per totum orbem tonitruum emissuri essent, cum CHRISTI euangelium predicarent. Adhuc cum angelus ipsius Christi nomen, beato Ioseph calitus revelasset, dicens, Et vocabis nomen eius Iesum, continuo nominis huius rationem subdit, inquit: Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Paucis, nulla unquam nominis impositio, vel commutatio a Deo facta est, quin eius statim ratio subijciatur: Vnde beatus Paulus, ut Christi dignitatem atque excellentiam præ angelis ostendat, ex ipsius nominis præstantia argumentum deducit: Tanto (inquit) melior angelis factus, quanto differentius præ illis nomē hereditavit. Cui enim angelorum dixit aliquando, filius meus & tu, ego hodie genui te? Nā de angelis quidem dicitur, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Quantum igitur inter eorum nomina discriminis est, tantum & inter ipsorum dignitatem, ac eminentiam interest. Hoc itaque argumentum notem diligenter, quo Christum non spiritualiter tantummodo, quemadmodum angelis, ac homines sancti, verumctiam vere, ac realiter filium Dei esse Apostolus probat. Quod ut efficiat, probationem suam ab excellentia nominis Christi, quo cum præ angelis Deus pater dignatus est, elicit: Et nos itaque pro Maiorum nostrorum fide, simili, quo Paulus, argumento ducto, ab ea nominum commutatione, ac impositione, quam Christus circa panem, & vinum egit, ea post suam benedictionem, corpus, & sanguinem suum nuncupando, non incongrue utemur. Dico igitur hunc panem, & vinum, tanto meliora, atque præstantiora esse effecta, quanto carnis, ac sanguinis Christi nomina, panis, ac vini nominibus præstantiora sunt. Quantum igitur inter nomina ipsa distantia fuerit, tantum, & inter res ipsas discriminis erit: Deum ergo, qui rerum nomina in vanum sumere nō

consuevit, cum panem, & vinum, corpus, & sanguinem suum vocat, sic illorum nomina, antea quidem parum nobilia, in tam præclara postmodum commutando; res quoque ipsas, per quandam naturæ transmutationem, tanto meliores reddere, quanto nomen illud, quod postea consequuta sunt, illo quod antea habebant, excellentius, ac præstantius est, credamus necesse est. Quod Maiores nostri accurate, secum expendentibus, res illas, quæ sub nostri sacramenti mysterio continentur, nihil unquam aliud esse, quam quod filius Dei eas esse dixerat, credere auri sunt. Hanc etenim ex nominum differentiis, argumentandi rationem, ex magno illo CHRISTI Apostolo Paulo, (qui omnibus Calvinistis longè facilius scripturam tractare, ac illationes acutius inferre noverat) didicerant. Hæc itaque nominum immutatio a Christo facta, efficacissima probatio est, qua, Christi verba, quibus id quod in calice erat suum sanguinem dixit, iuxta literam accipienda esse monstrant. Quod si hominum quisquam huiusmodi transmutationis auctor existeret, nonnullus forsitan de rerum significatarum commutatione nobis esset dubitandi locus, propterea quod homines ex seipsis, rerum naturas transmutandi non habent potestatem, at cum Deus, cui huiusmodi potestas adiacet, aliquid vel dicit, vel nomina permutat, omnium rerum quoque naturas suo ipsius verbo, sese subito accommodare, non dubium est. Quod Theodoretus, primo Dialogorum libro, quem iam ante citavimus, bene annotavit, cum diceret, CHRISTVM veluisse, ut ij, qui divina sua recipiunt mysteria, non ad rerum quæ videntur naturas aspiciant, sed ut ex nominum mutatione, in illam potius, quæ per gratiam fit, rerum transmutationem credant. Huius quoque argumenti, D. Rupertus tertio de operibus spiritus sancti libro meminit: Vbi posteaquam cœnæ verba, de reali corporis, ac sanguinis Christi in hoc sacramento, præsentia interpretatus esset, tandem concludit, corpus, & sanguinem illum, tribus existendi modis, in nostro sacramento esse. Est ibi enim (inquit) nomine, re, & effectu: Nominem (inquit) esse intelligimus, in eo, quod dicit, Hoc est corpus meum: Hic sanguis meus: Sicut

ergo

ergo nusquam, ita nec in isto, imò maxime, nec in isto, nomen Domini in vanum accipere debemus. Si enim in cunctis sanctificationibus, quæ per ministros Domini, ad invocationem nominis eius aguntur, nunquam nomen Domini, in vanum accipere audemus, quanto magis in ista sanctificatione, in qua nomen corporis, & sanguinis sui ore proprio posuit Dominus, nequaquam in vanum id ipsum nomen accipere debemus? Hinc liquet, quanta reuerentia, ac honoris eximius iste Doctor illis nominibus, quæ Christus in Cœna corpori, ac sanguini suo imposuerat, cum ea discipulis suis, in cibum & potum administraret, religioso pietatis officio deferrebat. Sed quoniam tanti viri fecimus mentionem, præstat ut & reliqua eius verba hic subijciamus, ut reliqui duo modi, secundum quos, hoc Christi corpus, & sanguinem in isto sacramento esse dicit, commodius intelligantur. Re quoque (inquit) corpus Christi, & sanguinem esse intelligimus, in eo, quod ait, quod corpus tradetur, qui sanguis effundetur. Effectu esse intelligimus, in eo, quod cum dixisset, quod tradetur, quod effundetur, addidit, pro vobis in remissionem peccatorum. Itaque sicut in illa specie, qua pependit in cruce, sanctus sanctorum est, & in illa specie præteritis omnibus electis remissionem peccatorum operatus est; sic in ista specie panis, & vini, nihilominus sanctus sanctorum est, & omnibus electis, qui post eandem passionem, ad fidem eius veniunt, idem illum efficere (id est, remissionem peccatorum, & vitam æternam conferre) non dubium est: Nam & alibi dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Et protinus addit: Et ego restitabo eum in novissimo die. Ex quibus sane verbis, quemadmodum credere debeamus, corpus, & sanguinem Christi, tribus existendi modis esse in hoc sacramento; nomine scilicet, re, & effectu, ut certo nobis constet, Dei verbum, quo sic illa nominavit, nullo modo vanum fuisse, perspicuum est. Solido igitur fundamento, duodecima ratio nostra innititur, cum præter exemplum Apostoli (qui eodem plane argumento, quo nos in hac materia, ad alium fidei articulum, realiter scilicet filiationis Christi cum pa-

tre, asserendum videtur) duorum in super aliorum Ecclesiæ Doctorum auctoritatem habeamus.

*Quod vox ista (sanguis) vti in hac enunciatione ponitur (Hic est sanguis meus) non pro alia re, quam pro vero sanguine Christi accipi debeat.*

## CAPVT LXXXV.

CVM sæpius mecum cogito, quam multa incomprehensibilia, ac omnem humani ingenij capacitatem excedentia, Christus in hoc mundo fecerit, & quemadmodum absque vlla omnino difficultate semper ei creditum fuerit, satis equidem demirari nequeo, cur cum dixerit, panem esse carnem suam, & vinum sanguinem suum, tanta ei difficultate credatur. Dixit enim se vere filium Dei esse, ac creditum est. Dixit se à morte ad vitam suscitatum iri, & ei creditum est. Dixit se in ultimo illo die, omnes mortuos ad vitam excitaturum, & ei creditum est. At nunc cum ait: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, ei non creditur. Proinde satis equidem intelligere nequeo, unde istud evenit, ut tam multi hodie inveniuntur homines, qui nescio per quam impossibilitatem, ac incomprehensibilitatem (ut sic loquar) tergiversationem quærentes, ei hac in re credere nolint, qui tamē, cum ipse multa alia non minus naturali iudicio incomprehensibilia dixerit, ei nihilominus firmissime credunt. Quid igitur (quæso) commoverit, quo minus hic, quam in alijs fidei articulis ei credatur? Aut quam nos rationem habemus, (nos inquam, qui omnibus alijs in rebus fidem ei adhibuimus.) ut iam illi omnino non credamus? Profecto quod ad me attinet, libenter equidem, quemlibet Christianum Lectorem, ac verum Christi discipulum obtestarer, ne vllam hæc in re credendi difficultatem opponeret: En ipse toties, ac tam varia porum genera bibit, nec de vllō tamen unquam sanguinem suum esse pronunciat, at nunc cum hoc semel dixerit, nulla ei fides adhibetur. Cū eius loquendi genius, ac verborum, quibus videtur, significantiam præstius mecum expendo, nescio equidem quidnam novelli isti Christiani moliantur, qui aliam;

T 4 à pro-



à propria, ac naturali, verborum eius significantiam requirunt, vt sic nimirum, quo minus ei fidem adhibeant, excusentur: Cùm igitur Christus hoc nomine (sanguis) nunquam sic vsus sit, vt sanguinis sui signum, vmbra, vel figuram designet, imò nec in tota vsquam scriptura, ea in significatione reperiri queat, preter omnem rationem mihi esse videtur, huiusmodi significantiam voci illi attribueri. Omnia propemodum scripturæ loca, in quibus ista vox ponitur, peruoluravi, nec vsquam tamen reperire potui, vbi aliter quàm pro vero, ac naturali sanguine sumatur, nisi vbi forte dictio alia ei additur, vt sic qua in significatione accipitur, manifestius explicetur: Veluti cum metaphoricè, pro vino rubro sumitur, tum enim vix sanguis nuncupatur. Quo sane modo, Propheta Moyses, in cantico suo, quem sub mortem populo Israelitico cecinit, accepit. Ibi enim inter cætera, quæ illi populo, à Domino Deo præstita commemorat, illos in terram promissionis missos refert, vt biberent sanguinem vix meracissimū.

*Deut. 32.* Cæterum quando in oratione ponitur, in qua hominis, aut bruti cuiusquam mentio habetur, quemadmodum cum dicitur, sanguis tauri, vituli, hirci, aut hominis, tum (inquam) nunquam pro signo sanguinis, aut figura; sed pro vero, ac naturali sanguine accipitur. Atqui hoc sane modo, in hac oratione (Hic est sanguis meus) ponitur: Ea enim huic æquipollet: Hic est sanguis Christi. Nam si Apostolorum quisquam verba, quæ Christus in cœna dixerat, minus rectè intelligeret, ac ex Petro, aut Ioanne, qui propinquior ei assistebat, quidnam in eo calice, qui ipsis offerebatur, inesset, quæreret, ille statim procul dubio præceptoris sui sanguinem esse non dubitaret dicere, propterea quod ita esse ille assensisset. Quemadmodum igitur his verbis: Hic est sanguis vituli, aut agni, absque vlla figura proprius bestiae illius in rei veritate sanguis esse intelligitur, ita & cum Christus ait, Hic est sanguis meus, aut si Apostolorum quisquam diceret: Hic est sanguis Christi, ita omnino absque vlla figura esse credamus, necesse est, ita vt in huiusmodi propositione vox (sanguis) pro alio, quàm pro proprio, ac naturali ipsius sanguine accipi nequeat:

Libenter equidem ab huiusmodi incredulis hominibus quærerem, cur non eadem ratione, vocem (sanguis) pro figura sanguinis apud Lucam acceperint, cū ipse refert, Christum in horto Oliueti in agonia existentem, sanguinem sudasse, atq; hic, cum ipsemet Christus, id quod in calice erat, sanguinem suum esse aperte pronunciat: Mira res profectò. Isti enim D. Lucæ, eas sudoris guttas, quæ corpore ipsius in terrâ defluebant, Christi sanguinem esse dicenti, fidem adhibere non dubitant, & ipsi Christo potum illum, quem ipse Apostolis porrigebat, sanguinem suum esse afferenti, omnino non credent? Cur quæso ibi sanguinem, pro figura sanguinis, aut per fidem tantummodo, aut pro alia re quapiam spirituali, quemadmodum & hic non accipiunt? Non enim secundum naturæ ordinem, minus rarum, aut incredibile est, hominem sanguinem sudare, quàm filium Dei, hominibus sanguinem suum bibendum exhibere. Si increduli isti eo in loco fuissent, vbi Longinus Christi in cruce pendenti latus aperuit, ac quisquæ eis affirmasset, esse verum sanguinem, qui ex Christi latere tunc emanabat; mox talia referenti fidem adhibuissent, ipsi autem Christo nullo modo, nisi prout ipsi placet, credere volunt. Quoniam enim ipsum in sua specie sub hoc sacramento non vident, omnino sibi persuasum habent, impossibile esse, vt ipse ibi præsens existat, sed quantum (quæ) est hoc infinitam filij Dei virtutem, ac potentiam ponderare? quàm parum honoris, ac reuerentiæ est hoc, illi deferre? Sed quid? etiam si in propria forma eum tunc conspexissent, non dubito, quin æque difficulter, atque nunc cum ipsum non vident, ei credidissent: Aut enim tunc oculos suos fascinatos, aut visionem huiusmodi diabolicam fuisse dixissent, quemadmodum & hodie miraculosas apparitiones tanquam oculorum illusiones ac deliramenta derident. Dic mihi proinde (obsecro) quemadmodum erga huiusmodi homines Christus sese habere debeat? Nam si illis sub hoc sacramento, sanguinem suum, in propria specie, ac forma ostenderit, eum horrore habebunt, nihiloque amplius credent, quàm nunc cum non vident, oculorum enim illusiones esse clamabunt. Porro si

sub

sub aliena forma illis exhibeat, suis proprijs verbis afferens, verè sanguinem suum esse, credere nihilominus recusabunt, propterea quod eum non vident. Quid igitur huiusmodi hominibus facies? Certe Christus huiusmodi homines haud ita facile ab incredulitate sua sanari posse cognouerat. Nam visiones ipsis sunt illusiones, miracula deliramenta, Dei verba incredibilia. Quocirca huiusmodi hominum morositati sese accommodare omnino noluit, vnde quodam alio loco fidelibus suis magis congruo sacramentum istud instituens; visus defectum, verbi sui, quod longe maiores apud illos, quàm omnes sensus naturales, ponderis est, auctoritate supplendit. Maiores itaque nostri animaduertes Christum, ita discrete, prudenter, & clare de suo sanguine locutum, hos limites sibi præfixerunt, vt ipsius verba non aliter, quàm in propria, ac nativa significatione sua acciperent, ac quod ipse discipulis in calice exhibebat, sanguinem eius esse simpliciter crederent. Eorum autem aduersarios, cum ita morosi sint, vt ne ipse quidem Christus ita sapienter loqui potuerit, quin rationem inueniant; qua illius verba vix incredulitati perfidiamque accommodent: missos sane faciamus, vt reliquorum Christi verborum explicationem persequamur.

*Quod pronomen istud (meus) ad patrum nostrorum fidem stabilendam multum conferat.*

## CAPVT LXXXVI.

**P**Ronomen istud possessiuum (meus) voci illi (sanguis) additum, multum quoque nobis conferre potest, vt horum CHRISTI verborum (Hic est sanguis meus) veram intelligentiam consequamur. Cæterum apud Latinos, idoneam vocem in vsu non habemus, qua illius Pronominis *μῦ* (quod non possessiuum, sed pronomen personale primitiue speciei est *ἀπό τοῦ ἑγώ*, propriam eius, qui loquitur, personam denotans) energiam, proprietatem, emphasim exprimamus: Vnde vt ad verbum Latine redderetur, dicendum fuerat, Hic est sanguis mei. Hoc est, vt alijs verbis dicam:

Hic est sanguis propriæ personæ meæ: Id quod non frustra sic dictum esse existimare debemus: Nam Sophista quispiam audiens CHRISTVM dixisse, Hic est sanguis meus, cauillari potuisset, dicendo, ipsum loqui de sanguine bruti alicuius, quod ipse esset, vnde & bruti illius sanguis, ipse quoque fuisset. Vt huiusmodi igitur cauillationibus obuiaret, & ne quis iustam haberet causam, quo minus ipsum de suo sanguine ex ipse persona emanante loqui crederet, longe significantiori modo locutus est, quàm vt vox Latina (meus) exprimere possit, dum genitiuo illius Pronominis vsus est, quod illius personam qui loquitur denotat: *τῶν* (inquit) *ἡδὲ ἐστὶ τὸ ἀπὸ μὲν.* Quemadmodum igitur apud Latinos Barbari dicunt, amicus ego; ita & hic, vt is significaretur sanguis, q. personæ meæ pars vna est, sanguis ego dicendum foret: Vnde (vt paulo ante diximus) pronomen illud possessiuum (meus) energiam, phrasim, ac proprietatem Græci sermonis ad plenum non expressit: Atamē vt vt significet, abundè suppetit, vt omnis occasio tollatur, ne illa Christi verba figurate explicentur: Nunquam enim, cum generalia istiusmodi nomina possessiuo aliquo pronomine, aut alia quapiam dictione, quæ alicuius proprietatem, aut possessionem designet, particularia, seu singularia efficiuntur; metaphoricè, aut figurate accipiuntur; Metaphoræ enim, ac figuræ vocabulis generalibus, in sua (vt sic dicam) generalitate manentibus fiunt. Ac propterea cum Christus metaphorizans, petra nuncupatur, voci illi non additur mea, aut vestra, vel proprii alicuius nominis genitiuus, dicendo, Petra Ioannis est Christus. Verum in genere tantummodo dicitur, Petra erat Christus: Sic & illud, Agnus erat Christus. Non autem sic, Agnus meus, Agnus illius, Agnus Petri, &c. Vnde liquet, pronomen illud (meus) voci illius (sanguis) generalitatem ad id restrinxisse, vt illius tantummodo, qui loquebatur, sanguinem denotet: Quò fit, in huiusmodi locutionibus nulla figura reperiri possit: Velut exempli gratia, fingamus CHRISTVM dilectissimæ matri suæ, (quæ cruci proxime affans, preciosum sanguinem illū, è crucis vulneribus eius vndique stillantem videbat)

videbat) dicere, proprium sanguinem suum esse, quem pro mundi vita tunc effundebat, nunquid aliter quam in Coena, loqui potuisset, dicendo: Ecce, Hic est sanguis meus, qui mundi peccatis effunditur? Nunquid an fam vllam haberes, vt in verbis illis metaphoram aliquam quæres? Negabis certe, ni fallor, sed & ibi fortasse dices, sanguinem tunc oculis corporis manifeste visum fuisse, nunc autem in calice nullo modo videri posse. O quantam bone Deus breui responsione hac, cordis tui detegis prauitatem? Nam quantum ex verbis tuis colligere valeo, de rebus inuisibilibus verbo Dei fidem adhibere recusas, imò longe plus oculis tuis, quam ipsi Deo, aut eius verbo te credere ostendis. At non ita sane factum oportuit. Cæterum, vt ad rem redeamus, ne vlllo modo Christi verba metaphorice accipiamus, ipse met plane aduersatur, cum sanguinem suum, qui pro nobis effundendus erat, esse pronunciat. Verum qui plenior circumstantiæ huius elucidationem expetierit, ad ea quæ diximus, cum illa verba, Hoc est corpus meum, explicaremus, recurrat. Nunc iterum ad eius sensum, quem verba Græca hic præ se ferunt, declarationem veniamus: Huic enim potius, quam illi, quem Lectio nostra Latina habet, immorari lubet, quia ad Pauli sensum, magis mihi videtur accedere. Ipse enim Paulus, noui, ac veteris testamenti, & summi Mosaiæ legis sacerdotis, ac Christi nouæ legis summi sacerdotis, discrimen ostendens, ad eum, quæ textus Græcus nobis præ se fert, sensum manifeste videtur alludere. Cum enim commemorasset, quemmadmodum summus veteris legis sacerdos semel annuatim, non sine sanguine brutorum, in sancta sanctorum ingrederetur, & vt omnis illius temporis purificatio atque sanctificatio per sanguinem hircorum, vitulorum & agnorum fieret: nihil autem nisi in alieno sanguine fieri, ipsumque Moysen non in proprio, sed in alieno sanguine vetus testamentum dedicasse, cum omnia hæc (inquam) commemorasset, tandem Christum omnibus alijs sacerdotibus multo excellentiorē, multoque digniorē, ac illius testamentum, veteri longe præstantius esse concludit. Cuius rationem adsignat, quod Christus

omnia hinc in proprio, & non in alieno, vt alicuius bruti, aut alterius cuiusquam hominis exequitur. Vnde ait, Christus <sup>Heb. 9.</sup> assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta: Deinde ostendit, quemadmodum hac ratione Christus noui testamenti mediator esse promeruerit, & vt hoc testamentum suo sanguine dedicarit, quemadmodum Moyses vetus illud, vitulorum, ac hircorum sanguine iam antè dedicauerat. Illius igitur argumentum eò tendit, vt ostēdat, quòd quicquid Moyses, ac successores eius, in veteri testamento, per brutorum sanguinem agebant, hoc Christum, tabernaculum suum (quod est eius Ecclesia), ingredientem, in noui testamenti institutione proprio sanguine amplissime præstitisse. Quod igitur textus Græcus, Christum in institutione noui testamenti dixisse commemorat: *ὅτι ἵνα ἡμεῖς*, id est, Hic est sanguis mei, vel sanguis propriæ personæ meæ, ad id proxime accedit, quod Diuus Paulus ait, Christum, omnia in nouo testamento, non in brutorum sanguine, neque in sanguinis sui signis tantummodo, & figuris; sed in proprio sanguine factitasse. Diuus itaque Paulus, cum probat, & Christi sacerdotium, Aaronico sacerdotio, & testamentum nouum veteri multo esse præstantius, quod & per proprium sanguinem suum in tabernaculum suum introierit, & nouum testamentum suo sanguine eò firmauerit, & veram denique peccatorum remissionem, ad emundandas conscientias, non in alieno, sed in proprio sanguine suo fecerit; cum hæc (inquam) facit, manifeste satis ostendit, se Maiorum nostrorum aduersarij, qui neque Christi sacerdotium, neque nouum ipsius testamentum in proprio ipsius sanguine; sed in vino tantum, in figuris, & signis eius sanguinis dumtaxat institutum, dedicatum, ac confirmatum esse contendunt, ex diametro repugnare. Vide igitur quantum inter istos, & Paulum, imò inter istos, & Christum intersit. Paulus enim Christum omnia in suo sanguine dedicasse, ac instituisse clamat: Clamat & in ipsa

ipsa institutione Christus, Hic est sanguis propriæ personæ meæ: sanguis (inquit) noui testamenti. Isti contra clamant, non est sanguis (inquit) sed vinum, sed sanguinis signum tantum, ac figura, quam CHRISTVS in nouo testamento nobis exhibet. Proh Deum immortalem quanto sapientiores erant Maiores nostri, quanto melius ipsius Christi, ac Pauli verba, quam rebelles ipsorum filij intelligebant? Nunc tandem (proh dolor) experior, eos in reprobum sensum à Deo datos esse, ne Christi verba Sole meridiano clariora, quibus ipse tunc vsus est, vt copiose, ac aperte, cuiusmodi testamentum nobis ipse faciebat, perspicue demonstraret, intelligant.

*Ex illa dictione (noui) qua testamentum appellatur, valium pro Maiorum fide argumentum elici posse.*

## CAPVT LXXXVII.

VNumquodque Christi verbum, peculiare quoddam, pro Maiorum nostrorum fide comprobanda, argumentum nobis suppediat, vt non ex ijs modo, quæ hactenus diximus, verum etiam ex ijs, quæ in hæc verba, noui testamenti, dicturi sumus, manifestius intelligi poterit. Vt igitur duo hæc verba, neque per figuram, neque per signum; sed secundum rei veritatem, & ad literam intelligenda esse doceamus, primò vocem hanc (noui) discutimus. Primum ergo argumentum; quod ex hac voce sumemus, erit huiusmodi: Vox hæc noui testamenti, quandam secum veteris testamenti in aliud conuersionem atque commutationem includit, alioqui nulla ibi existeret nouitas: Ex quo huiusmodi argumentum conficio: Omnis ea mutatio, quæ in rem aliam meliorem non fit: inanis est ac superflua. Sed illa mutatio, quam Dei filius operatur, vana, aut inutilis dici non potest, fit igitur in aliud quiddam longe præstantius. Cæterum vbi non nisi vna eademque res habetur, comparatione sublata dici non potest, haberi aliquid, illo quod prius habebatur, longe præstantius. Ex quo sequitur, alias esse res, quas nos sub nouo testamento habemus, alias quas antiqui illi patres sub Moyse, ac veteri lege

habuerunt: Atqui certum est, illos corporis Christi signa, & figuras habuisse, ac eos illud ipsum corpus, spiritualiter, per fidem, atque in spiritu, quemadmodum & nos, comedisse, vt ijsmet aduersarij confitentur. Vnde alterum è duobus omnino concludatur, necesse est; aut nullam videlicet testamentorum mutationem factam esse; aut nos in noui testamenti nostri sacramento aliud quam signa, figuras, spiritualitatem, vt ita dixerim, habere: At prius ita falsum est, vt nemo non videat; restat igitur, vt posterius verum sit. Quod si ita est, non igitur in spiritu, ac fide tantum, sed re ipsa verum CHRISTI sanguinem in sacramento habemus. Atqui hæc sane ratio efficacissima est.

*Secundæ ratio, quæ ex voce hac (noui) pro Maiorum fide ducitur.*

## CAPVT LXXXVIII.

Periculosa res est, discriminisque plenissima, in quauius Republicæ veterum legum institutorumque mutatio. Vnde viri sapientes, mala & tumultus, qui ex huiusmodi mutationibus euenire solent, præuidentes, mala bene posita, non esse amouenda dicebant. Quod sic intelligendum puto, nisi necessitas ipsa compellat, ac nisi bonum, quod inde subsequetur, adeo magnum sit, vt malum illud, quod huiusmodi permutationes comitari solet, abunde compensare possit. Si igitur ipsa mala ita constituta, vt nullam in Republica confusionem pariant, amouenda non sunt, quanto minus res per se bona, & quæ ad id, quod alia re noua cupimus adipisci; consequendum sufficit, tollenda erit, nisi & vrgens necessitas cogat, & aliud bonum priore præstantius, ex illa mutatione nascatur? At nunc paulò diligentius (quæso) expendamus, quantæ molis, quam ingentis laboris fuerit, vetus illud testamentum abrogare, ac è medio tollere, vt in eius locum, nouum statuere. Quæ vox, quæ lingua, quæ oratio digne exprimere valeat, quam multos ea res tumultus, atque tragœdias in Republica Iudaica excitauerit, commouerit, procreauerit. Imò verò quis sermotâ disertus, vt enarrare sufficiat, quot

diffensiones, bella, seditiones, atque discordias, hæc vna res toti terrarum orbi inuenerit: Taceo de ipsis Christi Apostolis atque discipulis, quibus quantæ difficultatis, quantique negocij fuerit, ut relicti veteris illius testamenti ceremonijs, euangelicam legem susciperent, nemo nescit, nisi qui sacras noui testamenti literas non legit. Quid igitur opus erat, ita rotum orbem, ad nouum testamentum nouaque sacramenta pro veteribus suscipienda commone, si hæc noua, non nisi signa, & figuræ sint, quæ admodum & vetera? Si antiqui illi patres eundem cibum, quem & nos comederunt, si eundem baptismum, quem & nos, susceperunt, si eundem potum, quæ & nos, biberunt, quid igitur tantopere Apostoli, ac Martyres desudarunt, ut nouum cibum, nouum baptismum, nouumque potum nobis administrarent? Inanes ac superflui profecto omnes istiusmodi eorum labores fuerunt, si nihil aliud, quam antiqui illi patres habebant, à Christo, quod nobis traderent, acceperunt. Imò & ipsius Christi in hunc mundum aduentus, omnino superfluis, ac nobis plane inutilis foret, si nos adhuc, quemadmodum olim patres, sub typis, & figuris detinet, & nisi amplius nunc, quam ante aduentum eius habuerunt illi patres, nobis conferat. Illi enim corpus, ac sanguinem Christi in spiritu, fide, typo, figura, ac omni denique modo, quem delirus aliquis fingere posset, habuerunt, hoc vnico dumtaxat excepto, quod illud verè, ac ipsa non habuerunt: Quicumque igitur Christum, non nisi in signo, & figura sanguinem suum nobis modò administrare contendunt, in omnia isthæc incommoda impingunt: Atqui hoc sane modo nouorum sacramentorum, in locum veterum subrogationem superfluam esse fateri cogentur: quandoquidem in veterum locum nihil præstantius, secundum eos, nihil magis necessarium substituit, nihil melius nobis dedit. Dicunt enim isti, eandem ipsius corporis, ac sanguinis Christi substantiam, cum pari effectu, quem admodum & nos, veteres illos patres accepisse, vnde necessariò confiteri coguntur, nos præ illis patribus, neque præstantius quicquam, neque magis necessarium à Christo obtinuisse. Ex quibus sequi-

tur, non modò nouorū sacramentorū institutionem, verumetiam veterum abrogationem vanam, inutilem, ac nullo modo necessariam fuisse. In omnia hæc incommoda, tanquam in barathrū quoddam aduersarij ruunt, cum egregijs suis commentationibus nomine corporis, & sanguinis, nō verum, ac reale corpus, neque verum ac reale sanguinem; sed tantum corporis & sanguinis figuram, typos, signa supponunt: Ac propterea Maiores nostri, qui admodum prudentes erant, ac ista omnia pressius secū expenderant, nunquam huiuscemodi Christi verba aliter, quam secundum litteram de vero, ac reali corpore, & sanguine Christi, quemadmodum verba ipsa præferunt, interpretari sunt ausi. Vnde id quod nobis Christus in nostro sacramento exhibet, longe diuersum ab eo, quod olim patribus in typis, ac figuris exhibitum fuit, semper esse docuerunt. Imò verò tam necessarium illud ad salutem esse confessi sunt, ut sine eo vitā æternam recuperare nequeamus: Quod Christi verbis, quibus cum cibum hunc hominibus promitteret, vsus est, valde quadrat, & conuenit. Ait enim ille, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Non enim istiusmodi puerorum minæ sunt, quæ nos tantummodo terreat, sed ipsissima veritas est: Vnde Maiores nostri cibum hunc quam maxime ad salutem necessarium semper esse crediderunt. Hæc est igitur fidei ipsorum ratio, quæ ut incommoda superius posita euitemus, ac verbi Dei veritatem sequamur, nobis quoque necessaria est. Vides amice Lector, quanta argumentorum copia verbi Dei vera interpretatio exuberat, modò illius fecunditatē diligenter attendens, Maiorum nostrorum æmuleris industriam.

*Tertia ratio ex illa voce (nou) sumpta.*

## CAPVT LXXXIX.

Aliud ex voce (nou) argumentum sumi posse perspicio, ut simplicè, ac literalem illam expositionem, quam Maiores nostri verbo Dei attribuerunt, veram, ac legitimam esse monstramus. Est

Est autem argumentum huiuscemodi: Vna ac eadem res simul & vetus, & noua dici non potest. Noui autem testamenti ratio, nouum quoddam donum ab ipso testatore legatum, secum adfert. Si igitur in nostris noui testamenti sacramentis noui nihil haberemus, frustra illud nouum diceretur. Nihil autem noui habemus, si nō aliud, quam antiqui illi patres olim habebant, nunc possideamus. Et certe si non nisi corporis & sanguinis Christi signa, figuras, fidem, spiritualitatem, & alia huiuscemodi, quæ aduersarij cōfingunt; nunc nos, quemadmodum & olim patres, habemus; nihil in rei veritate noui, sub nouo testamento Christus nobis contulit. Quod si ita esset, nec nouum proinde ipsius testamentum recte dici posset. Atqui sic, Christus non nouum testamentum condidisse, sed vetus resarciuisse, ac renouasse tantummodo, dicendus esset. Vnde secundum istos, nō noui testamenti Mediator, sed veteris restitutor melius diceretur. Cum enim aliquid vetustate confectum nouo quodā colore fucatum alicui datur, ei, cui id tāquam nouū donatur, imponitur. Quod enim vetus est, fucari potest, nouum esse non potest. Ita & sacramenta nostra, si nihil aliud, quam vetera habeant, nullū profecto nouum à Christo sacramentū accepimus: Deinde si inter nostram, & antiquorum patrū communionem, quæ Christi corpori, & sanguini cōmunicamus, nō nisi tanquā inter plus & minus differat, nihil profecto noui habemus. Ac proinde sacramenta nostra, noua nō erunt. Cæterum Christus sanguinem suum, noui testamenti sanguinē appellat, ac per hoc vult, ut ipsum omnia noua nobis dedisse intelligamus. Non enim iam pridē inueteratū illud Moisaicę legis vinum, sed nouū euangelij sui mustum iam nobis administrat. Neque enim dubiū est, Christū iā fecisse omnia noua, quem admodū D. Ioann. in Apoc. testatur, Ecce noua (inquit) facio omnia. Quæ sane nouitas, veteri testamento in nouū minime mutato, ne intelligi quidē pōt. Nā noua illa ciuitas Hierusalē, quā in principio illius capitis, de coelo descēdentē se vidisse testatur, nō nisi de sua Ecclesia, ac nouo testamento suo, (quorū vtrumque perpetuū, ac nouissimū est) intelligi pōt. Certissimū est. n. aliā in terris nouā Ec-

clesiā à Christo nunquā ædificandā, sed eam, quæ super Petrū stabili mole fundata est, perpetua (fremāt licet inferi portæ) & incōcussa firmitate mansurā. Quapropter noua illa, de quibus ipse in eodē capite loquitur, de ijs rebus, quas Christus cum nouū testamentū suū conderet, ecclesiāque suā, quæ Iudæorum Synagoge succedere debebat, ædificaret, nō solum fecit, sed etiā præstitit, intelligēda esse dico. Cū igitur hanc ædificaret, omnia noua esse debebant, nouus sacerdos, noua lex, nouū sacrificiū, noua sacramēta, nouum pascha, nouū manna, nouus cibus, nouus potus, noua Hierusalē, nouum tabernaculū, nouus sanctus sanctorū, noua testamenti arca, nouę oblationes, noua dona. Et ne longius sermonē protrahā, omnia plane noua esse debebant. Quæ recte Maiores nostri intellexerunt, quippe qui hisce de rebus nouis, Deo gratias agentes, hilari mente, in exultatione, & spirituali gaudio concinebant: Recedat vetera, noua sint omnia, corda, voces, & opera. Illi proinde verus illud testamentū ruinæ proximū esse, ut iam nouo cederet, probe intelligebant. Cōtrā aduersarij, cum nos rursus, (veritatē ipsam, verumque Christi corpus relinquendo) ad nescio quæ signa, & figuras reuocare, ac veluti nos denuo illis innectere conantur, etiam nū retinendū esse contendūt. Cæterum dubitandum nō est, quin vox illa (nou) non modò erroneas eorū opiniones cōfundat, ac cōmenticia ipsorū signa, & figuras, quæ omnino vetera sunt, reiiciat, verumetiam simplicè Maiorū nostrorū, quæ à Christo nouū illud munus, nouū illud preciosi corporis, & sanguinis sui donū, quod nobis in hoc augustissimo sacramento exhibere dignatus est, cum ingenti gratiarum actione receperunt, interpretationem, ac fidem confirmat atque approbat.

*Vox illa (testamenti) ad Maiorum nostrorū fidem comprobendam, plurima argumenta suppeditat.*

## CAPVT LXXXX.

**E**Tymologia, ac vocis (testamenti) origo, nobis quoque non pauca, ut verum Christi verborum sensum cōsequamur, argumenta suppeditat. Operæ precium igitur fuerit, ut eam inuestigemus. Proinde ante omnia obseruemus, **V** vocem,

voce illam (testamentum) à verbo testor, testaris, descendere, quod quidem verbum principaliter cognita veritatis testimonium reddere significat: Quandoq; etiam orare designat, & hoc ideo, quia cum ab amico (veluti cum in ipsius presentia sumus) aliquid obtinere volumus, Dei testimonium in nostra oratione interponere solemus: Quia in significatione Plautus accepit, cum diceret. Ipsus tere per superos omnes testatur. Vnde ab hoc verbo, in ea significantia accepto, venit verbum obtestor, Subinde etiam, istud verbum (testor) testamentum condere denorat, id est, testificari, seu ultimæ voluntatis nostræ, testimonium dare; veluti cum testamento nostro declaramus, quænam sit ultima constitutio nostra, quidnam de bonis, aut rebus nostris post mortem nostram fieri velim? Testamentum igitur ultimæ eius, qui moritur, voluntatis testimonium, ac declarationem significat. Que significatio, verbi eius, vnde descendit, originem manifeste refert: Testamento siquidem nostro, non solum voluntatis nostræ testimonium reddimus, verum etiam adhibita nominis diuini, ac diuorum omnium obtestatione, precamur, vt hæredes, atq; executores nostri, testamentum, ac ultimam constitutionem nostram, ipso facto referant, atque exequantur. Argumentum igitur nostrum à nominis huius etymologia, in hunc modum deducimus. In omnibus propositionibus, quas vt per eas palam fiat, quid fieri velimus, effertur, quicumque satis sapiens est, nullis vitur ambagibus, aut amphibologis; si quidem eas vitare potest, que eum ab oprato sine consequendo impedire possent. At si verba sua Christus per figuras, & allegorias exponi, & intelligi vellet, aut ea sic intelligenda essent, non satis bene explicasset, quod fieri vellet, neque testificatio eius sufficiens esse posset, ad certo sciendum ipsius voluntatē, ergo non per figuram, aut allegoriam: sed simpliciter testamēti eius verba sunt exponenda. Hoc argumentum innititur illi primo principio: Finis necessariorum exigat necessaria media, ad ipsum consequendum: Finis testamēti Christi erat, certos facere hæredes, & suæ ultimæ voluntatis executores. Per ambigua aut verba nihil certi sciri, aut statui potest de testatoris vo-

luntate: Incertius enim est post ambigui sensus verba, quid dicere voluerit, quænam erat, antequam loqueretur. Hinc ego concludo in necessaria consequentia, verba testamēti Christi esse literaliter, & non per metaphorā, aut vllam aliam figurā exponenda. Quæro enim utrū Christus Apostolis suis planū esse voluerit, quidnam testamēto suo decerneret, an non? At certissimū est, eū ita voluisse. Si igitur voluit, quæro, vtrum ad id efficiendum sufficienter loqui non nosset, & an legitimū verborū, quibus ipse utebatur, vltimam ac significantiam nesciret? Existimo equidē te dicturum, veram Dei sapientiā, rei illius nullo modo ignaram fuisse. Cū igitur Christus id & vellet, & posset, nec rationes, quibus ultimæ constitutionis, ac voluntatis suæ certos hæredes faceret, deessent, quæro quisnā illi impedimento fuerit, ne id faceret? Certissimū est enim, illud ab eo non esse factū, si eius verba, per figuras, ac sensuū allegoricorū ambiguitatē, & non literaliter accipiēda sunt, præsertim cū alibi nusquam declarauerit, se vocibus illis (corpus & sanguis) in testamento suo, mystice, seu allegorice, vti voluisse. Qui de re aliqua magni ponderis testificatur, si recte sapiat, ac bonæ conscientia fuerit, nūquam testimoniū suum verbis ambiguis proferet. Cū huiuscemodi autem verbis vitur, que natura sua ambigua non fuerint, in nullo amplius ea declarare tenetur, modò illa, pro ea re, quam ex prima institutione denotant, accipiat: Quemadmodū verbi gratia, si quis dixerit, Asinus currit, quia vox ista ex natura sua non est æquiuoca, nihil opus fuerit latius eā explicare: Neque enim ea, nisi per Analogiam æquiuocē accipi potest. A Equiuocum autē Analogicū, semper pro significato principali sumi debet, nisi æquiuocationis suæ Analogicæ deturminatio aliqua ei addatur: Nomina autem ista (corpus & sanguis) quibus Christus vsus est, natura sua æquiuoca non sunt, cū igitur seorsim in oratione absq; particula diminutive ponūtur, pro ea re tantūmodo, ad quā ex primaria sua institutione designandam imposita sunt, accipi debent. Quemadmodum si dixeris, Asinus hominem interemit, voces illas non sic accipiens, vt asinum mortuum, aut hominem pictum significant. Cæterum, vt hæc

hec proposito nostro accommodemus, cum Christus testamento suo, vltimam voluntatem suam suis hæredibus declarare, ac illos de ea certos, atque securos facere voluerit, nec in eo verbis vllis natura sua æquiuocis vsus fuerit, illius verba, pro ea re, quam ex primaria sua significatione designant, accipiēda esse concludo. Proinde neque testis, neque testator, verba sua aliter declarare tenetur. Quod si aliqua controuersia, de verborum non æquiuocorum, quæ in prudentis, ac pij alicuius viri testimonio, aut testamento reperta sint, significatione in iudicio oriatur: num æquus, ac sapiens iudex, vt litem confundat, ac rei veritatem obfuscet; sensus allegoricos, aut tropicos, in verbis illis queret? nonne potius secundum naturam verborum illorum significationem, sententiam proferet? Ita plane, Sic & in hac causa, quæ de vera testamēti CHRISTI patris nostri colestis intelligentia, eū fidei nostræ aduersarijs litigamus, qui quis æquus iudex esse voluerit, testamēti illius verba in genuino sensu exponat, necesse est; neq; vltimo modo permittere debet, vt aduersariorum metaphoris, figuris, allegorijs, & eiusmodi tenebris clara, & aperta veritas inuoluatur. Quocirca quemlibet Christianum Lectorem admonco, vt hic similiter, quod sui est, exequatur officij, atque ea hic vitur prudentia, qua vitur, si rei alicuius terrene, atq; transitoria testamēto explicaret. Res corporeas, atque caducas, cum ijs quæ animarum salutem tangunt, diligenter conferat, certoque sibi persuadeat, Christum non minori in huiuscemodi rebus, prudentia vsus fuisse, quàm mortaliū quisquam, qui corruptibilitatem rerum testamentum conderet.

*Alia probatio ab Etymologia testamēti sumpta, qua superius posita Christi verba, absque figura exponenda esse monstratur.*

## CAPVT LXXXI.

**P**RÆCLARA sane fuit illa Christi prudentia, qua dum de corpore & sanguine suo loqueretur, vsus est. Ipsius siquidem verba vsque adeo apposita sunt, ad animi sui sententiam expli-

candam, vt neque significantiora, neque magis accommodata ad id efficiendum, inueniri queant. Didicisti superius, quemadmodum vocis illius (testamēti) Etymologia solidum, ac forte argumentum nobis suppeditauerit, vt quisnam legitimus verborum ipsius sensus sit, comprobemus: Quippe vsque adeo argumentum illud necessariorum concludit, vt nemo plane rationis compositus sit, qui conclusionem nostram infirmari aut velit, aut possit, inueniri queat. Verum aliud nunc, alia eiusdem vocis Etymologia eodem modo concludens argumentum subministrabit. Diximus enim superius, verbum illud (testor) à quo (testamentum) deriuatur, posteriori modo significare aliquem, vt aliquid pro nobis faciat, orare, idque cum diuini nominis inuocatione, in orationis, ac supplicationis nostræ testimonium, vt sic nimirum oratio nostra, quam in Dei presentia facimus, efficacius eum, quem oramus, perimoneat, vt citius nos exaudiat. In testamēti autē quàm affectuosissime fieri potest, cum Dei etiam, ac diuorum omnium obtestatione, tam hæredes, quàm executores rogantur, vt testatoris præscriptum, ac constitutionem diligentissime obseruent. Vnde nomen illud (testamentum) recte à verbo (testor) cum orare significat, deriuari videtur. Ex quo tale argumentum instituo: In omnibus postulationibus, obsecrationibus, atque exhortationibus, quibus vnus ab alio aliquid obtinere conatur, orator quam aptissimis atque clarissimis fieri potest verbis, ad id significantum atque explicandum, quod ipse obtinere conatur, vti solet, nimirum vt is qui rogatur simpliciter, ac diserte petitionem suam intelligere possit. Nunquā autem CHRISTVS discipulos suos, vt aliquid facerēt, maiori affectu deprecatus est, quam cū testamentum, atque vltimam constitutionem suam conderet: Si enim ea verba, quæ in cœna protulit, diligenter reuoluantur, tam ignitis affectibus inflammata reperientur, vt nihil ardentius dici possit: Ibi siquidem videre est, quemadmodū nūc exēplis, nūc præcibus, nūc præceptis, ineffabilem quandā dilectionis affectū, discipulorū cordibus imprimere, conetur, vt sic ad sanctissimam testamēti sui præscripta inuolabiliter

obseruanda, illos prouocet, & inflammet. Paucis permaximo quodam desiderio se teneri ostendebat, vt testamentum suum quam perfectissime, & quam exactissime obseruaretur, ac ad effectum perduceretur à suis. Cum tanto igitur amoris affectu à discipulis exigeret, vt quod in eorum presentia fecerat, id illi in eius memoriam facerent, consequens est, eum, vt & ab illis, & ab ijs omnibus, qui testamenti sui participes essent, recte intelligeretur, magnopere cupuisse. Quæ cum ita sint, cui dubium esse possit, quin is eo orationis genere, quo absque vlla ambiguitate, claram voluntatis suæ ostensionem, mentibus illorum imprimeret, vsus sit. Verba autem, quæ per figuras, aut metaphoras explicantur, ambigua sunt; quò sit, vt per ea, nemo magis de loquentis voluntate certus fieri possit, ac si omnino tacuisset. Sequitur proinde, vt CHRISTVS in postulationibus, ac obsecrationibus, quas in testamento suo fecit, hoc locutionis genere omnino vti noluerit. Quare generalis quædam pro explicandis Dei verbis, regula hinc colligi potest, quæ est huiusmodi: Omnia verba, quibus Deus ab hominibus exigit, vtrahquid in sui gratiam faciant, absque vllis omnino figuris, aut allegorijs exponenda sunt. Cum igitur in testamento suo ab hæredibus, atque exequutoribus postulet, vt illud diligenter obseruent, liquet, testamenti ipsius verba absque figuris exponi debere. Quo fit, vt recte patres nostri ea sic exposuerint.

*Testamenti definitio, (quam Dialectici Quid rei vocant) multa quoque nobis argumenta suppeditat, vt Christi verba absque figuris exponenda esse doceamus.*

## CAPVT LXXXII.

**P**ROXIMVM est, vt post testamēti Etymologiam, eius rei quam significat, diffinitionem explicemus. Solidissima enim quæq; argumēta ea sunt, quæ à rei, de qua disseritur, diffinitione deducuntur. Testamentum igitur in sacris literis, duobus modis sumitur. Primò enim consensionem, pactum, conuentum, ac promissionem quandam, solemniter inter Deum, & homines initam significat. Quæ in significatione sumitur, cum

veterem legem, testamentum dicimus. Sic etiam Innocentius tertius accepit titulo de celebratione Missarum, cap. Cum Marthæ, &c. Verum, quia testamentum relatio est, in eius diffinitione eæ res ponendæ sunt, inter quas ipsa reperitur, quas Dialectici fundamentum, & terminum, appellant. Vnde Lutherus, qui testamentum, nihil aliud, quam diuinam promissionem esse dicit, valde insufficienter de eo loquitur: Nō enim nudam tantummodo promissionem, verum etiam omnem pacti illius, atque conuenti actionem significat, quæ sane actio, ipsius Dei ordinationes, & præcepta, vnā cum promissione illa comprehendit; quam ipse ijs facit, quibus eū testamentum condit, ac pactum in eis promissarum fruitionem pollicens, modo ipsi eius ordinationes ac præcepta sedulo obseruent. Eorum in super promissiones comprehendit, qui in pacto in eūdo, omnes dictæ conuentionis articulos, obseruatuos se promiserunt. Testamentum igitur hoc modo acceptum, tria complectitur, Dei videlicet legem, eius promissionem, hominum, qui diuinam legem se obseruatuos esse profitentur, promissionem ac sponsonem. Quod si testamentum nihil aliud, quam mera promissio esset, vetus lex nulla ratione testamentum nuncupari posset. Est igitur pactio, & non tantummodo promissio. Vlpianus autem Pactioem his fere verbis describit: Pactio (inquit) est duorum, pluriumve, in idem placitum, & consensus. Testamentum igitur hunc in modum à nobis definiti potest: Testamentum est mutuus Dei, & hominum in idem consensus, & pactio. Vt verbi gratia, Deus terram promissionis, filiis Israel, ijs conditionibus donare volebat, vt leges, atq; ceremonias, quas ipse illis præscriperat, obseruarent: populus ergo per Moysen pacti huius Mediatorem, hac de re interrogatus, omnia se Dei præcepta, atque ceremonias obseruaturum, ac eius promissionem lubenter se amplecti publice pollicitus, ac professus est. Ibi itaque duorum in vnā, eandemque rem consensus fuit, ac verū proinde ibi testamētum fuit. Sic & illud quod CHRISTVS in coena, cum nouo secundum spiritum Israelitico populo, per duodecim Apostolos eius representato egit, verū testamen-

mentum erit. Ibi enim vitam æternam illis promittebat, & media, quibus eam consequerentur, instituebat, nimirum vt sanctissimis legibus eius obtemperaret, & ipsius corpus ac sanguinem reciperet, sine quorum receptione, iam ante illis iurauerat, nunquam ipsos sempiternam illam vitam recuperatuos. Apostoli autem conditiones illas susceperunt, ac præcepta ipsius obseruatuos se promiserunt: Nec hoc solum: verum etiam corpus, & sanguinem illius, ab eo tunc susceperunt, vt illa in futurum, tanquam testamēti ipsius executores, omnibus ad cœlestem eius hæreditatē vocatis distribuerent. Quod autē conditio, sub qua, vitam æternam nobis pollicitus est, sit, vt corpus & sanguinem eius suscipiamus, ipsemet non sine iurcurando asseuerauit, cum Capharnaitis diceret: Amen amen dico vobis, qui nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Noui igitur testamenti huius conditiones, non sunt tantummodo credere, ac fidem habere, sed præterea etiam omnia, quæ nobis ille præscripsit, mandata atq; leges obseruare, vt ad promissionem eius fruitionem peruenire possimus. Diligenter harum rerum, de quibus loquimur, natura cognoscenda est, priusquam de hac controuersia recte decerni possit. Nunc ergo priorem testamenti significantiā, ac definitionem exposuimus, secundum quam duo testamenta, vetus scilicet, ac nouum nos habere monstrauimus. Reliquum est igitur, vt posteriorē eius acceptionem ac definitionem aggrediamur, quæ secundum iuris ciuilibus rigorem sumitur. Iuxta hunc autem rigorem, notandum est, vetus testamentum, propriè testamētum dici nō posse, sed in genere tantummodo, propter publicam illam pacti, atq; consensus testificationem, ac declarationem, quæ inter Deum, & populum Israel facta est. At verò nouum testamētum à Christo institutum, recte iuxta vtramq; acceptionem, testamentum dici potest. Vnde & ipse Paulus eius in epistola sua ad Hebræos mentionē faciēs, eo etiā modo, quo Iuriscōsulti voce illa vti solent, testamentum vocat: Nā dicit testamētum, testatoris morte confirmari,

vt de postera die, quam Christus testamētum suum condiderat, mortem subiit, qua quidem morte, illius testamentum sempiternum, atque immortale confectum est. Cum enim Christus amplius mori nequeat, nullum deinceps testamētum conficere potest. Quo fit, vt illud, quod semel fecit, dicatur æternum. Cū igitur testamenti nomen eo modo, quo Iuriscōsulti Paulus accipiat, ab illis eius diffinitionem, mutuemus necesse est. Sic itaque magnus ille Iuriscōsultus Vlpianus illud describit: Testamentum (inquit) est nostræ voluntatis iusta sententia, de eo, quod quis post mortem fieri voluit. Est igitur testamentum dispositio illa, quæ homo sub mortem domui suæ adhibet, vt de fortunis suis, ac de omnibus alijs, quæ post mortem, ab hæredibus, amicis, seruis, ac successoribus fieri cupit, recte constituat: Est illa vltimæ voluntatis suæ declaratio, qua hæredibus, ac amicis, iuxta eum, quem in eos gerit, amoris affectum, id quod sibi placet, legat, atque testatur. Huiusmodi autem est Christi testamentum, quia est iusta voluntatis eius sententia de ijs, quæ in domo sua, (quæ est Ecclesia) post mortem fieri volebat. Nunc igitur superest, vt pro causæ nostræ defensione, ab his diffinitionibus argumenta sumamus. A priori igitur istud in primis, & conuentionibus, quæ inter diuersas fiunt partes, nullis obscuris, aut ambiguis verbis, quæ vni aut alteri parti occasionem dare possent, vt conuentionum, pactorumve conditiones, & articuli infringentur, vtendum est, vnde cum vtraque pars sincere in pacto incundo procedit: omnem amphibologiam, ac dubium sensum euitans, verbis quam fieri potest apertissimis vti, moris est. Cæterum vbi pactio aliqua sicte contrahitur, pars illa, quæ simulatoriè tantum, & vt tempore se accommodet, illud contrahit, confidēs illud, vbi oportunitas sese obrulerit se infringere posse, ea (inquā) dubij sensus verba libenter vsurpat, vt cum dictam conuentionem diutius obseruare noluerit, sub verborum illorum obscuritate, atque amphibologiæ tenebris hypocrisim suam cœlare possit. Cæterum de Christo, qui non est duplici corde, & qui sincere, & absq; fraude vlla egit, vt huiusmodi pactum quod æternum esse

cupiebat, inter Deum hominesque cōponeret; de eo (inquam) huiuscemodi aliquid absque grandi blasphemia dici non potest: Vnde apertissime liquet, illum cum huiuscemodi pactionem, ac testamentum cum nouo populo suo Israelitico conderet, verbis ambiguis, aut obscuris vsus non esse. Efferat autem huiuscemodi verbis vsus, si illa in sēsu mystico, Allegorico, aut figurato explicari deberent. Ex quo illius testamenti verba literaliter, & absque figura vlla exponi oportere, perspicuum est. Hęc autem ratio scripturę exemplis illustrari potest. Cū. n. Moyses, qui veteris testamēti mediator fuit, illud filijs Israel proponeret, ac cum illis iniret, nullis verbis ambiguis, aut obscuris vsus est, quinimo, omnia, quę vel ipse, vel filij Israel illud contrahendo pronunciarunt, verba, absque figuris accipiuntur: Ac proinde noui quoque testamenti verba eodem plane modo exponenda sunt. Hęc igitur regula vniuersalis erit. Inter viros bonos, atque sapientes, nullum pactum, aut conuentum, cuius verba per figuras, aut allegorias exponi debeant, fiat. In pactis siquidem in eundis huiuscemodi verbis, quę vni, aut alteri parti occasionem præbeant, vt illud infringatur, vti directe cōtra ipsius pacti cōuentique naturam est. Quocirca minime dubitandum est, quin ipse Diabolus sit, qui calamitosissimis hisce temporibus, hominibus persuadat, huius noui pacti, ac testamenti (quod CHRISTVS nobiscum pepigit) verba figurate exponenda esse, vt ita eos, qui id crediderint, hoc testamentum infringere ac transgredi faciat, proindeque illos promissa hæreditate priuet, ac spoliaret: Nam si ijs solis, qui corpus, & sanguinem CHRISTI susceperint, vita æterna promissa est, qui corporis & sanguinis eius sola signa, figuręque suscipiunt, filij Dei testamentum certe non seruāt, ac proinde promissa hæreditate nunquam frui poterunt. Quocirca maiores nostri, ne in tantum discrimen incidere, sed vt in tam fructuoso potius testamento perseuerarent, ipsius CHRISTI verba simpliciter, ac secundum literam acceperunt, atque illud, quod CHRISTVS pro consequenda hæreditate promissa statuerat, atque præscripsit, quàm diligentissime obseruandū

putarunt. Quod sine dubio faciendum est omnibus, qui ad eandem beatitudinem peruenire cupientes, ea supplicia, quę testamenti huius violatores, atque transgressores manent, effugere volunt. Vnde D. Paulus tanquam tuba quedam cœlestis, ne illud transgrediamur, clara voce nos admonet dicens. Irritam quis faciens (inquit) legem Moyfi, sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est; & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Ac si diceret eos, qui Christi testamētū obseruare cōtempserint, ac sanguinem illius, quo pactum illud, quod ipse nobiscum pepigit, confirmatum est, ipse in maximo certissimoque discrimine periculoque verari. Nam si Moysi testamenti transgressio morte digna iudicatur, nõne longe grauiore supplicio, diuini illius testamenti (quod nobis ipse Dei filius reliquit) violatio digna existimanda est? Certum est autem, aduersarios illud testamentum violare, ac transgredi, Christi que sacrosanctum sanguinem polluere, Deique filium pedibus conculcare, cum literalem verborum testamenti huius sensum relinquētes, verum CHRISTI corpus, & sanguinem, in augustissimo sacramento, nõre ipsa, sed in signo, & figura tantum esse contendunt, Imò (quod his immanius est) vbicumque in sacris Dei templis, aut locis, quę ipsi hodie passim euertunt, illa inuenire possunt; inaudita quadam mentis cæcitate, pedibus re ipsa conculcant, premunt, conterunt. Quapropter Maiores nostri, ne in horrendam illam Dei indignationem, (a qua impij isti filij Dei conculcatores, ac sanguinis testamēti eius pollutores opprimuntur) incidere, longe aliter hoc in negotio sese habuerunt. Maxima enim reuerentia & honore præcipuo filium Dei, preciosissimumque testamenti illius sanguinem semper & vbique venerati sunt. Carterū, vt vnde digressa est, eò nostra reuertatur oratio, (quæso) vt Christianus quisque Lector, diligenter animaduertat, quid sit testamentum, & vt Christi verba legendo, quibus cum sacramentum nostrum institueret, potum, quem dabat,

testa.

testamenti sui sanguinem esse dicebat, quæso (inquam) vt meminerit, testamētum esse aliquorum inter se pactum, atque conuentum, ad hæc singula cuiusque pacti verba literaliter, & absque figura exponenda esse. Eadem proinde prudentia, qua sæculi Iudices cum pacti alicuius controuersia ad eos defertur, vti solent, in hoc tanti ponderis negotio Christianus Lector viatur. Illi enim iudices in huiuscemodi controuersijs, nõ quid conuentionis verba secundum sensum allegoricum, aut figuratum significare possint, quærunt; sed iuxta literalē sensum, de controuersia iudicant: Ita plane & in ista cāusa, cum aduersus fidei nostrę hostes, de vera noui pacti, quod nobiscum Christus pepigit, (quod & nouum testamentum dicimus) verborum intelligentia differimus, agendum est.

*Aliud argumentum à posteriore testamēti definitione ductum.*

## CAPVT LXXXIII.

Superius ostendimus, nouum testamentum, eo in significato, quo nomen illud Iuriconsulti accipiunt, recte testamentum vocari, quemadmodum Paulus in epistola sua ad Hebræos cap. 9. latius explicat. Vnde dicimus, nouum testamentum, non solum quemadmodum vetus; pactum, aut conuentionem esse; sed etiam verum testamentum, ac veram vltimam ipsius Christi voluntatis declarationem, de ijs, quę in Ecclesia sua, post mortem, durante absentia sua visibili fieri volebat: Quod testamētū ipse iam morti proximus condidit, quę admodum & homines sub diem mortis facere consueuerūt. Proinde certum quoddam argumentum ab hac testamēti definitione sumamus: in hunc modū. Cū vir quisque pius, ac honestę conditionis, ad vltimum mortalis huius vitę diem declinare se senserit, testamentum instituit, partim, vt de rebus suis, inter hæredes ita disponat, ne inter eos post ipsius discessum, vllę lites, aut controuersię propter bona ipsius temporalia oriantur, partim, vt quę in sui memoriam, post mortem fieri velit, statuat, atque præscribat. At qui hæc (ni vehemē-

ter fallor) potissima ratio est, cur testamentum à viris probis, ac sapientibus instituat. Finis autem media, sine quibus ad eum pertingi non potest, requirit necessariò. Porro non potest fieri, vt testamentum aliquod inter hæredes, de rebus legatis, absque litibus obseruetur, si in eo condendo verbis ambiguis, & obscuris, & quę duplicem habeant sensum, testator vtatur, nisi ad singularem aliquem sensum ea testator ipse restringat, & explicet. Claris igitur, & non obscuris, neque ambiguis, ea in re, verbis vtendum est: verum omnia verba, quę per figuras, & Allegorias exponi debent, obscura, ambigua, ac incerta sunt: ex quo manifestissime liquet, in testamentis cōdendis, huiuscemodi verba vsurpanda non esse. Vnde illi, qui in iure ciuili, in controuersijs, & litibus versati sunt, quique plurimas, inter hæredes, super recta testamentorum intelligentia, contentiones excitatas, aliquādo viderunt, cum sua ipsi condunt testamenta, talibus verbis vt student, quibus omnes huiuscemodi lites, atque controuersias, quas iam ante in alijs experti fuerant, eo quod illorum testatores satis idoneis verbis vsi non fuerant, remoueant, atque rescindant. Verbi gratia, si pater quispiam morte vicina testamentum instituens, ita diceret: Tullius filius meus, Terentię vxori meę 30. pondo vasorum aureorum dato, quę volet: Quia per huiuscemodi verba nescitur, vtrum testator dicere voluerit, quę volet ipsa, vel, quę volet ipse, testamentum huiuscemodi ambiguum est; Quapropter post viri mortē, mulier ea aurea vasa, quę ipsa eligere voluerit, sibi deberi dicet; hæres contra ea esse contendet, quę ipse dare volet: Ita & huiuscemodi testamentum, inter mulierem & hæredem lites, & controuersias excitabit, & testator ille, qui clarioribus verbis omnem huiuscemodi ambiguitatem tollens, illa incommoda non præciderit, neque præpedierit, iure dicitur imprudens. Liquet igitur testamentum, claris, & non obscuris, neque ambiguis verbis esse faciendum. Vnde cum Iuriconsulti testamentum aliquod referant, vt quisnam à defuncto, hæres constitutus sit, intelligatur, omnia eius verba, absque vllis figuris, in propria ac genuina significatione, ad rigorem



huiusmodi fuisse, aut dicamus, aut cogitare audeamus. Ipse enim nihil tanto peccate, quam Christianorum pacem, atque concordiam optabat, unde quod sui erat officij, testamentum condens, ac iustam ultimæ voluntatis suæ sententiam pronuncians, exequi voluit. Quod tam egregie, tam clare, ac diserte fecit, ut quibus de rebus locutus sit, nemini nisi incredulo, sit obscurum. Ex omnibus itaque, quæ hæcenus diximus (cum CHRISTI testamentum, iuxta ipsius voluntatis sententia sit, & cum omnis sententia literaliter, absque vlla omnino, aut figura, aut allegoria exponenda sit) iure concludimus, Dominici quoque testamenti verba, ita plane, absque vlla aut metaphora, aut figura accipi oportere.

*Alia probatio à testamenti diffinitione sumpta.*

## CAPVT LXXXXVI.

Superius diximus, eum, qui præsentivita defungitur, instar Legislatoris habere, eo quod, constitutiones, quæ vim legis obtineant, præscribendi auctoritate fungatur, Vnde leges illæ, quas Deus olim filiis Israel dederat, testamentum quidem vocantur, sed non proprie, eò, quod cum Deus testamentum huiusmodi condere, mortuus non est, ut illud confirmaret, imò CHRISTI morte abolitum potius, quam confirmatum est illud Mosaicum testamentum. Ceterum, ea, quæ Christus in coena instituit, proprie noui testamenti leges, atque præcepta sunt, sic ut testamentum eas leges, ac scita comprehendit, quibus obseruatis, ad hæreditatis promissæ fruitionem perueniatur. Omnes autem leges tam diuinæ, quam humanæ literaliter, ita absque figura, aut allegoria vlla explicandæ sunt, ut nulla omnino, quæ aliter accipi possit, repariatur, omnes igitur leges, & præcepta, quæ CHRISTVS, dum testamentum conderet, instituit, literaliter accipi debent. Sed quoniam superius de præcepti nomine simile argumentum duximus, non repetam hoc loco, maxime cum ad alia festinet oratio.

(.)

*Relatiuum illud (qui) in Christi verbis, vera est eius, quod ante dixerat, explicatio.*

## CAPVT LXXXXVII.

Superius dixisse me memini, eum, qui vel testimonium dicendo, vel testamentum condendo, verbis sua natura, neque ambiguis, neque æquiuocis vitur, ad ea explicanda non teneri, propterea quod locutionis suæ natura aperte concludit, ea, iuxta grammaticum rigorem, secundum principalem ipsorum significationem interpretari oportere. Quamobrem et si Christus cum in testamento suo condendo, nullis vocibus æquiuocis usus sit, nihil aliud agere tenebatur, quam ut quæ ab hæredibus, atque executoribus suis fieri vellet, simpliciter exprimeret, maxime cum illi vicissim simpliciter ei credere, atque obedire teneatur, plura tamen, quam ad quæ obligaretur, facere voluit; Nam Berengarium, ac sectatores eius venturos præuideans, qui eius verba per figuras exponerent, sanguinem interpretando per signum, & figuram sanguinis, eos præuenire voluit; post vocem (sanguis) Relatiuum (qui) collocando, quod proprietatem huiusmodi referat, quæ ad proprium, ipsius tantummodo sanguinem pertineat, nempe effundi pro mundi vita. Quod sane neque ad purum vinum, neque ad vllam sanguinis eius figuram, aut signum pertinere potest: Ceterum, quænam Relatiuorum natura, ac eorum in oratione usus sit, ex ijs, quæ superius, de exhibitioijs corporis ipsius verbis diximus, haud difficulter intelligi potest, quo sit, ut illud hic minime repetendum putem. Quare hoc tantum obiter dicam, quod ibi latinus dixisse me recolo. Relatiuum nihil aliud esse, quam antea dictorum expositionem: Christus igitur cum dixisset: Hic est sanguis meus, subiiciens Qui pro vobis effundetur, id quod dixerat, manifestius explicabat. Ex ijs autem quæ superius, Christum in suo testamento condendo, si usus esset verbis aliquibus obscuris, atque ambiguis, quæ per figuras, aut metaphoras pro realiqua, quæ proprie non significarent, posuisset, ad ea explicanda teneri. Alioqui neque execu-

tores,

tores, neque eius hæredes, quidnam ipse testamento suo delegasset, intelligere potuissent. Porro tantum abest, ut ea figuratè exposuerit, ut ipsemet longe aliter potius declarauerit, satis perspicue ostendens, quemadmodum vellet intelligi. Nam posteaquam dixisset, Hic est sanguis meus, cum vox illa (sanguis) non minus hircorum, vitulorum, agnorum, quam proprium ipsius sanguinem significaret, eam multiplicis sensus ambiguitatem tollere voluit, dicens, sanguis meus: Ac rursum, quia non nullos ad temerarios futuros præuidebat, qui vocem illam sanguis, pro figura sanguinis exponere præsumerent, ipsemet alio modo explicare voluit, adijciendo. Qui pro vobis effundetur. Quæ quidem additio, nihil aliud, quam nominis huius sanguis, interpretatio est; Hoc etenim tantumde valeret, ac si manifestius dixisset, Hic est sanguis meus, id est, Hic ipse proprius sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Ac si clarius diceret, quosdam futuros scio, qui execranda incredulitate sua illecti, verba mea negare non audentes, ea per corporis, & sanguinis mei figuras interpretabuntur. Ut eos igitur præueniam, ego ipse sic ea exponam, ut nemo, eorum expositionem pro mea recipiat. Nam (ut in vulgari proverbio est) dicentis est interpretari: Dico igitur hunc sanguinem meum esse, non ipsius figuram, sed eum ipsum meum sanguinem, qui pro mundi vita effundetur. Plane, ac si diceret, sanguinem hic accipio, pro eo, qui effundetur pro sæculi vita. Hæc est verborum meorum expositio, atque interpretatio, quam ego ipse facio. Eam à me ipso igitur accipite, ac omnes alias, quæ huic non consonant, rejicite. Certe Maiores nostri sedulo considerantes, Christum, ita prudenter verba sua exponere voluisse, nunquam alterius cuiusquam, qui aliter illa interpretaretur, expositionem admittere voluerunt. Siquidem post filij Dei elucidationem, neminem, qui ipsius CHRISTI verba in alium sensum detorqueret, eaque depranaret, audiendum putabant. Iudicet autem æquus Lector, num illi iure meritoque id ita facerent, omnesque Berengarij, ac sectatorum eius metaphoras, allegorias, ac figuras abominaretur. Quod si studiosus Lector ista, cum ijs, quæ su-

perius de usu Relatiui, Quod, diximus, cum hæc verba, Hoc est corpus meum, exponeremus, contulerit; longe amplius rationis huius vigorem intelliget. Quæ sane ratio vsque ad eò clare pro fide nostrâ concludit, ut nec mathematica quidem demonstratio euidentius concludere valeret: Sed ut quod verum est ingenue dicam, ea tantum ponderis apud me habet, ut impossibile omnino mihi fuerit, ea verba, alio in sensu accipere.

*Quod Maiores nostri tot rationibus adducti, nunquam aliter verba hæc, Hoc est corpus meum, quam literaliter exposere ausi sunt.*

## CAPVT LXXXXVIII.

Maiores nostri cum tantam rationum multitudinem præ oculis haberent, ea Christi verba ad literam exponenda esse perspicue viderunt. Cum enim intelligerent pactio, promissionum, sententiarum, legum, præceptorum, testamentorum, testimoniorum verba, absque vllis figuris accipiendæ esse, sic iure moti persuasique sunt, ut Dominici testamenti verba nunquam aliter, quam iuxta literalem sensum interpretari præsumerent; maxime cum animaduertent, eum sic illa explicuisse, sicuti superius diximus. Vnde semper ijs, qui huiusmodi sensum sibi præripere conarentur, totis viribus restiterunt, contra quos, non secus, atque contra lupos rapaces, qui pij mediatoris, ac redemptoris nostri testamentum impie nefarieque corrumpent, iure clamarunt. Vnde mysticis illis donis ac muneribus, quæ Christus ijs testamento legauerat, ad miserima hæc vsque tempora pacifice potiti sunt. Nuuc autem cum impij nefariique homines, qui Redemptoris sui testamentum, nimis (proh dolor) vilipenderent, atque contemnerent, exorti sunt, curiosius, imò stultius, quam oportebat, & illius testamenti corruptoribus, & ijs qui præcioso corporis, & sanguinis filij Dei dono (quod ipse nobis in promissæ hæreditatis arrham atque fidem reliquerat) illos priuare conantur, aures præstitere. Vnde etiam iustissimo Dei iudicio factum est, ut in id decepti-

onis,



onis, ac demetriæ barathrum, inciderint, ut seipsos eo muncere, quo ad vitæ æternæ consequutionē, nihil magis erat necessarium, sponte abiecerint. Maiores autem nostri religiosissimi homines, longe aliter huiuscemodi beluis crudelissimisque hostibus Ecclesiæ, ac Dei, fortissimè repugnarunt, quemadmodum eo tempore cum diabolus per serpentem suum Berægariū, pro corpore, & sanguine Christi signa, & figuras suas reluctanti mundo conaretur obtrudere, experientia ipsa clarissime ostendit. Tunc enim ex toto orbe Christiano, densissimi contra eum clamores concitabantur, tunc varia adversus eum, tum generalia, tum Provincialia Concilia celebrabantur, ita ut cum animaduerneret, totum orbem Christianū suis conatibus reluctari, coactus fuerit seipsum retractare, ac errorem suum ore proprio condemnare. Ex quo huiuscemodi pro Maiorum nostrorum fide argumentum colligo: Nemo unquam pacifice figuratam hanc Dominici testamenti expositionem, in lucem emittere potuit, quin tota Dei Ecclesia illi sese opponeret. At si expositio huiuscemodi ex Deo esset, facile à fidelibus recepta fuisset, perpetuoque in Ecclesia perseverasset. Consequens igitur est, eam non à Deo, sed à Diabolo, totius veritatis inimico, mendacique subobscura. Quocirca ab omnibus veris CHRISTI hæredibus, in totum condemnari, ac plane rejici debet, tanquam ea, quæ sanum verborum ipsius sensum corrumpat ac destruat, testamentumque eius, quod lōge maiori cura, quàm vllam rem aliam, quantumlibet preciosam, Maiores nostri observare studuerunt, non obscure subuertat, ac violet.

*Hæc verba (Hic calix novum testamentum est in meo sanguine) absq. figuris interpretanda esse.*

#### CAPVT LXXXXIX.

**C**Vm hæc Christi verba (Hic est sanguis meus novi testamenti) literaliter intelligenda esse comprobaverim, superfluum foret, circa eorum expositionem diutius immorari. Eorum siquidem literalis sensus aded facilis ac peruius est, ut nemo vsque aded simplex sit,

quin ea absque vlllo negotio facile intelligere possit. Nam quicquid difficultatis hic subesse potest, non aliunde provenit quam quod isti increduli, nec simpliciter Deo fidē adhibere volunt, nec ipsum id quod, aut dicit, aut promittit, præstare posse arbitrantur. Deinde vero omnis controuersia, quæ inter nos, ac ipsos agitur, in eo consistit, ut sciatur, vtrū hæc verba literaliter, an figurate intelligi debeant. Quod si à nobis ea literaliter, & absque vllis figuris, aut allegorijs intelligenda demonstratum fuerit, litem plane euicerimus, eo quod iuxta literalem eorum sensum, realis quædam corporis Christi in nostro sacramento præsentia necessario consequatur. Quæ profecto realis præsentia talem secum adorationem exigit, qualem verum Deum, ac Redemptorem decet, qualem & Maiores nostri, fideles eius cultores, ei exhibuerunt. Ac sic eos nequaquam Idololatras fuisse comprobauerimus, quando quidē in hoc sacramento non Idolum, sed deū verum, rerum omnium conditorē adorauerint. At qui abunde satis hæc tenus ea verba nequaquam figurate, sed literaliter intelligenda esse monstrauimus. Omnis igitur hic terminata lis est, cum tota hæc disputatio pro nostra fide, ac religione, cōcludat. Porro iam restat, ut ea Pauli verba, quæ ideo nonnihil subobscura videntur, quod ea nonnulli figurate, & non literaliter intelligenda esse censuerint, explicemus. Quæ sane res aduersarijs ansam præbuit, ut omnia reliqua cænæ verba per figuram quoque exponenda esse iudicarent. Quod plane philosophice, vti superius ostendimus, colligunt. Nos autem, qui ex literalis verbi dei sensu, Maiorum nostrorum fidem verā esse, suscepimus comprobandum nihil hac in re nobis hic propter nonnullas doctorum Catholicorum auctoritates derogari, aut præiudicari volumus, quominus omni cum libertate cœptam expositionem nostram prosequamur, ac secundum principia, & Regulas prius à nobis, tanquam pro fundamento nostro positas, cōcludere possimus, hæc Christi verba, à Diuo Paulo scripta (Hic calix novum testamentum est in meo sanguine) literaliter quoque, & absque vllis figuris, quemadmodum & hæc, quæ apud Matthæum ponuntur (Hic est san-

guis

guis meus novi testamenti) intelligi debeant. Nostræ siquidem rationes huiusmodi sunt, ut omnia Dominici testamenti verba, per quæ, quid Ecclesiæ suæ legaret. Christus ostendit, absq; vllis figuris interpretanda esse concludant. Experiamur igitur oportet, ut ea, quemadmodum & reliqua, absq; extorsione, aut violentia vlla sic exponamus, ut nec naturalē quidem verborum, quibus Christus vsus est, significantiā immutemus. Incertus sum equidē vtrum aliqui Doctores Catholici, ita ante nos, ea exposuerint, quæ admodum nunc exposituri sumus, maxime cum oēs eorum libros iam in præptu nō habeam, ut quidnam singuli hæc de re senserint, indagare possim; hoc vnum tamen scio, eos omnes magnopere suis commentationibus operā dedisse, ut ista verba, cum ijs, quæ hæc tenus explicauimus, & secundum eum sensum, quem eis assignauimus, conciliaret. Verum quādo mihi cum huiuscemodi hominibus, qui scripturam tantum modo recipere velint, negocium est, mihi quoque liberum hac in defensione mea fuerit, illi tantummodo scripturæ, sensuique iuxta verborum rigorem decerpi potest, nisi. Hoc igitur ut faciamus, Pauli verba expendent, à calicis nomine sumemus exordium.

*Quidnam vox illa (calix) in dictis Christi verbis significet.*

#### CAPVT C.

**C**Vm verus, ac genuin⁹ orationis cuiusq; sensus, ex vera, ac naturali verborum, quibus cōstat, significatione pendeat, operæ precium me facturum putauit, si natiuam vocis huius (calix) significantiā hic declarauero, ut quidnam in illis Christi verbis significet, planius intelligatur. Calix igitur poculi genus est (Calepino teste) quo bibimus: Textus autem Græcus loco vocis istius (calix) nomen *ποτήριον* collocat, pro quo nouelli trāslatores, nouitatis vtiq; amatores, Latine poculum vertunt. Istud autē nomē, quādoq; ipsum quo bibitur, vasculum designat; quandoq; vero potū, qui in eo cōtinetur. De primo nulli dubiū est; de altero sic apud Virgiliū habes: Pocula si quādo sænā infecere noueræ. Cæterū quotiescūque verbum, bibere, ei adiungitur, pro ipso potu, & non pro poculo sumi-

tur. Nam cum dicimus, bibe calicem, vel poculū, non nisi pro potu accipi potest. Sic & in qualibet oratione, verba, quæ ei adduntur, abunde satis, qua in significatione accipiendum sit, ostendunt. Quod sane, ut aduersariorum strophæ commodius deprehendantur, diligenter obseruandū est. Nam quāuis recte intelligant, calicē hic, siue poculū, pro ipso potu, & nō pro vase accipiendū esse, alioqui dicere cōpellerētur, nō solū sacramenta nostra ex illo vase esse cōfecta, verum etiā quod Christus discipulos suos, ad vasculū illud, & nō ad potū, qui in eo continebatur, bibendū inuitauerit. Quæ omnia profecto quā absurdisima sunt, attamē cū illum fidei nostræ articulū de trāssubstantiatione impugnare volūt, hoc in sensu ea verba citāt, ut calicē hic, p ipso vase, & nō pro potu accipiāt: Quippe cū eis dicimus, verba ista (Hoc est corpus meū) vera esse non posse, quin trāssubstantiatio concedatur, hæc continuo verba nobis opponunt (Hic calix nouum testamentum est) vociferantes, pari etiam ratione consequi, ut calicis, seu poculi substantia, in sanguinis Christi, aut noui testamenti substantiā conuertatur. Quo locutionis genere patenter satis ostendunt, se calicē hic pro vase ipso, & nō pro potu accipere, quod valde profecto absurdū est: Nihilominus tamen cū hæc dicunt, plurimos sæpenuero attonitos reddūt, qui videlicet neque eorum astutias callent, neque obiecta ab eis argumenta, in propria ipsorū capita retorquere norūt, nec postremo discernere sciūt, vtrū testamentū substantiā, an accidens significet. Quod fit, ut illorū argumēta magnæ cuiusdam efficacis, ac pōderis apud istos esse videātur, quod haud dubie falsissimū est, præsertim cū neq; calix, pro vase ipso, sed p potu, neq; testamentū pro substantia, sed p accidente, in illis Christi verbis accipiantur, quæ admodum iā satis declarauim⁹. Hoc igitur tanquā pro certo, ac plane cōprobato tencamus, necesse est, calicē in istis verbis (Hic calix nouū testamentū in meo sanguine, p ipso potu, & nō pro vase accipi. Hic calix igitur, tātū valet, ac si diceret, Hic potus. Atqui hic loquendi modus aded apud oēs cuiuscūq; linguæ homines vulgaris, atq; vsitatus est, ut nemo cū tanq̄ absurdū debeat improbare. Nā cum dicitur, vini lagena, aut vitrum

X

ebiba-

ebibatur, nemo adeo desipit, vt de vase bibendo, sed de ipso potu rātummodo, qui in eo est, ebibendo mentionem fieri putet. Christus igitur calicis nomine, potū, sicuti panis vocabulo cibum, intelligit. Cum igitur diceret. (Hic calix nouū testamentū est, rātumdem est, ac si dixisset (Hic potus nouū testamentū est) Cū ergo satis iā comprobatū sit, calicē, seu poculum hic, pro ipso potu, & non pro vase accipi, proximū est, vt inuestigem⁹, quisnam iste potus sit, hoc est, an vinū, an sanguis sit. Atqui nulla penitus hic sanguinis sit mētio, sed neq; etiam vinū esse, de quo hic sermo habetur, haud difficulter fuerit cōprobare. Nam quod de isto potu hic dicitur, nullo sane modo ipsi vino cōuenire pōt, sed illi tantūmodo potui cōpetit, de quo ipse Christus in verbis suis promissorijs loquebatur, cū diceret, Caro mea verē est cib⁹, & sanguis meus verē est potus: Quare igitur à Christo, Quis est Domine, potus iste, super quē Deo patri tuo gratias egisti, quem & benedictione tua cōsecrasti? At ille tibi cōtinuo respondebit, Sanguis meus verē est potus. Sanguis meus (inquit) non per figuram, aut signū; sed verē est, Hoc est, eodem plane modo, quo carnem meam verē cibum esse dicebam, ita & nūc sanguinem meum, calicem, id est, potū hūc esse pronuncio. Et quemadmodū cibū, illum, quem vobis porrigebam, corpus meum, quod pro vobis tradēdum erat, esse dicebam, sic & nūc potum hūc, mei ipsius sanguinem, qui pro vobis effūditur, esse pronūcio, Ex promissis ipsis, iudicate, quidnā vobis exhibeam: Vobis quippe carnē meam in cibum promiserā, vnde & eā sub specie panis vobis exhibui. Sanguinem quoq; meum vobis in potum promiseram, cum igitur & nunc vobis exhibeo. Nam calix, id est, potus iste, nouū testamentum est in meo sanguine. Liqueat igitur, cum Christus de calice (qui non nisi pro potu ipso accipi potest) loqueretur, ad verba promissoria allusisse, quibus sanguinem suum, verē potum esse iam dixerat. Carterum, quod calix, siue poculum, alibi in scripturis pro potu ipso vsurpetur, haud difficile sane fuerit comprobare, Nam & alibi ipsismet Christus eo in sensu vsus est: Voluti cum diceret: Quisquis enim vobis potum dederit calicem aquæ frigidæ, in

Marc. 9.

nomine meo, quia CHRISTI estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Diuus quoq; Paulus in eadem accipit significatione, cum dicit: Non potestis bibere calicem Domini, & calicem demoniorum. In psalmo quoque poculum pro potu sumitur, nam vbi quidam legunt, Poculum meum cum fletu miscebam, alij legunt, Potum meum cum fletu miscebam. Ex quibus omnibus quænam vera, ac genuina vocis istius (calix) seu poculum, significantia sit: perspicuum est.

*Quot modis accipiatur testamenti nomen.*

#### CAPVT CI.

ET si superius copiose admodum de nomine testamenti disseruerimus, non nihil adhuc tamē de variō ipsius vsu dicamus, necesse est, vt cum intellexerimus, quàm varie sumatur, commodius discernere possimus, in qua significātia, in istis, quæ modo tractamus, Christi verbis accipi debeat. Tribus igitur modis, hoc nomen in scriptura vsurpatur. Primo, vt actum ipsum, quo testamentum componitur, denotet. Secundo vt scripturam, quæ testamentum, aut actionem huiuscemodi cōtinet, significet. Tertio, vt donum, quod testamēto alicui distribui solet, designet. De primo nullum est dubium. Secundo nos in vulgari sermone nostro vtimur, cum libros illos, in quibus Dei testimonia descripta sunt, nomine veteris, ac noui testamenti nūcupamus. Atqui ea in significatione Diuus quoque Paulus vtitur, cum de Iudeis loquens, ait, Vsque in hodiernum diē id ipsum velamen, in lectione veteris testamenti, manet non reuelatum. Et Sapiens, Hæc omnia liber vitæ, & testamentum altissimi. Tertium quoq; loquendi modū, in familiari sermone frequenter vsurpat, cum donum aliquod nobis alicuius testamento relictum, illius qui id nobis legauit, atque testatus est, testamentum dicimus. Ad hunc plane modū patet, Christi testamentū nūcupamus. Sic & insignis ille gentis Iudaicæ propugnator Mathathias singulare illud magni Pontificatus donum, quod Deus Phinees dederat, testamenti nomine appellat, Phinees (inquit) pater noster, zelādo zelū Dei,

1. Cor. 11.

Psal. 111.

1. Macc. 1.

Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. Hoc autem locutionis genus illi affine est, quo potui calicis, qui cōtinet, nomē imponimus: ita & donum, quod testamento nobis obuenit, testamenti nomine vocamus, eod quod in testamento cōtineatur. Nunc itaq; cum variū nominis huius vsū recte cognitum habeamus, restat, vt qua in significatione, in illis verbis (Hic calix, nouum testamentū est in meo sanguine) accipiatur, intelligamus. Illud autē certissimū est, accipi nō posse, nisi aut pro vltimæ voluntatis Christi declaratione, quæ proprie testamentū dicitur, aut pro dono, quod hæredibus testamento legauit.

*Quemadmodum prædicta Christi verba absque figuris explicari possint, & quod testamentum hic aut pro dono, aut pro vltimæ voluntatis Christi declaratio, accipi debeat.*

#### CAPVT CII.

CVM veram, atq; genuinam verborū Christi significationē exposuerimus, proximū est, vt illius sententiæ (Hic calix nouū testamentum est in meo sanguine) sensum explicemus. Imprimis ergo, vnū è duobus cōstitendum est, sententiæ hęc, aut eiusdē plane sensus esse, cū ea quæ apud Matthæū, & Marcū ponitur, aut diuersi sensus existere. Si eiusdē sensus esse dicatur, aliter profecto exponi nequit, quàm superius exposendam esse diximus. Nempe vt (testamentū) pro genitiuo (testamenti) sumatur: Tunc enim eundem sensum habebit cum ista (Hic est sanguis meus noui testamenti. Sensus enim erit, Hic potus noui testamenti est in meo sanguine, quod idem plane est, ac si dicatur, Hic est sanguis meus noui testamenti. At si aliter propositionem hanc exponendam esse contendis, sensū hunc nunquā cōsequeris. Quod si diuersi sensus esse dicatur, fatendum est nihilominus, Christum, omnia illa, tam quæ apud Matthæū, quàm quæ apud Paulū, verba scripta sunt, protulisse: vterque enim verū dicit, cum Christum huiuscemodi verba pronunciaffe cōmemorat. Sequitur proinde, eū, omnia, quæ sequuntur, verba super calicē protulisse, Hic est sanguis meus noui testamenti: Et illud, Hic potus, siue calix nouū testamentū est

in meo sanguine. Vt aut diuersus his propositionibus sensus assignetur, testamentum, in Pauli verbis accipiendū esset, vt designet aliquod singulare donū, quod Christus testamēto suo, dilectissimæ spōsæ suæ Ecclesiæ cōtulisset. Actum sane, verba hæc absque signis, aut figuris vllis interpretantes, libere sanguinem Christi, nouum testamentum, id est, nouum donum esse cōfitebimur. Id enim verissimum est, quia donū istud huiuscemodi est, vt nullus vnquam mortalium, testamento suo simile reliquerit. Cū opulentus ac præpotens aliquis Princeps, qui magnopere suos diligit, nouū testamentum se conditurum pollicetur, nō dubium est, quin sui noua aliqua munera ijs, quæ ante acceperant longe præstantiora, se etiam tum recepturos esse confidant. Sic & Apostoli, qui Christum verē filium Dei esse, optime nouerāt, cum ipsū de hono testamento cōdendo loquentem audirent, nō est dubium, quin spem magnam ex huiuscemodi verbis conceperint, cum tale aliquod munus dare voluisse, cui simile nullo vnquam Dei testamēto ante habuissent. In hoc igitur sensu testamenti nomen intelligentes, nihil opus est vllis figuris aut tropis, vt hæc Christi verba explicem⁹. Sic enim oratio, etiam iuxta præceptiones Grammaticas optime congrua erit, quia calicis nomen (quod pro potu accipiendū esse monstrauiamus) cum voce testamentum, per illud cōstructionis genus, quod Grammatici Appositionem vocant, recte poterit conuenire. Quemadmodū enim dicimus, vrbs Roma, Arbor malus, sic etiam Latine, ac cōgrue dicere possumus; Hic potus nouum donū est in meo sanguine, propterea, quod vnā eandemq; rē vtrumq; significat. Si quis igitur priorem illā interpretationem nostram, qua testamentum, pro genitiuo testamenti, sumendum dicebamus, Latini sermonis rigorem mordicus defendens, suscipere noluerit, ad hanc posteriorem recurrā, qua accipiendū testamentum pro illo dono quod testamēto confertur alicui, orationem plane cōgruā deprehēdimus. Itā nihil figuris aut tropis opus est, sine quibus testamenti Dominici verba exponenda esse monstrauiamus: Tribus autem modis aduersariorum, qui nos ad suos tropos, ac figuras vocant, argutias non

difficiliter eludimus. Primo si testamen-  
tum pro genitio testamento accipimus:  
Deinde ut per testamētum, donū illud,  
quod Christus testamēto suo hominib⁹  
legavit, intelligamus. Vnde & verbū (te-  
stari) pro eo, quod est, testamēto aliquid  
donare, sumitur: Tertio ut audacter, ac  
liberè, Christum (Hic calix nouum testa-  
mentum) dixisse negemus: Nusquam e-  
nim, apud vllum Euāgelistam, aut Apo-  
stolum, verba hæc ab eo sic prolata repe-  
riuntur. Quocirca nos, qui in hac causa,  
sola verbi Dei auctoritate nitendum pu-  
tamus, nullo sane modo ad ea recipiēda  
compelli possumus, propterea q̄ nus-  
quam ita scripta reperiuntur: Nec tamē  
temere, sed grauissima sane de causa, ut  
absque figuris, aut tropis vllis, veram, ac  
genuinam horū verborū intelligentiam  
cōsequamur, tantopere laboramus. Nā  
oēs aduersariorū conatus, omnia studia,  
atq; molimina eō tendūt, ut figuratæ lo-  
cutionis nubilo Christi verba inuoluāt  
& obscurēt, ut inter illas figurarū tene-  
bras, clarissimū verbi Dei lumen effugi-  
ant. Et certe cū Christus nunquā dixerit,  
Hic calix est nouū testamētū, sed magis  
ista duo, calix & testamētum, semper ita  
cōiunxerit, ut verbū substantiuū (est) nū-  
quā in corū medio collocauerit; simpli-  
cissima, atq; optima, & quæ magis textui  
accedat, ea quam secundo loco posui, se-  
cundū quam duo illa, calix, & testamen-  
tum, pro eadem re accipimus, interpreta-  
tio mihi iure videtur. Cū igitur ratio  
postulet, ut coelestis patris, ac Redēptō-  
ris nostri, Christi testamentum absq; fi-  
guris vllis explicetur, ac illæ quas iā dedi-  
mus, expositiones, verū atq; germanum  
ipsius sensum optime referant, vtrū iure  
meritoq; Maiorum vestigijs insistentes,  
qualibet figurarum, aut allegoriarū ob-  
scuritate reiecta, literalem sensum Sole  
meridiano lōge clariorem sequi debeat,  
æqui Lectoris esto iudicium.

*Quas probationes ex his verbis ita expositis,  
pro Maiorum fide confirmanda colligimus.*

## CAPVT CIII.

EX his verbis ita expositis, variæ rati-  
ones, atq; argumenta pro nostra fi-  
de cōprobāda, colligi possunt. In primis  
siquidē, ex eo, quod calix iste, id est, pot⁹,  
quem Christus testamento suo nobis le-

gavit, nouum donū dicitur, certissimū  
argumētum est, illud nō fuisse vinū, quia  
vinum, donum vetus est, quod in huma-  
ni generis vsu, à tēpore Noe donatum  
fuit. Deinde hinc etiam liquet, donum  
istud nō esse sanguinis eius signum, quia  
sanguinis eius signum, veteris testamēti  
donum est. Tum enim in veteris illius  
populi purificationē plurimus brutorū  
sanguis donatus erat, idq; in huius san-  
guinis, qui noui testamēti populo, in cor-  
dium ablutionem dandus erat, signum,  
ac typum. Notandum autem, quod san-  
guis ille populo Israelitico exhibitus, fō-  
re designabat, ut alterius generis sanguis  
longe præstantior illo, qui antea illi ve-  
teri populo datus fuerat, nouo populo  
exhiberetur. Ille enim veteris testamen-  
ti sanguis non alterius signi, quod Chri-  
sti sanguinē repræsentaret, signum erat,  
sed ipsummet Christi sanguinē præfigu-  
rabat. Christus itaque calicem manu te-  
nens, ac dicens, (Hic potus, nouum testa-  
mentum est in meo sanguine) non ob-  
scure significabat, suum sanguinem, no-  
uum donum esse, quod illis testamēto  
suo legabat, ac tale prorsus donum, cui  
mundus simile nunquā antea habuisset.  
Quis est enim, qui antea unquā testamē-  
to suo, sanguinem propriū suis legauit.  
Nemo sane est, qui id unquā præter  
Christū fecerit. Deus veteri populo san-  
guinem suū donare nō poterat, quia, cū  
necdum homo factus esset, sanguinem,  
qui proprie suus esset, non habebat, verū  
posteaquam ex virginis vtero, carnē &  
sanguinem sumpsit, per proprium san-  
guinem, quicquid figuris, atque typis iā  
ante præfigurauerat, exhibuit. Nunc igitur  
cū nouo munere donati simus, ve-  
tera quæ sub priori testamento habeba-  
mus, reiiciamus, necesse est. Hoc est, ve-  
tera illa sanguinis huius signa, & figuras  
deserere debemus, ut nouum istud filij  
Dei donum, ambabus, (quod aiunt) ma-  
nibus suscipiamus. Id enim typice nobis  
per legem commendatum est: Superue-  
nientibus (inquit) nouis, vetera proij-  
cietis. Quod lex de fructibus nouis vole-  
bat intelligi: Adueniente igitur nouo i-  
sto vino, quod Deum & homines læti-  
ficat, hoc est precioso I E S V C H R I-  
S T I, qui vera vitis est, sanguine, ve-  
tus ille sanguis abiiciendus est. Neque  
enim amplius, nouum istud vinum,  
in

Mat. 9. in veteribus illis signorum, ac figurarū  
vtribus reponendum est, sed expurgan-  
dum est vetus fermentum, ut simus no-  
ua conspersio. Nam quemadmodū Pau-  
lus ait: Vetera transferūt. Ecce facta sunt  
omnia noua: Quæ cū ita sint, ad vos  
nunc (O patrum nostrorum aduersarij)  
redeo, vos appello, & ut saluberrimo  
prophetissæ Annæ, Samuelis matris con-  
silio acquiescatis, quātum equidem pos-  
sū, horror, ac moneo. Ea etenim in suo  
gratiarum actioniscantico, sic salubriter  
vobis consulit. Recedāt vetera (inquit)  
de ore vestro, quia Deus scientiarum do-  
minus, & ipsi præparantur cogitationes:  
Ac si diceret, Dominus, totius scientiæ  
De⁹ est, quare nullo modo decet, ut vos  
mortales, cogitationes vestras, aut qua-  
lemcumq; scientiā vestram, ipsius verbis  
præferatis, imo ad ipsum potius cogita-  
tiones vestras referre debetis, eas ad ver-  
borū ipsius normam accommodantes.  
Hæc igitur cū ita se habeant, cum D. Pan-  
lo cōcludamus, Christum, cum nouum  
testamentum diceret, vetus cum omni-  
b⁹ signis, figuris, ac vmbis suis antiquas-  
se. Sic sane & Maiores nostri, qui omniū  
figurarum, ac signorum veteris legis iu-  
gum lubentissime, ac iucundissime reie-  
cerunt, ut nouum, noui testamenti do-  
num suscipere, crediderunt.

*Diligenter considerandum esse, cur Deus san-  
guinem suum, nouo populo suo dedit, ut ip-  
sus verba recte intelligi possint.*

## CAPVT CIIII.

Vetus ille populus, non semel, sed sæ-  
pius diuersi generis sanguinē habu-  
it, quæ sane varietas eō tendebat, ut san-  
guinis Christi, quæ significabat, diuersos  
effectus, sineq; ad quos is destinandus e-  
rat, denotaret. Inter ceteros populus ille  
agni paschalis sanguinem habuit, de  
quo in scripturis mira passim referuntur,  
qui & ad diuersos fines destinatus, ita p-  
prie sanguinis Christi signum erat, ut &  
agni illius caro, illius corpus præfigura-  
bat. Vnde D. Ioan. ut Christi in cruce pē-  
dentis crura minime frangenda esse mō-  
straret, quod de agno dictum erat, vsur-  
pauit, quod de illo agno scriptū erat, de  
Christo etiā verè intelligendum esse, de-  
clarans. Ad hæc; populū illum à Domi-  
no mādatum accepisse legimus, ut illius

agni sanguine fasciculo hyfopi intincto  
vtrumq; domus postem, ac superlimina  
re respergeret: Huius autē rei Dominus  
per Moysen rationē reddēs, eis dicebat.  
Erit autē vobis sanguis in signum, in æ-  
dib⁹, in quibus eritis. Et videbo sangui-  
nē, & transibo vos, nec erit in vobis pla-  
ga disperdēs, quādo percussero terrā A-  
gypti. Quibus sane verbis, sanguinē illū,  
ipsis, in suā liberationis ab angelo percu-  
tienti (qui ea nocte, Aegypti primogeni-  
ta occisurus erat) signū datū fuisse, demō-  
strat. Vbicumq; enim angelus, in domo-  
rū postibus, hunc sanguinē cerneret, nul-  
la plaga illata pertranlibat, ceterū in A-  
gyptiorū ædibus, quarū postes, isto san-  
guine re ipsa cōspersos nō aspiceret, mi-  
rā tā in hominū, quā brutorū primoge-  
nitis internecionē exercebat. Grande p-  
fecto miraculū, ac ingens sanguinis hui⁹  
virtus fuit, si eorum miseria, q̄ ipso care-  
bāt, cū illorū foelicitate, qui illius bene-  
ficio seruati sunt, cōferatur. Verū, quid i-  
stud (quæso) nobis repræsentabat, nisi,  
quod veri illius agni (qui est Christus do-  
minus) sanguis, super postes domorum,  
noui populi, in suā ab angelo extermi-  
natoris liberationis signū, ac certitudinē  
illini retur? Hoc est, quicumq; veri illius  
agni Dei sanguine tincti, inuēti fuerint,  
nō morientur, sed vitam consequentur  
æternā. Oēs enim Aegypti, id est, mundi  
huius pueri, atq; bestia morientur, ac in  
perpetuū peribūt, ijs dumtaxat exceptis,  
qui vero Moyfi nostro Christo Iesu cre-  
dentes, preciosum agni Dei sanguinē in  
signū acceperint, ac se eo tinxerint. D. Io-  
ann. in Apoc. angelū Dei in caelo volā-  
tē; sed vidisse cōmemorat, qui alijs ange-  
lis, quibus datū erat nocere terræ, & ma-  
ri, ac arboribus, clamabat: Nolite nocere  
terræ, & mari, neq; arboribus, quousq; si-  
gnem⁹ seruos Dei nostri in frontib⁹ co-  
rū. Hic itaq; magnā, ad Christi verba rite  
intelligenda, claritatem lucemq; perspi-  
cio, cū ipse nouo populo suo iubet, ut  
in certum suā, à Diabolici Pharaonis, ac  
angeli exterminatoris captiuitate, libe-  
rationis signū, ipsius sanguinem, quo æ-  
des suas uningat, accipiat, Quemadmo-  
dum enim ea verba, quib⁹ Moyses vsus  
est; cum de agni immolatione, come-  
stione; ac sanguinis ipsius vsu, cœremō-  
nias institueret; literaliter, absque vllō  
sensu mystico, aut figurato, de vera, ac

reali agni illius comestione, ac de vera quoque, & reali domorum, per sanguinem illius, vñctione intelligenda erant: sic & Moyſi nostri verba, quæ ipse nouo populo suo locutus est, cum de veri agni Dei immolatione, & comestione, ac sanguinis eius potatione, caeremonias institueret, verè ac literaliter exponenda sũt. Et quemadmodum vetus ille populus simpliciter Moyſi suo credidit, atque obtemperauit, non querens excusationes aliquas, per comestionem, aut vñctionem spiritualem; ita & nouus populus secundo Moyſi suo simpliciter credere, ac obedire debet, accipiẽdo ab ipso, pro liberationis nostræ signo, sanguinem, quem ipse nobis præparauit. Nam quod Moyſes brutorum sanguine agebat, hoc **C H R I S T V S** proprio sanguine suo (inquit Paulus) executus est. Quocirca nemini dubitandum est, quin omnes illi, qui verè, ac realiter hoc sanguine aspersi atque insigniti non fuerint, exterminandi periturique sint. Hoc enim ipse **C H R I S T V S** populo suo clamitans, clarissima voce testatur: Amen dico vobis (inquit) nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Ecquid excusationis (querſo) prætexere possemus, quo minus Redemptori nostro credamus, clara voce comminanti, ac dicenti, nos vitam æternam nequaquam consecuturos, nisi eius sanguinem sumperimus, cum animaduertamus veterẽ illum Israelem Moyſi suo simpliciter credidisse, eos omnes qui typici illius agni sanguinem non sumerẽt, ab angelo exterminatore interimendos esse dicenti? Ecquid vero causã obtendere possemus, quo minus huiuscemodi verba literaliter acciperemus, quemadmodum populus ille, Moyſis sui verba literaliter intellexerit? **C H R I S T V S** enim legem non destruxit, sed adimpleuit. Vnde ipse sanguinem, pro sanguine nobis contulit, vt quemadmodum agni illius typici sanguis, in signum liberationis, illi populo datus fuerat, ita & ipsius sanguis, in nostrã liberationis signum, nobis exhiberetur. Omnino enim rationi consonum erat, quod si rerum coelestium figurã, atque

Heb. 9.

Ioh. 6.

Matt. 5.

Exod. 12.

2. Cor. 3.

exẽpla, in huiuscemodi gloria fuerint, vt sanguine sanctificarentur, vt illa ipsa res coelestes, multo nobiliori sanguine representata, in longe maiori gloria essent. Si tanti vitrum, quanti margaritũ? Vinum etenim terrestrẽ, neque tam sublimium rerum typus, neque sufficiens liberationis nostræ ab angelo exterminatore, signum potest esse. Quid enim (pei, quid fiducia de misericordia Dei, in vino, cuius occasione tot quoridie scelerã, flagitia, crimina perpetrantur, collocare possemus? Caterum veteri illius agni immaculati sanguis, quo viro, omnem illam, quam in nos coelestis pater conceperat, iram placuit, certum salutis nostræ signum, quotiescumque cum in spe xerimus, esse poterit; tãquam ũ Redemptionis nostræ precium ante oculos videremus. Non enim corruptibilibus auro, vel argento, sed precioso agni immaculati sanguine redempti sumus. Moyſi igitur nostro fidem habeamus, quia agni huius sanguis, & non viam, aut panis, certum nostræ salutis, ac ab Aegypto liberationis est signum. Rerum enim significatarum præclara nobilitas, vino, ac pane multo præstãtiora signa desiderat. Res enim significatæ sunt vita æterna, peccatorum remissio, nostrã diabolica captiuitate liberatio; quæ omnia nunquam satis apte vino, ac pane representari valerent. Quapropter certò credamus, non vinum, sed sanguinem, pro sanguine esse, qui nobis, pro signo, in sacramentis nostris paschalibus, reuera donatus est. Quemadmodum enim illud, quod de agno Mosaico scriptum est: Os non comminuetis ex eo, ad literam de Christi etiam corpore, reuera intelligitur, ita & quod de eius sanguine dictum est, realiter quoque de **C H R I S T I** sanguine intelligendum est. En quã magnum argumentum, ex hac institutionis sacramentorum nostri, (quæ in sanguine agni Dei dicata sunt) causa ducimus, quod à nobis superius dicta cõfirmat. Erit ergo vobis, O Israelitæ, secundum spiritum, sanguis **C H R I S T I** in signũ liberationis vestræ, ex Aegypto, ex captiuitate Pharaonis infernalis; nõ autẽ vinũ, diuinæ offensæ magnũ instrumentũ. Non .n. vino, sed precioso alio magno empti estis, quod est sanguis agni Dei immaculati.

Ex 60

*Ex eo, quod Christi sanguis, ad ipsius testamentum consignandum, nobis donatus sit, euident, quo Sacramentarium panis ac vinum rejiciatur, argumentum eruitur.*

## CAPVT CV.

**A**LIVS non mediocris, ad quem Christi sanguis destinatus est, vsus, nobis quoque, vt eius verba recte intelligamus, hoc est, vt ipsum de suo sanguine locutum esse sciamus, quã plurimũ conferre potest. Est autem ille sanguinis eius vsus, quod is ad testamentum ipsius obsignandum nobis donatus est. Nemo enim ignorat, vt testamentum alicuius auctoris sit, ab ipso testatore obsignari oportere. Vnde sapenũero varia testamentã cassari, ac inualida effici videmus, quod à testatore obsignata non fuerint. Nam in testatoris potestate est, quã testamentũ suo sanxerit, immutare, ac corrigere, prout lubuerit, donec illud obsignauerit. De huiuscemodi ergo testamentis, quæ à testatoribus signata nõ fuerint, dubie disputari potest, ac nõ raro disputari videmus. Sic autem Christus testamentum suũ instituire voluit, vt efficax atque validum esset, ac ideo illud, non vitulorum quidem, hircorum, aut taurorũ, sed proprio (vt inquit Paulus) sanguine suo obsignare voluit. Idque ideo, vt illud apud omnes ipsius hæredes, firmiter, ac maioris auctoritatis esset; & vt nemo dubitaret, quin ea, quam ipse testamento suo declarauerat, illius esset voluntas. Ceterum vt istud commodius intelligatur, animaduertendum est, quoniam illa sit papyrus, in qua testamẽtum istud exaratum est: Id autem clare satis Beatus Paulus his verbis nos edocet. Manifestati (inquit) quoniam epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viuũ, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus: En papyrus, in qua nouum istud testamentum descriptum est. Ea est (inquit Paulus) non tabula lapidea, sed carnea hominum corda, cuiusmodi Apostolorum corda fuerunt, in quibus primò per Moyſen, ac Redemptorem nostrum, spiritu Dei, in vltima coena: Deinde ipsorum ministerio in aliorum cre-

2. Cor. 3.

dentium cordibus, testamentum hoc scriptum fuit. Nunc igitur restat, vt quo testamentum istud sigillo obsignatum fuerit, intelligamus. Profecto, ad eò nobile, ad eò excellens testamentum; multo præstantius sigillum exigit, quã vllum aliud testamentum vnquam habere possit: Nam si (vt inquit Paulus) ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moyſi, propter gloriã vultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spirituserit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria: Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim id quod euacuatur in gloria est, multo magis quod manet erit in gloria. Hæc duorum testamentorum gloria (de qua Paulus hic loquitur) in eo (vt cetera taceam) potissimũ consistit, quod illorum mysteria tantæ claritatis, tantæque luminis essent, vt populi carnalis oculi, nullo pacto ea conspiciere valeant, nisi inter illa, & oculos nostros velum aliquod interponatur. Ceterum, in eo discrimen est, quod vnus arcana, alterius mysterijs multo præstantiora, multo ineffabiliora, multoque incomprehensibiliora sint, & quod vnus ministerium, altero longe nobilius existat: Vnde papyrus, in qua vetus scriptum est testamẽtum, tabulæ erant lapideæ, noui autem papyrus, carnea corda, fideliumque mentes sunt. Vetus atramento; nouum spiritu sancto scriptum est. Vetus hircorum, ac vitulorum sanguine obsignatum fuit: restat igitur vt nouum multo nobiliori, ac præstantiori sanguine consignetur, atque firmetur, vt sic eius mysterium sit gloriosus. Humano igitur sanguine, qui omnium animantium sanguine nobilior est; nec quolibet humano, sed ipsius Redemptoris, ipsius filij Dei sanguine, qui omnem alium humanum sua excellentia longe superat, consignatum fuit: Voluit igitur carneas cordium Apostolicorum tabulas proprio sanguine obsignare, vt ostenderet, se in ijs omnibus, in quibus sub veteri testamento, hircorum, ac vitulorum sanguis ministerium habebat, sanguine vti velle. Et quoniam papyrus, aut (si malueris) tabulæ, in

X 4 qui-

quibus ipse testamentum suum exarauerat, interius, ac in ipso homine erant; eas suo sanguine, neque realiter obfirmare, neque aspergere villo modo poterat, nisi illum sanguinem suum ipsis bibendum propinaret. Ceterum ne propter incredibilem sanguinis illius gloriam, ac maiestatem, Israel secundum spiritum praepediretur, quo minus ad illum posset accedere, sed vt cum absque timore, aut horrore villo sumere valeret; panis, ac vini species, quasi velum quoddam opposuit, quo corpus, ac sanguis eius obtegerentur. Alioqui nulla ratione fieri poterat, vt nouus eius populus ea, aut inueniri, aut suscipere posset. Ceterum, quia & testamentum istud, in aliorum hominum, (qui ex toto orbe, vt illius haeredes essent, vocandi erant) cordibus exarandum erat, huius rei ministerium, ac prouinciam Apostolis credidit atque commisit, eam potestatem illis conferens, qua vinum, in ipsius sanguinem mutare possent; vt sic in Christianorum cordibus, qui in futurum, ipsius testamentum suscipere erant, illud suo ipsius sanguine infunderent. Hanc igitur ratio est, cur tanti ministerij auctoritatem, penes Apostolos reliquerit; ac eam potestatem eis dederit, vt ex vino sanguinem suum conficerent, vt scilicet, in omnium eorum cordibus (qui ad finem vsque saeculorum) quotiescumque opus fuerit, testamentum illius, proprio ipsius sanguine obfirmarent. Nullum autem vnquam testamentum, vino, aut aqua, sed atramento dumtaxat, aut sanguine obfirmatum legimus. At qui ea sane familiaris est loquendi ratio, qua tunc maxime vt homines consueuerunt, cum pactum aliquod inter se inierunt, tunc enim vt immobilis animi sui in re promissa, constantiam ostendat, se pactum illud etiam proprio sanguine subfirmare, paratos esse dicunt. Hoc enim certissimum indicium est, esse, qui id facit, numquam ex parte sua pactum, aut conventionem semel initam, esse violaturum. Ita & nos, cum audimus, quod cum Redemptor noster nouum, cum hominibus fedus componeret, illud suo sanguine obfirmare voluerit, certissimam fiduciam concipimus, nunquam ex eius parte futurum, quin nobis fidelissime exhibiturus sit, quicquid in in-

undo federe promiserat, modo nos, ex parte nostra in sanctissimis eius legibus, atque praecipis sedulo exequendis, nobis non defuerimus. Si diuina prophana hic miscere liceret, ne phandam illam Catilinam coniurationem Romanam Reipublice pestem, in medium adducerem: in qua coniuratione facienda, crudelissimus ille latro, cum omnibus socijs suis, humanum cruorem (quoadmodum fide dignae referunt historiae) ore sacrilego hausit, bibit, absorbit. Cur hoc? Vt mutuam fidelitatem, imo perfidiam, magis corroborarent, & vt ne phandas iniuque illius pactio legis, nunquam se ad vltimam vsque sanguinis sui guttam infringere velle, cruento hoc symbolo profiterentur. Quod illis etiam accidit: Nam cum viri praestantissimi Caij Antonij virtute, superati essent, ad vnum omnes, in ipso certaminis loco, vbi victi fuerant, occubuerunt. Ita Christus, testamentum, ac pactum, quo cum suis non de vrbe Roma, vi armisque capiendum, sed de caelorum regno, humilitate, patientiaque rapiendo, conueniebat, firmum ac stabile esse volebat, vt sui, leges ipsius, in ea constitutas sic firmiter obseruaret, vt eam promissionem (quam ij illius, qui se ipsum, ad tantae gloriae consecutionem, pro duce offerebat, sanguinem bibendo fecerant) nullo vnquam periculi genere violarent, non magis quam ipse promissione sua, quam ipse suo sanguine obfirmauerat, eos defraudaret vellet. Certe Apostoli huius testamenti ipsius testatoris sanguine confirmati non immemores, ita fideliter illi adhaeserunt, vt vicissim pro ipsius nomine (quoadmodum & ipse pro eis antea fecerat) laeti sanguinem suum funderent, vt ita ipsius testamento filij Dei sanguine consignato, firmiter adhererent. Vnde & D. Cyprianus, cum Christianos, vt pro fide Christiana fortiter dimicarent, Tyrannorum persecutiones ac tormenta contemnerent, admonerat, corporis, & sanguinis CHRISTI, quae ij sumptuerant, mentionem illis frequentissime ingerebat: Muniatur os (inquit) Dominum suum, Christum viatrix lingua fateatur. Armemus & dextram gladio spirituali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, vt Eucharistiae memor, qui Domini corpus accepit, in ipso Dominum suum complectatur.

Plutarch.  
in vita  
Caes.

Cyprian.  
lib. 4. ep. 4.

plectatur, postmodum à Domino suo sumpturus praemium caelestium coronarum. Item sermones, de lapsis, eorum, qui tyrannicis, ac eorum tormentis viriliter resisterant, victoriam Christi sanguini adscribit. Religiosa vox (inquit) Christum locuta est, in quem se semel credidisse confessus est. Illustres manus, quae non nisi diuinis operibus assueuerant, sacrificijs sacrilegis resisterunt. Sanctificata ora caelestibus cibis, post corpus & sanguinem Domini, prophana cotagia, & Idolorum reliquias respuerunt: Ab impio, sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiua, caput vestrum liberum mansit: Frons signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronam Domini se reseruauit. En quanta fuerit signaturae huius, quae CHRISTI sanguine facta est, virtus, atque efficacia, quae sic Martyres de vita aeterna (quam CHRISTVS viriliter pro nomine suo certantibus promisit) securos reddebat, vt pro ipso presentem vitam funderent non dubitarent, certo sibi perinadentes, illam ab eo se recepturos. Quae omnia Maiores nostri diligenter secum cogitantes, nunquam noui testamenti signaturam, alia re, quam Christi Mediatoris nostri sanguine factam esse, sibi persuadere potuerunt. Vnde semper illius verba simpliciter, & ad literam, quemadmodum ipsa praefecerunt, intellexerunt.

Ex alio corporis, & sanguinis Christi usu, iusta auita fidei ratio facile intellegi potest.

## CAPVT CVI.

Inter alia, quae ipsimet aduersarij de hoc sacramento commemorant, illud, quod nobis sub ipso confertur, in arrham, & pignus nobis dari consentitur, vt ea, quae CHRISTVS nobis testamento suo promisit, certo intelligamus, nos esse consecuturos. Quamquam autem, ex aduersarijs plurimi, sacramentum istud, bonorum futurorum, ac nobis quidem promissorum arrham, ac pignus esse dicant, realem tamen corporis, & sanguinis Christi in eo praesentiam negant. Quod contra omnem certe rationem faciunt, ac per hoc sibi ipsi contradicunt.

Nam ex ipsius pignoris natura, & conditione, pro reali potius corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento praesentia quam ediuerso concludi potest. Pignus enim (quemadmodum Iurisconsultus Caius de verborum significatione. l. Plebs refert) dictum est; quia res, quae pignori dantur, manu traduntur: Finalis enim causa pignoris est, vt creditor, eius rei habenda certus, ac omnino securus sit, quae ei debetur, certoque promissa est. Creditorum enim appellatione (vt idem inquit Caius de verborum significatione) non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur, si cui ex empto, vel ex locato, vel ex alio contractu debetur. Christus autem coelum, ac vitam aeternam nobis debet, non quod pro eo aliquid, quod ei prodesset, aliquando fecerimus, vel mutuo ei aliquid dederimus, sed pacti, ac conuentionis inter nos & ipsum factae iure tantummodo id nobis debet. Hoc enim nobis, cum pactioem cum illo faceremus, pro certo donaturum sub certis tamen conditionibus, ille promisit. Ceterum, quia nos increduli admodum sumus, ac aliorum fidelitatem, iuxta nostram, quae saepenumero dubia, ac instabilis est, metimur, ita vt non raro de ipsius quoque Dei promissis dubitemus; interim dum hic adhuc sumus, futura ab eo bona nobis promissa expectantes, in certissimum suae erga nos fidelitatis testimonium, futurae, quam nobis pollicitus est, gloriae pignus nobis dare voluit. Sed quoniam ad maiorem accipientis securitatem pignus dari solet, inter ipsum, & rem debitam, atque promissam, valoris proportio aliqua sit, necesse est. Alioqui nulla certitudo, nulla in eo securitas esset. Nam si ille, qui debet centum aureos, vnum, aut alterum tantummodo teruncium, pro pignore dederit, quam creditori suo securitatem conferet? Nullam plane. Ita igitur & hic: Cum Deus ex pacto nobiscum inuito coelum, ac vitam aeternam nobis debeat, si pro tantae promissionis pignore, vini haustum, aut panis buccellam tantummodo nobis contulisset, quid de illis obtinendis, securitatis, quid spei haberemus? Quid inter vini cyphum, aut panis buccellam, & inter regnum caelorum, ac vitam aeternam, proportionis est? Adhuc,

hæc, id quod pro pignore confertur, ei, qui confert, proprium esse debet; at panis, & vinum, res toti mundo communes sunt: Nisi igitur præciosam rem quampiam, ac plane cælo dignam, pro pignore habeamus, nihilo, quam antea, de diuina promissione obtinenda certiores esse poterimus. Vnde Maiores nostri semper crediderunt, Christum, cum ipse nouum fœdus, ac testamentum nobiscum pangeret, suum sanguinem pro pignore, ad firmam suæ promissionis obtinendam securitatem, nobis contulisse. Qui quidem sanguis aded præciosus est, vt pro omnibus hominibus à captiuitate diabolica, sub qua miseri detinebantur, redimendis, imò & pro cælorum regno eis comparando abunde suffecerit. Tanti enim Deus pater præciosum sanguinem illum æstimat, vt is semel ei oblatum, nem ipsius iram pacauerit, ac eius iustitiæ, pro Adæ offensa, omnino satisfecerit. Hic igitur sanguis pro regni cœlestis obtinendi pignore, ac securitate, admodum idoneus est, ita vt si Deus pater illud nobis dare nollit, quamdiu præciosum hoc pignus nobiscum habemus, illud ab eo iterum emere possimus. Cæterum, Diuus Paulus nullum amplius ambigendi locum, quin Deus pater, noui pacti sui leges, atque conditiones firmiter obseruaturus sit, relictum esse, pro certo nobis asseruat, cum proprium filium suum nobis obsidem reliquerit. Cui magni Reges, aut Principes, pacta inter se ferunt, ne conuentionum articuli facile infringantur, charissimos quosque filios suos in obsides dare consueverunt. Quod si filiorum imagines, aut figuras tantum in obsides darent, quid inde securitatis inter confœderatos haberetur? Proinde qui Deum patrem nobis filij sui imagines, atque figuras tantum in obsides dedisset, Christumque nihil aliud nisi corporis, & sanguinis sui signa, & typos pro eo, quod ipse nobis debet, pignore reliquisset contendunt, omni nos assequendam promissionis securitate priuare conantur. Maiores autem nostri, qui Deum patrem, eam filio suo potestatem dedisset, vt nunc simul & in cælo ad dextram eius, & hic inferius nobiscum in sacramento altaris possit esse credebant, minime dubitabant, Dei filium à patre pro nostræ cum ipso reconciliationis, ac cõ-

uentionis securitate nobis esse donatum, qui cum præciosum proprii cordis sui sanguinem pro pignore nobis contulerit; quis iam dubitandi locus nobis relictus est, quin reliqua etiam, quæ nobis ille promissit, certissime præstiturus sit? Nam qui (vt inquit Paulus) etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Ac si manifestius diceret, nihil omnino nobis esse dubitandum, quin omnia nobis promissa consequemur, cum iam filium teneamus. Qui ergo signa, & figuras tantum in hoc sacramento nobis exhiberi, & nilominus in futuram gloriam pignus ea nobis conferri dicunt, hi profecto, quidnam asserant, nesciunt. Neque enim ista, cum tam exigui sint momenti, satis digna sunt, vt tantorum bonorum, nobis in nouo testamento promissorum pignora sint. Quocirca sane Maiores nostri Christum nobis verum corpus, & sanguinem suum in promissionum suarum pignus reliquisset, merito crediderunt. Proinde illius verba signis ac figuris, quæ veritatem adumbrare possunt, representare non possunt, iure prætermisissis, literaliter exponenda iudicauerunt.

*Aliud argumentum, pro Maiorum nostrorum fide confirmanda, ex alio sine, ob quem istud sacramentum, Christus cum suum conderet testamentum, institutum voluit, sumi potest.*

## CAPVT CVII.

**S**I pressius cõsideremus, cur sacramentum istud, præ omnibus alijs, tum potissime institutum fuerit, cum iam sub mortis suæ horam, Christus testamentum suum conderet; non absq; magna, & graui causa factum intelligemus, vt Maiores nostri institutionis eius verba absque figuris exposuerint. Nam cum quis testamentum facit, præciosum aliquod singularibus amicis, quos præ cæteris diligit, munusculum, in fidissimum sui erga eos amoris testimonium elargiri solet. Vnde iuxta amoris magnitudinem, donum quoque magnum, & excellens, cum testatori diuitiæ suppetunt, esse consuevit. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis. Neque enim charitati sat vnquam

quam fuerit, quod intus dilectione ardeat, nisi etiam foras boni operis radios fundat. Vnde Poeta quidam canebat, Quis enim celauerit ignem? Lumine qui semper proditur ipse suo. Quibus sane verbis, nihil aliud, quam perfectæ charitatis naturam, quæ externo aliquo semper indicio seipsam prodit, igitur collatione, Poeta declarare voluit. Cæterum, vt istud ad præsens institutum accommodemus, Christus dilectam sponsam suam Ecclesiam, ardentius, quam aut vnquam dici, aut cogitari possit, diligebat. Vnde D. Paulus viros, vt vxores suas diligerent, adhortaturus aiebat, Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Vnde cum Christus testamentum suum conderet, nunquam prædilectam sponsam suam Ecclesiam sic obliuioni dare potuit, quin illi singulare, ac præclarum aliquod munus in suæ erga eam ardentissimæ charitatis monumentum testamento suo legaret: Porro neque panis, neque vinum, neque vlla veteris testamenti signa, aut figura, ad tanti amoris magnitudinem digne exprimendam vlllo modo sufficerent. Aliquid ergo exhibendum erat, quod magni apud ipsum ponderis esset, quodque efficaciter, ac veluti ad viuum ingentem illum erga sponsam suam amoris ardorem declarare posset. Ad id autem efficiendum, nihil præcioso illo sanguine, qui pro ipsa effusus est, accommodatius erat, vt à mortis periculo, in quo ipsa constituta erat, liberaretur, & vt à dæmonis captiuitate, in qua misere prius detinebatur, in pristinam libertatem restitueretur. Vnde & cum in aliquem, amoris nostri magnitudinem declarare volumus, hoc locutionis genere vtimur dicentes: Tanto opere illum diligo, vt si possem, etiam proprii cordis mei sanguinem pro ipso effunderem. C H R I S T V S igitur, cum dilectæ sponsæ suæ Ecclesiam, in sui erga eam amoris testimonium, sanguinem suum relinquere posset, illum testamento suo ei delegare, ac tantisper dum in hoc exilio peregrina fuisset, eiusque visibili præsentia caruerit, relinquere voluit, quo sic nimirum de suo in ipsam amore certissima esset, quotiescumque ipsius sanguinem biberet: Id autem est, quod eius verba significa-

bant, cum ipsa nocte, in qua ipse testamentum suum condens, ac calicem sanguine suo plenum offerens, ei dicebat, Hic potus, nouum testamentum est, id est nouum donum, in meo sanguine. Quod tantundem est, ac si dixisset, Potus iste, quem in meo sanguine confeci, nouum donum est, quod testamento meo; testamento vtique æterno, & nunquam sine habituro, in perpetuam mei memoriã, ac in illius meæ erga te charitatis, quæ pro te propriam vitam meam in mortem posui, qua te proprio sanguine meo redemi, qua te dilectione quadam perpetua in sponsam meam elegi, testimonium tibi lego. Idem proinde est, ac si diceret, En amica mea, purissimum cordis mei sanguinem tibi exhibeo, vt illum in mei amorem, ac vicissim in meam memoriã, ac in illius meæ erga te amoris memoriã bibas. Eum tibi absque vlllo mortis periculo exhibere possum, cum iam futurus sim immortalis: quare nihil profus tibi inde metuendum fuerit, ne quid propterea mali mihi inferas. Quod si homines tantum efficere possent, ipsi quoque amicis suis, in sui erga eos amoris memoriã, proprium sanguinem libenter subinde donarēt. Quocirca tibi non videatur absurdum, si ego, qui id possum, faciam, vt te de meo erga te perpetuo amore cõfirmem. Sanguis enim iste pro certo, atque infallibili argumento tibi erit, quod te & nunc, & in perpetuum perfectissime diligam. Nunc quidem in propria forma me non vides, at quotiescumque sanguinem meum videris, certo tibi persuadere poteris, me tui memorem semper ita fore, vt nulla vnquam tui mihi obrepere possit obliuio. Quemadmodum igitur Christus nimio in sponsam amore flagrans, pro ea sanguinem suum fudit, eique, in perpetuam sui memoriã reliquit; ita vicissim sponsa, hoc sanguine accensa, vt reciprocum, in dilectum suum, amorem declararet, semper pro eius nomine sanguinem quoque suum profunderet conata est. Quod in martyribus abunde satis liquet, qui cum in hoc angustissimo sacramento Christi sanguinem recepissent, forti atque alacri animo mortem oppetebant, vt sic amoris, ac fidei suæ in Christum, coram omnibus testimonium redderent. Tam cudit enim Christi in nos amoris signaculo accepto, nulla ratio-

la ratione dubitabant, quin certissime, quicquid ipse eis promississet, acciperet. O nouum igitur donum, omnibus seculis inauditum. Ipse Dei omnipotentis filius, in perpetuum, atque certissimum incredibilis cuiusdam erga Ecclesiam amoris signum, ac testimonium, proprii cordis sui sanguinem ei testamento legat. O preciosum munus. O immensum ac ineffabile donum. Quis vnquam aliquid huiusmodi audiuit? Quis tale vnquam amoris testimonium vidit? Magni profecto, O Domine Deus, in Hierusalem, excessum perpetrasti, Excessu dico amoris, atque charitatis. Maiorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sic igitur Christus seipsum totum pro singulari amica sua, Ecclesia impedit, seipsum totum ci tribuit, & ut in suo amore ipsam penitus consumaret, omnia veri amoris signa, etiam ad totius vsque sanguinis sui effusionem ostendit. Ipse igitur illi sponsus sanguinis factus est, vnde & ipsa cum vxore Moyse, illi dicere potest, Sponsus sanguinum tu mihi es. Eam ob rem mater Ecclesia preciosum hoc donarium, quod in sui memoriam ei sponsus reliquit, summo semper cum honore habet, et conseruauit, ac etiamnum conseruat, ita ut nihil charius, nihil preciosius, nihil maiori honore dignum se a sponso suo, in hac miseriarum valle accepisse existimet. Vnde illud semper a Christi testamento condito, in summa veneratione, & habuit, & habet: Hinc quotidie filios suos, ut sanguinem illum venerentur, & adorent, hortatur, ac monet. Eius vocem bene profecto audierunt Maiores nostri, qui nihil hoc sanguine preciosius, nihil tanta veneratione dignum arbitrabantur. Et nos proinde, si legitimi eius filij esse volumus, attente patris nostri coelestis testamentum legamus, auscultemus, quid matri nostrae Ecclesiae, ac nobis filijs eius, in sui memoriam testetur ac leget. Quid vero? Nunquid panem tantum modo, ac vinum in huiusmodi amoris testimonium relinquit? Minime vero. Res enim huiusmodi tam opulenta, atque magnifico testatore omnino indigna sunt, neque tanto amoris, ob quem representandum, hoc testamentum instituitur, pares sunt: Res adeo vilis tam amoris respondere non potest. Neque tam

maiestatis dominum tam exigua decem munera. Valeant igitur isti tropista, panis ac vini largitores, & quotquot Christum non nisi signa, & figuras, in amoris sui memoriam nobis reliquisse contendunt. Quid enim noui huiusmodi rebus, nobis exhiberet? Quid Ecclesiae suae donaret, quod antea non haberet? Imo vero, quid amplius illi tribueret, quod antea Synagoga Moscaica non praestitisset? Quod si hac nihil amplius accepit, cur ad Maiorem gratiarum actionem quotidie inuitatur? Concludamus igitur verum, ac genuinum Christi sanguinem esse, quem ipse testamento suo, Ecclesiae suae delegabat, cum diceret, Hic potus, nouum testamentum est in meo sanguine.

*Quod sacramentum istud in mortis Christi memoriam institutum, aduersarij errorum plane respuat, ac alia adhuc pro Maiorum fide argumenta suppeditet.*

## CAPVT CVIII.

Omnis sapiens qui propter finem aliquem, quicquam operatur, ipsa quoque media, quibus ad eum peruenire possit, statim excogitat: Finis enim media, quibus ad ipsum perueniatur, requirit: At Christus augustissimum istud sacramentum nostrum instituit, ut mortis suae memoriam in nobis excitaret, quemadmodum B. Paulus discrete testatur, dicens: *1. Cor. 11.* Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciate donec veniat. Hic vnus inter alios, eorum finis est, ob quem sacramentum istud institutum est: Restat igitur, ut inter ipsum, & inter illud, quod per ipsum significatur, ac representatur, analogia quaedam reperiat. Certum est autem, quod inter mortem, & panem ac vinum (quae ad viuos, & non mortuos spectant) nulla sit proportio, nulla similitudo, non plus quam inter manducare, bibere, ac mori. Manducare enim ac bibere, actiones sunt viuorum, non mortuorum: Si igitur in hoc sacramento, nihil nisi panem, & vinum manducauerimus, ac biberimus, nihil in eo fuerit, quod eam vim, ac proprietatem habeat, ut mortis memoriam, in nobis excitet: Quocirca nullo modo existimandum est, adeo prudentem virum,

virum, qualis Christus erat, (qui omnia in ordine, mensura, & pondere disposuit) huiusmodi memoriam in rebus tam parum mortem significantibus, ac eius memoriam in nobis tam tenuiter excitantibus, sed in alijs potius, longe ad id efficiendum potentioribus rebus instituisse. Quid autem ad id praestandum, illius corpore, quod pro nobis mortem subiit efficacius? quid Christi sanguine, qui pro nobis effusus est, accommodatius? Quis enim vsque adeo tenuis memoria est, qui eius, quem pro se mortuum nouit, corpus manducans, & sanguinem bibens, mortis illius non recordetur? Christi igitur corpus, & sanguis, illud ipsum (inquam) corpus, quod pro nobis in mortem traditum est, ille ipse sanguis, qui pro nobis, in ara crucis effusus est, illa (inquam) ipsa sunt, quae in instituit, nobisque commendauit, ut mortis suae memoriam in nobis efficaciter excitaret, quemadmodum illius verba perspicue ostendunt: Alioqui signa a Moyse in ipsius mortis memoriam instituta, longe ipsae quam ipsemet Christus instituit, accommodatiora fuisse dicenda sunt: Nam quotidiana illa hircorum, vitulorum, agnorum, bouum, aliorumque animalium sacrificia, ac eorum sanguis, qui quotidie fundebatur, longe efficacius Christi passionem, ac mortem, quam sacramenta nostra representassent, si haec absque carne aut sanguine villo fierent, quemadmodum aduersarij somniant, acutissimi nimirum homines, qui tantam inter panis, & vini signa, & Christi corpus, & sanguinem; quantam inter caelum, & terram, distantiam ponunt. Hinc igitur facile intelligitur, quemadmodum isti memoriam hanc, quae tamen sacramenti huius non minimus finis est, non solum minuere, sed etiam e medio auferre conantur. Quam obrem Maiores nostri, hac ratione commoti; Christum pro illo agno Moscaico, ac illius sanguine, seipsum carnem pro carne, sanguinem pro sanguine, substituisse, nobisque dedisse, non abs re crediderunt: His enim Christi mortem multo clarius, atque commodius, quam illis Moscaicis figuris ac signis representari facile intelligebant. Et sane ut aliquid, quod magis proprie, quam illa veteris legis signa, mor-

tem suam representaret, nobis exhiberet; nihil suo ipsius corpore, quod pro nobis mortuum est, ac suo ipsius sanguine, qui pro nobis effusus est, accommodatius excogitare potuisset. Vnde etiam cum sacramentum istud instituens dixisset, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, antequam diceret, Hoc facite in meam commemorationem, haec verba praemisit: Quod pro vobis tradetur, ad suum corpus: Qui pro vobis effundetur, ad sanguinem referens, quasi diceret, fieri non potest, quin hoc sacramentum suscipiendo, mortis meae memoria vobis in mentem veniat: Nam corpus meum, quod pro vobis in mortem tradetur, & illum ipsum sanguinem, qui pro vobis fundetur, vobis offero. Atqui hoc est, in quo proprie, mortis, ac passionis CHRISTI memoria consistit, & non in pane, aut vino, quemadmodum magnus ille pontifex Leo sermone 7. de passione Domini praclare testatur, Oportebat in quibus, ut manifestato implerentur effectu, quae diu fuerant figurato promissa mysterio; ut omnem significatiuam, omnis vera remoueret: & ut vno expleretur sacrificio, variarum differentiarum victimarum: Nam omnia illa quae de immolatione agni diuinitus per Moysen fuerant praestituta; CHRISTVM prophetarant; & Christi occisionem proprie nunciabant. Ut ergo umbram cederent corpori, & cessarent imagines sub praesentia veritatis, antiqua obseruata, nouo tollitur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur, impletur. Vnde cum Scribae & Seniores populi ad impietatis concilium Pontifices congregant, omniumque animos sacerdotum cura admittendi in Iesum sceleris occupasset, ipsi se Doctores legis, lege priuarunt, & spontaneo defectu ritus sibi patrios abstulerunt. At Iesus consilij sui certus, & in opere paternae dispositionis intrepidus, vetus testamentum consummabat, & nouum pascha condebat. Discumbentibus enim secum discipulis, ad edendam mysticam coenam, cum in Caypha atrio tractaretur, quo Christus posset occidi, ille corporis, & sanguinis sui ordinans sacramentum, docebat, qualis Deo hostia deberet offerri: Hucusque

Y Leo;

Leo sermo  
7. de pass.  
domini.

Leo, qui manifestè satis, Christum pro  
 òne significatiua veram omnem, id est, ve-  
 rum corpus suum, quod oue illa signi-  
 ficabatur, nobis dedisse edocet. Quod  
 itaque sacramentum istud in mortis Do-  
 minicæ memoriæ institutum sit, cer-  
 tissimum argumentum est, verum Chri-  
 sti corpus, ac verum ipsius sanguinem  
 in eo realiter existere. His enim nihil  
 magis idoneum, nihilque accommo-  
 datius ad ipsum representandum, mor-  
 tisque eius memoriæ refricandam, ad-  
 hiberi potest. Vnde satis equidem ad-  
 uersariorum temeritatem demirari ne-  
 queo, qui carnis, & sanguinis CHR I-  
 STI loco, nihil aliud nisi panem, & vi-  
 num, quasi ea Christi mortem haud ob-  
 scure significant, nobis datum esse con-  
 tendunt. Cæterum audiamus, quàm præ-  
 claro sophismate suam huiuscemodi  
 sententiam, imò insaniam adumbrare  
 conentur. Si corpus Christi, re ipsa (in-  
 quiunt) in nostro sacramento præsens  
 esset, illa præsentia, ipsius memoriæ  
 præpediret: nam memoria (vt ipsi aiunt)  
 proprie rerum absentium est. O præcla-  
 rum argumentum, O acumen omni pi-  
 stillo retusius, cui ex abundantia duobus  
 modis respondemus. Primo panis, ac vi-  
 ni species, in corporis, & sanguinis Do-  
 minici signum ibi propositas esse, vt rea-  
 lem horum præsentiam nobis signifi-  
 ficent. Quæ sane significatio satis pro-  
 pria est, eo quod humanum corpus pa-  
 ne nutritur, vt crescat. Corpus enim  
 Christi, quod cum ipse nasceretur, exi-  
 guum erat ac paruulum, panis & vini in  
 ipsum conuersione tandem magnum  
 euasit, & ad iustæ magnitudinis incre-  
 menta peruenit. Deinde quoniam cor-  
 pus illud, & sanguis, in cibum, & potum  
 dabatur, recte per panem & vinum re-  
 præsentantur. Sed quia neque panis, ne-  
 que vinum vt CHR I S T I mortem re-  
 præsentarent, aptitudinem vllam habe-  
 bant, ideo officium istud, reali corporis,  
 ac sanguinis ipsius præsentia referuati  
 est. Cum igitur realis horum præsentia  
 in suæ mortis, (quæ iam transijt ac om-  
 nino absens est) memoriæ nobis con-  
 cessa sit, etiamsi hoc axioma, memoria  
 tantum absentium rerum est, aduersarij  
 concedamus, eorum tamen argu-  
 mentum nihil concludere, perspicuum

est, propterea quod Christi mors, in cuius  
 memoriæ, hoc sacramentum insti-  
 tutum est, ab eo plane remota est. Verù  
 absit vt illud axioma verum esse conce-  
 dam, maxime cum ad alicuius rei me-  
 moriam refricandam, nihil magis appo-  
 situm sit, quàm realis ipsius præsentia:  
 Vnde vulgò dicimus, Tui nūquam me-  
 mini, nisi cum te video. Cum quis in cu-  
 ria, litem agit, nulla ratione efficacius  
 sui recordationē iudici ingerere potest,  
 quam vt sapius coram illo compareat.  
 Nam cum obiecta (vt dici solet) moue-  
 ant potentias, nihil efficacius memoriæ  
 excitare potest, quàm ipsius rei præsen-  
 tia. Tum enim tanquam è viciniori, a  
 sensibus exterioribus ad memoriæ de-  
 fertur, ac peruenit. Ita dicimus, quibus-  
 dam sui oblivionem obrepere, tametsi  
 nihil sit cuiquā seipso præsentius. Hinc  
 illud Augustini: Hac animaduersione  
 plectitur peccator, vt moriens obliui-  
 scatur sui, qui dum viueret, oblitus est  
 Dei. Cæterum quid opus est, in re, quæ  
 nulla scripturæ auctoritate nititur, reser-  
 uanda laborare, maxime cum iuxta di-  
 sputationis nostræ leges, nihil ab istis re-  
 cipere debeamus, nisi quod scripturæ te-  
 stimonio comprobantur? Imò verò quid  
 de hoc eorum argumento dicam, quod  
 non modo scripturæ auctoritati non in-  
 nititur, sed illi potius ex diametro repu-  
 gnat, estque contrarium? Scriptura si-  
 quidem refert, quemadmodum, vt per-  
 petua manna (quo Deus filios Israël  
 in deserto pauerat) memoria habere-  
 tur; seruus Domini Moyses, bonam  
 quandam illius partem in vasculo vno,  
 ac in ipsa Domini arca conseruari iussit.  
 Quæ profecto realis mannae præsen-  
 tia, tantum abest, vt ipsius memoriæ  
 tolleret, vt eam potius refricaret. De-  
 inde cum Deū oramus, vt nostri memi-  
 nerit, an illi absentes esse nos credimus?  
 Minime verò. Quis ergo non videat, quā  
 elumbe sit huiuscemodi argumentum,  
 quod & scripturæ, & manifestæ rati-  
 oni omnino contrarium est? Vnde sa-  
 tis equidem demirari nequeo, quem-  
 admodum isti præclari magistri, qui ni-  
 hil aliud, nisi scripturam sacram quoti-  
 die concrepant, è sophistarum libris,  
 tam futile argumētū conquirere digna-  
 ti sunt. Cæterum vt ad rem redeam, ex his  
 satis

fatisiam liquet, quemadmodum realis  
 Domini corporis, & sanguinis, in hoc  
 sacramento præsentia, non modo ip-  
 sius, aut passionis aut mortis memori-  
 am non impediatur, verumeriam magis  
 prouocet, excitet, ingerat. Proinde Ma-  
 iores nostri Christo se discipulis suum  
 corpus edendum, sanguinemque biben-  
 dum, in mortis suæ memoriæ dare di-  
 centi, meritò crediderunt.

*Aduersarij hæc Domini verba ab Aposto-  
 lo scripta (Hic calix nouum testamentum est  
 in meo sanguine) licet suo more torqueant,  
 tamen vt ijs Christum aliud quàm su-  
 um sanguinem significasse demon-  
 strant, efficere nullo  
 modo possunt.*

## CAPVT CIX.

EX innumeris pene verborum Chri-  
 sti circumstantijs ostendimus, ipsum  
 non nisi de vero, ac naturali sanguine  
 suo locutum, eiusque verba absque vl-  
 lis omnino tropis, aut figuris exponen-  
 da esse. In hoc autem capite longe aliter  
 agemus. Nam etsi aduersarij demus,  
 CHR I S T I verba superius exposita  
 metaphoricè, aut alio quolibet modo  
 figuratè exponenda esse, nihil tamen ab  
 illis horum verborum loco adferri pos-  
 se, de quo ea predicata, seu epitheta illa,  
 quæ CHR I S T V S, ei rei, quæ in calice  
 erat, attribuit, verè & affirmatiue enun-  
 ciari valeant. Fingamus enim verbi cau-  
 sa, ea Christi verba sic accipienda esse,  
 quemadmodum illi exponenda esse cō-  
 tendunt, Hic calix (inquit) est nouum  
 testamentum) verbum (est) ita expo-  
 nant suo more, ac si dictum esset, Signifi-  
 cat, aut si maluerint, huiuscemodi præ-  
 dicationem, causalem, atque metapho-  
 ricam esse contendant. Num igitur cer-  
 tum inde sensum aliquè elicere poter-  
 rint? Minime verò. Nam siue calicem  
 hic ipsius poculi, siue ipsius vini substā-  
 tiam demonstrare dicant, istæ exponen-  
 tes, (Substantia huius poculi, aut, sub-  
 stantia vini, significat nouum testamen-  
 tum, vel est ipsius confirmatio & sigil-  
 lum,) veræ esse non poterunt: Nam  
 ex ijs, quæ superius diximus, verum san-  
 guinem omnino necessarium fuisse, vt

nouum testamentum dedicaretur, con-  
 firmaretur, signaretur, ac representare-  
 tur, perspicuum est. Neque enim istud,  
 magis quàm verus, absque sanguine ef-  
 se dici potest, nisi forte à Christo non  
 omnes figuras, quæ de ipso erant, imple-  
 tas esse dicamus, eumque morientem,  
 omnia quæ de ipso erant, completa, &  
 consummata esse, clamantem, argui  
 posse mendacij. Quid post resurrectio-  
 nem? Nonne omnia, quæ de ipso in  
 lege, Psalmis, & Prophetis scripta erant,  
 impleri debuissent apertissime pronun-  
 ciavit? Omnia proinde per proprium  
 sanguinem suum, & non per vinum, pa-  
 nem, signa, aut figuras adimpleuit. Hinc  
 itaque vini substantia manifestè rejicitur,  
 propterea quod vinum neque no-  
 uum testamentum, neque nouum ipsius  
 donum, signum, aut figura dici potest.  
 Ita namque terrestria, rerum coelestium  
 confirmationes esse non possunt. Hæ si-  
 quidem melioribus hostijs, quam sint  
 earum signa, & figuræ, mundari, dedi-  
 cari que debent. Quod Apostolus per-  
 spicue ostendit, qui cum veteris testa-  
 menti institutione, dedicatione, sigilla-  
 tione, deque populi, ac libri asperione,  
 quæ omnia in vitulorum, ac hircorum  
 sanguine fiebant, multa verba fecisset,  
 sic tandem concludit: Necessè est ergo  
 (inquit) exemplaria quidem coelestium  
 his mundari, ipsa autem coelestia meli-  
 oribus hostijs, quàm istis: Sole autem  
 meridiano clarius est, panem & vinum  
 nequaquam meliores hostias esse, quàm  
 hircorum atque vitulorum, quibus ve-  
 tustestamentum mundabatur, ac con-  
 secrabatur, sanguis olim fuit. Proinde  
 concludo, meliores huiuscemodi ho-  
 stias, de quibus loquitur Paulus, non a-  
 liud esse posse, quàm id quod CHR I-  
 S T V S esse dicebat, cum eas corpus, &  
 sanguinem suum diceret. Hæc enim  
 sola idonea sunt, vt tam magnifici  
 testamenti pignus, signum, sigillum,  
 confirmatio, stabilimentum, dedica-  
 tio existant; non autem panis, aut vi-  
 num, quæ pro illis aduersarij nobis co-  
 nantur obtrudere. Verum si sapimus,  
 eos nequaquam audiemus, sed ijs re-  
 iectis, & explosis, nos DE I testamen-  
 to firmiter innitentes, ab illo id quod  
 in certam futuræ hereditatis expectatio-



nem instituit, nobisque concessit, lati  
à lacresque non sine gratiarum actione  
capiemus.

*A* Eternitatis epithetum testamento nostro  
adnexum, valde solidum, atque efficax est  
pro Maiorum nostrorum fide,  
argumentum.

## CAPVT CX.

**T**AM multa passim in scripturis de  
Christi testamento referuntur, vt si  
singula prosequi velimus, ipsa potius ar-  
gumentorum, quæ hinc inde pro fide  
nostra stabilienda erui possunt, multitu-  
dine facilius obrui, quam ea singula cõ-  
memorare possimus. Sed quoniam ad  
extremum festinat oratio, multa de in-  
dustria præterimus. Nobis enim propo-  
situm est, articulum fidei Maiorum no-  
strorũ verbo Dei maxime consentaneum,  
atque conformem, compendio ex-  
ponere. Proinde breuitati studentes,  
duo tantum, reliquis in extremam hu-  
ius libri partem reiectis, modò tractabi-  
mus. Hæc itaque vox ( æternum ) qua  
post Prophetas, & Apostolos vniuersalis  
Ecclesia, Christi testamentum con-  
grue honorat, firmum, ac validum ar-  
gumentum, quod pro fide Maiorum cõ-  
cludat, nobis suppeditat, Scriptum est  
enim, CHRISTI testamentum, firmũ,  
stabile, æternum, futurum esse. Vnde  
Diuus Paulus eius sanguinem, æterni te-  
stamenti sanguinem vocat: Quibus ver-  
bis significatur, Christi testamentum,  
nunquam interruptum, aut exci-  
dendum fore. Quamquam enim fieri  
possit, vt Christi hæredes, ipsius præce-  
pta, legesque sanctissimas præuaricen-  
tur ac negligant, nunquam tamen effi-  
ciet Christianorum improbitas, vt Chri-  
sti testamentum retractetur, aut abolea-  
tur. Improbis quidem ac scelestis graui-  
sima supplicia comminatur Deus, tamẽ  
neque misericordiam suam ablaturum,  
neque testamentum suum retractatu-  
rum esse, Deus ipse promisit atque iura-  
uit, quemadmodum habes cum mul-  
tis in diuine scripturæ locis, tum in Psal-  
mo octogesimo octauo, in quo Prophe-  
ta Deum patrem cum Messia, hoc mo-  
doloquentem inducit:

*Verſu. 29 In æternum seruabo illi misericordiam me-*

*am, & testamentum meum fidele ipſi.*

*Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & Verſu.*

*thronum eius sicut dies cæli.*

*Si autem reliquerint filij eius legem meam, 31.*

*& in iudicijs meis non ambulauerint.*

*Si iustitias meas prophanauerint, & m̄a. 32.*

*data mea non custodierint.*

*Visitabo in virga iniquitates eorum, & in 33.*

*verberibus peccata eorum.*

*Misericordiam autem meam non disper- 34.*

*gam ab eo, neq. nocebo in veritate mea.*

*Neq. prophanabo testamentum meum, & 35.*

*quæ procedunt de labijs meis non faciam ir-*

*rita.*

*Semel iuravi in sancto meo, si David men- 36.*

*tiar, semen eius in æternum manebit.*

*Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, 37.*

*& sicut Luna perfecta in æternum, & testis*

*in cælo fidelis.*

In Psalm. quoque 132. prope idem di-  
citur. Ex quo manifestum est, nouum  
testamentum in eo quoque veteri ante-  
ponendum, quod sit æternum. Duo au-  
tem potissimum, Messia filijs, quæ futu-  
ra essent æterna, Deus pollicebatur, Mi-  
sericordiam nimirum, ac veritatem. Vnde  
David canebat; Quoniam dixisti, in  
æternum misericordia ædificabitur in  
cælis præparabitur veritas tua in eis. No-  
mine autem cælorum, quemadmodum  
& per regnum cælorum sæpenumero  
in sacris literis, sicuti hoc loco, præfens  
Ecclesia designatur. Alioqui misericor-  
diam & veritatem in cælis ædificari si-  
perfluum videretur, cum ea nunquam  
inde pedem extulerint. Hæc proinde  
promissio non nisi ad militantem Ec-  
clesiam, vtpote cui æterna misericordia  
promittitur, quæ per sacramenta, ipsius  
filijs & exhibetur, & communicatur,  
proprie pertinet. Veritas quoque fidei,  
qua error excluditur, quæ & nulli alteri  
ad finem vsque sæculi permanens, nisi  
vni Ecclesie promissa est. Catholica  
autem, id est, vniuersalis Ecclesia verum  
Christi corpus, ac sanguinẽ, verẽ, ac rea-  
liter in augustissimo sacramento nostro  
fuisse, semper ita credidit, vt eos qui  
contrarium docere præfumerent: tan-  
quam hæreticos toto terrarum orbe dā-  
nauerit. Quid? Nõne ipsa Gene-  
uenſis? Nõne Bernensis, ac Saxonice  
Ecclesie ( quæ nunc recto fidei itine-  
re deserto ) in varijs erroribus tan-  
quam in luto volutantur, nõne ( in-  
quam )

quam) patrũ memoria, idem quod  
nos sentimus & credimus, de hoc Eu-  
charistie sacramento vnanimis sentie-  
bant? Nõne idem docebant? Nõne  
sacramentarium detestabantur insa-  
niam? Quid? quod ab Ecclesie nascen-  
tis exordio, vsque ad Berengarij tempo-  
ra, nemo tam improbus, nemo tam au-  
dax imo stultus fuit, vt in augustissimo  
sacramento, nihil aliud nisi figuras &  
signa fuisse publice prædicaret? Exor-  
tus est igitur primus ille leuis & incon-  
sistens Berengarius, qui cornicum, vt di-  
citur, oculos confingeret, sed is tandem  
veritate victus, palinodiam cecinit, mē-  
daciumque damnauit. Ex quo manife-  
stum est, aut CHRISTI testamentum  
æternum non fuisse, aut Ecclesie, quæ  
verum Christi corpus, & sanguinem;  
non autem eorum signa, aut figuras, in  
Eucharistia sibi à Domino datum esse  
credit & prædicat, fidem rectam verbo-  
que DEI consentaneam esse. Iamque  
non vt aduersarij calumniantur, errare,  
sed sponsi sui testamentum fideliter ob-  
seruare. Quocirca omnino necesse est,  
vt vna, aut altera pars, dictum testamen-  
tum infringat, ac violat, Nam si Chri-  
stus instituit vt ipsius corpus, & sanguis  
recipiantur, ac ipsorum signa, & figura  
tantum susciperentur à nobis, ipsius  
perfecto testamento nullatenus ser-  
uaretur. Contra si solas figuras & signa  
sumenda constituit, ij qui longe am-  
plius, quam nuda signa, aut figuras se  
recipere crediderunt, illius sui quoque  
testamenti violatores fuerint, necesse  
est. Quid igitur aduersarij, qui Domi-  
ni mandatis, vt iuxta illorum perfidiam  
dixerim, nunquam nisi paucissimis ab  
hinc annis obtemperauerunt, nõne  
testamentum CHRISTI violasse iu-  
re dicuntur? Eos certe nulla templa in  
quibus iuxta Religionis suæ ritum con-  
ueniant, habere conspiciamus, nisi forte  
ea, quæ nobis vi ablata, suis sacrilegijs  
polluerunt: Ex quo intelligitur Chri-  
sti testamentum, si ita, vt isti somniant,  
obseruandum est, multis annis, imò sæ-  
culis non fuisse seruatum, maxime  
cum ipsi quoque, quemadmodum &  
nos, & Maiores nostri, iam pridem il-  
lud obseruauerint: Quare suam Reli-  
gionem, aut Ecclesiam æternam esse,

docere nullo modo possunt. Hinc igitur  
nec ipsius quidem CHRISTI te-  
stamentum si secundum nouellæ hu-  
ius Religionis ceremonias obseruan-  
dum est, æternum esse perspicuum  
est. Verum nemo qui scripturas sacras  
vel à limine salutauerit, illud æternum  
fuisse dubitabit. Igitur non secundum  
vllam Religionis cuiusquam nouita-  
tem, illud obseruandum est: Hoc au-  
tem argumentum tale est, vt contra au-  
itæ fidei nostre aduersarios necessario  
concludat. Illi siquidem nullo ad hu-  
iuscemodi æternitatem, respectu habi-  
to, huius testamenti veritatem, atque  
obseruantiam annis circiter mille, ad  
illud scilicet vsque tempus, quo ipsi se  
à nobis segregarunt, intermissam, ac pe-  
nitus desertam fuisse impudenter cla-  
mare non dubitant. Nos autem absque  
vlla immutatione, ei quod hæcenus  
diuturnum, continuum, ac omnino im-  
mobile esse conspeximus, adherere, in  
eaque fide, quam à Maioribus accepimus,  
perseuerare decreuimus, Proinde  
vt Dominici testamenti hæredes qui  
sunt, intelligi possit, ex hac æternitatis  
voce, generalem hanc Regulam colligo.  
Omnis Ecclesia ab alijs discrepans,  
atque dissentiens, omnis item secta, o-  
mnis lex, de qua verè dici queat, à nouo  
testamento condito fuisse tempus, cum  
illa non esset, aut quæ aliquando esse  
desierit, ad CHRISTI testamentum  
pertinere non potest. Cum igitur post  
Christi passionem antequam Berengarij  
secta exoriretur, mille annorum, aut  
circiter spatia transierint, & cum ea post-  
quam Christianum orbem aliquantulum  
inquietaisset, statim euanuerit, ac esse  
desierit, cumque rursus exorta nihil aliud  
calamitosissimis hisce temporibus  
nostris agat, quam vt cristas aliquantulum  
erigere conetur, nec id, tora ei ob-  
sistente CHRISTI ecclesia, efficere  
possit; cam sane, æternum, atque per-  
petuum istud CHRISTI testamen-  
tum nullo modo esse posse concludo:  
Quocirca satis equidem intelligere ne-  
quico, quemadmodum ij, qui æternita-  
tem hanc, fidei Catholice anuexam esse  
nouerant, credere potuerint, nouel-  
los huiuscemodi Doctores ad Dei Eccle-  
siam pertinere. Pulchre autem hæc ratio à  
Y 3 Lan-

Lanfranco Cantuariensi Episcopo, in libro suo contra Berengarium tractatur his verbis. Omnes (inquit) qui Christianos se & esse, & dici latentur, veram Christi carnem, verumque eius sanguinem, vtraque sumpta de virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur: Interroga vniuersos, qui Latinae linguae nostrorum literarum notitiam perceperunt. Interroga Gracos, Armenios, sen cuiuslibet nationis quoscumque Christianos homines, vno ore hanc fidem se testabuntur habere. Porro si vniuersalis Ecclesiae fides falsa existit, aut nunquam fuit Catholica Ecclesia, aut perijt. Nihil namque efficacius ad interitum animarum, quam perniciosus error. Sed non fuisse, aut perijisse Ecclesiam, Catholicus nemo confenserit. Alioqui non est verum, quod

*Psalm. 2.*

Abraham veritas promissit, dicens. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item in Psalmo. Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Item. Reminiscetur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terrae. Et alibi: Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos, a solis ortu, & occasu, ab aequilone, & mari. Et Dominus in Evangelio: Ager est hic mundus. Et paulo post. Simile est regnum caelorum sagine missae in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Et ad discipulos: Ite in orbem vniuersum, praedicate Evangelium vniuersae creaturae: Aduersus tam clara ipsius Domini, & sancti spiritus de Ecclesia, & de statu Ecclesiae testimonia, obijcis tu, & obijciunt, qui a te decepti, alios decipere moluntur. Itaque dicitis. Praedicatum est Evangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, creuit, fructificauit, sed imperitia male intelligentium, postea errauit, & perijt: In nobis solis, & in ijs, qui nos sequuntur, sancta in terris Ecclesia permansit. Hanc sacrilegam vanitatem euertit euangelica veritas, & prophetarum, atque sanctorum patrum non violanda auctoritas. Vnde Ecclesiae suae sanctae, in Evangelio suo Dominus pollicetur dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Quod minime diceret, si Ecclesiam suam ante consummationem saeculi perituram esse praenosceret. Hucusque Lanfrancus.

*Mat. 28.*

Vides quemadmodum egregius iste Doctor, hac aeternitate, CHRISTI Ecclesiae, ac nouo ipsius testamento promissa vtatur, vt nouellum Berengarii errorem, nequaquam pro fide Christiana recipiendum esse demonstraret? Omnis igitur cuiuscumque Religionis nouitas, hoc vno aeternitatis, quae nostrae tantum nouo testamento competit, nomine exploditur. Proinde non hac nouitia Religio, quae nullis adhuc patrum vestigijs rita, est amplectenda, sed vetus illa, quae tot clarissimis ac sanctissimis viris abundauit, retinenda est. Hanc itaque veluti tutissimum salutis portum firmiter retineamus, illam vero tanquam certissimum animarum naufragium sedulo fugiamus.

*Hec noui testamenti quam modo ostendimus, aeternitas, perpetuae sacerdotalis successionis intelligentiam nobis adfert, & de sacerdotali auctoritate.*

### CAPVT CXI.

**C**VM CHRISTI testamentum aeternum sit, vt iam ostendimus, ita vt ad finem usque saeculi, donec ipse Christus veniat, (quemadmodum beatus Paulus docet) mansura sit, consequens est, vt quicquid requiritur, quo illud perpetuum efficiatur, ipsum quoque perpetuum sit. Igitur cum ipse Christus testamentum suo instituerit, vt in mortis suae memoriam, ipsius corpus ad finem usque saeculi manducaretur, ac eius sanguis biberetur, ministrorum quoque eius, qui corpus illud, ac sanguinem consecrarent, ordo atque successio perpetua sit, & ad finem usque saeculi perseveret, necesse est. Proinde C H R I S T V S his verbis, (Hoc facite in meam commemorationem) Apostolis auctoritatem ac potestatem sui corporis & sanguinis consecrandi, dicimus contulisse. Immo ijs verbis omnem illis ad faciendum, quod ipse tum praecipiebat, necessariam auctoritatem impertijt. Hic igitur quamnam, & ipse praecipiat, & vt gerantur executione mandentur, necessaria sint, diligenter nobis considerandum est. Porro vt haec materia a nobis discutatur exactius, ante omnia ostendemus, quantam C H R I S T V S huiusmodi verbis potestatem

testatem Apostolis contulit, idque ratione demonstratiua, seu syllogismo necessarium concludente monstrabimus. Vnum itaque ex principijs Theologicis est, credere Deum esse sapientissimum, atque prudentissimum. Vnde quisquis scripturam sacram recte exponere voluerit, magnopere cauere debet, ne eam explicando, aliquid quod ad diuinam sapientiam, quam vt intelligere possemus, scriptura sacra nobis a sancto spiritu data est, vituperationem ac prauidicium cedere possit, dicat, aut doceat: Nemo igitur prudens, ac verè sapiens aliquid ad certum aliquem finem vnquam destinaturus est, quin mox etiam de omnibus medijs ad eum finem necessarijs, prouideat. Item nemo sapiens cuiquam mortalium aliquid praecipit, quod ei omnino impossibile, ac naturae suae facultate excedere nouerit, quin simul atque id fecerit, ei quoque potentiam ac vires, quibus id exequi valeat, subministret. Qui enim homini cuiquam, alas non suppeditando, volare praeciperet, aut claudo, ipsius pedes non sanando, mandaret, vt curreret, imprudenter faceret. Vnde huiusmodi praecipitum omnino futile, vanum, imo ridiculum esset. Cum igitur Christus sit sapientia Dei patris, in quo omnes scientiae, & sapientiae Dei thesauri sunt absconditi, neque cogitari neque dici potest, eum Apostolis aliquid, quod illorum vires ac facultatem superaret, aliquando mandasse, quin ipsam quoque exequendi facultate continud suggereret, ac praerberet. Vnde propositiones has, tanquam vniuersaliter veras colligimus. Deum nihil vnquam vlli creaturae praecipisse, quin mox quoque vires, ac facultate (si tamen haec deerant) quibus praecipitum suum exequi posset, suppeditauerit. Ad haec nihil vnquam ad certum finem a Deo destinatum, quin sapientissime de omnibus, ad huiusmodi finem consequendum, medijs prouiderit. Haec propositiones per necessariam consequentiam ex hoc primo principio tanquam ex fonte manant & profuunt. Deus est sapientissimus, & prudentissimus, infinita scilicet sapientiae, & prudentiae. Vnde quisquis aliquid dixerit, quo Deum aut minus prudentem, aut non satis sapientem esse, vilo modo consequi posset; is & iniquus esset, atque

impius, & scripturae sacrae veritatem violaret, maiestatemque iniureret. Quisquis igitur dixerit, Christum Apostolis in coena praecipisse, vt facerent, quod ipse fecisset, ac nihilominus illis, id faciendi potestatem, atque auctoritatem non contulisse, is & iniquus & impius est, & in diuinam sapientiam maiestatem impie latrat. Item. Quisquis dixerit, Christum sic testamentum suum instituisse, vt sit perpetuum, ac Missae celebratione, corporisque, ac sanguinis sui communionem sic disposuisse, vt ad finem usque saeculi continuetur, ac ipsum solis nihilominus Apostolis suis illud offerendi, ac consecrandi, & non illorum quoque successores auctoritatem dedisse, is contra infinitam Christi sapientiam, atque prudentiam manifeste blasphematur. Quare eius error atque blasphemia tanquam abominabilis, ac omnino detestabilis, ab omnibus exhibenda est. Quare concludo ea Christi verba quibus praecipit Apostolis, vt facerent, quod ipse in coena iam fecerat, per necessariam consequentiam inferre, Apostolis potestatem, vt tantumdem facerent, quantum & ille fecerat, concessam esse diuinitus. Item ipse finis, ob quem illa instituebat, ac mandata huiusmodi Apostolis dabat, (nempe vt in finem usque saeculi, eius memoria celebraretur) satis arguit, huiusmodi potestatem non modo pro seipsis, verum etiam pro omnibus eorum successoribus sibi donatam fuisse. At nemo sane mortalium est, qui (si ratione vtatur, ac in Deum credat) conclusiones has mihi negare audeat, quin in Deum blasphemus existat. Haec siquidem tam necessaria, ac naturali connexione Christi verbis innexa sunt, vt si vera sunt illa, haec falsa esse non possint. Nota proinde diligenter (candide Lector) hanc artem quam in explicando Dei verbo tenemus ac sequimur, tum vt de prauis, ac sanis eius interpretationibus recte iudicare, tum etiam vt quam solidum, ac stabile fundamentum collocauerimus, vt Maiorum nostrorum fidem, super purissimum DEI verbum, ac super purissimum, veracissimumque eius sensum (quem aduersarij nostri, nunquam attigere) statuamus, aedificemus. construamus, intelligere possis. Sed ad propositum reuertamur. Ex ijs igitur quae haecenus in hoc libro diximus,

mus, ex ipso Dei verbo, Christum discipulis suis, verum corpus, & sanguinem suum sub specie panis, ac vini distribuisse; perspicuum est. Certissimum quoque est, supra omnē tam cœlestis, quam humanæ creaturæ facultatem esse, panem in Domini corpus, & vinum in sanguinem eius posse mutare. Illud quoque certum est. Christum his verbis (Hoc facite in meam commemorationem) Apostolis suis, in mandatis dedisse, ut circa panem & vinum, ac circa corpus illius & sanguinem facerent, quicquid ipse suis, paulo ante benedictionibus, gratiarum actionibus, ac precibus fecerat: Nec illud obscurum est, Apostolos nunquā antea, imō nec postea ex seipsis, ut hoc facerent, potestatem ullam habuisse. Igitur ex primis illis scripturæ principijs, quæ supra posuimus, manifeste sequitur, quod simul atque Christus mandata huiusmodi illis daret, panem quoque, & vinum, in suum corpus, & sanguinem consecrandi potestatem contulerit. Alioqui ipsius mandatum omnino inutile, vanum, nullius virtutis, aut roboris extitisset. Quod nō modò falsum, verum etiam blasphemum atque impium est. Perspicuum est igitur mandatoria Christi verba, recte intellecta militare pro nobis, qui talem ab ipso, Apostolis potestatem dicimus esse concessam. Ad hæc, cum Christus illa fieri iusserit, donec ipse veniat, cumque æternum testamentum nobis reliquerit; consequens est, ipsum eandem potestatem Apostolorum suorum successoribus communicasse, alioqui ipsius quoque institutio vana, ac nullius efficacitæ fuisset. Duo sūt igitur, notatu dignissima, quæ in cœna Christus operatus est. Primo corpus, & sanguinem suum consecrauit, ac obtulit. Secundo, potestatem Apostolis suis, ut idem facerent, contulit. Itaque cum illis diceret (Hoc facite, quod ego feci) duplicem ipsis potestatem conferebat, vnam ut corpus suum consecrarent; alteram ut huiusmodi auctoritatem, alijs, quos idoneos iudicarent; communicarent, ac delegarent. Hoc est, potestatem eis dabit, ut quod illi à Christo in mandatis acceperant, ac facere iussi erāt hoc alijs delegarent, faciendumq; committerent. Illi proinde testamenti ipsius executores erant cum plenitudine po-

testatis, alios substituendi, ac illis auctoritatem subdelegandi, ut illud exequerentur. Erant enim Commissarij cum tali potestate, ut Commissionem suam alijs, quibus expedire iudicarent, cum plenitudine potestatis delegare possent, idq; sub ea conditione, ut ipsorū Commissarij, alios quoq; in locum suum delegandi potestatem haberent, ut sic nimirum per cōtinuam ministrorum successionem, potestas exequendi testamentum, ac legem suam; perpetuò in ecclesia, quemadmodum necessitas postulabat, ad finē vsque sæculi permaneret. Illa siquidem Christi voluntas erat, illud expressum apertumque mandatum, ut donec ad iudicium veniat, in Ecclesia sua semper id fieret, quod in cœna semel ipse fecisset. Hoc igitur solidissimum, ac immobile sacerdotalis auctoritatis est fundamentum, supra firmissimum Dei verbum tāta mole fundatum, fremant licet aduersarij, ut hoc stante, illud cadere non possit. Quod à nobis adeò clare, ac simpliciter expositum, digitoque monstratum est, ut id fundamento verbi Dei nixum, nemo non facillime videat. Nulla sunt hic ambages, nec inuolucra verborum, quibus aduersarij mendacium celare cōfueverunt. Vnde nonnullos nostræ ætatis homines, non illiteratos, in tantum cæcitatē ac dementiæ incidisse, sæpe miratus sum, ut & sentirent & dicerent, nonstri sæculi sacerdotum auctoritatem ex Dei verbo probari docerique non posse, sed Apostolos tantum huiusmodi auctoritatem habuisse, non eos qui ijs in perpetua Ecclesiæ administratione succederent. Quum sane opinionem, non modo falsam, verum etiam magnopere perniciosam, ac Dei verbo plane cōtrariam esse dico, imō huiusmodi homines in Dei sapientiam aperte blasphema re pronuncio. Cū enim Christum Dei sapientiam, tale opus instituisse dicant, cuius executio ad finem sæculi continuanda sit, nec cuiquam tamen eius executionis auctoritatem cōmiserit, nisi duodecim Apostolis, qui vix triginta, aut quadraginta annis post ipsius mortem victuri erant, nōne quasi ea in Christo non satis prudenter egisset, aperte in illum blasphemare iure dicuntur? An non ex huiusmodi adseritione consequens est, ipsum non perpetuum, sed tēpora-

poraneum dumtaxat testamentum condidisse? An non hinc ipsius Ecclesiam non perpetuò, sed ad paucissimos tantum, post ipsius mortem, annos duraturam fuisse consequitur? An non hinc tale opus instituisse videretur, quod nō ad consummationem vsque sæculi, sed ad triginta, aut quadraginta solum annos, post ipsius mortem exerceretur? Nam mortuis Apostolis, certum est, eorum potestatem non habuisse, ut consecrandi corpus Dominicum, auctoritatē alijs delegarent: Vnde eam igitur alijs habuissent? Quomodo eos qui eam habuissent, ab alijs dignoscere potuissimus? Nisi forte sacerdotes cum ea dignitate nascuntur. Sed scriptura pronunciat, neminem huiusmodi honorem sibi assumere, nisi qui à Deo, ut Aaron, legitime vocatus fuerit.

Hib. 5.

*Ex ijs Christi verbis non quemlibet Christianum, esse sacerdotem ostenditur.*

## CAPVT CXII.

UT recte intelligamus, quinam Christi corpus consecrandi habeant potestatem, diligenter animaduertendum est, quibus hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, dicta sint. Nō est autē dubium, quin ea tantum duodecim Apostolis dicta sint. Quanquam enim alijs fere semper, lōge plures tam viros quam mulieres secum habere cōfueverat; attamen cū cœnam celebrare vellet, neminem præter duodecim Apostolos secum discumbere passus est. Non enim Martham, nō Magdalenam, non singularem amicum suum Lazarū, non ipsam denique matrem suam, ad istam cœnam admisit. Vnde & Euangelistæ non nisi duodecim Apostolorum mentionem faciunt. Sic enim Mattheus refert: Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus; & parauerunt pascha. Vespere autem factō (inquit) venit cum duodecim. Lucas autem: Et cum facta esset hora (inquit) discubuit, & duodecim Apostoli cum eo: Ex quibus liquet, non nisi duodecim Apostolorum, eos mentionem facere. Vnde & omnia cœnæ verba ad eos fere duodecim, aut ad ipso-

Mat. 25.

Marc. 14.

Luc. 22.

rum saltem aliquem diriguntur, ijs tantummodo exceptis, quæ Christus in oratione sua ad patrem habuisse memoratur. Quæ cum ita sint, in illa cœna, cū Christus hoc sacramentum instituit, nō toti mundo, nec omnibus Christianis, sed illis tantummodo duodecim loquebatur. Illi enim erant, quibus ipse dicebat, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. Illis solis dictum est, Hoc facite in meam commemorationem: Illi soli audierunt, Accipite, & bibite ex eo omnes. Nec alijs Christianorum vilius inueniri vsquam poterit, cui simile aliquid vnquam dixerit: Ne quis igitur existimaret, quemlibet, super Christi corpus, ac eius sanguinem, potestatem habere, eo in loco, ac eo tempore, cū nouæ legis sacerdotes, ac ministros institueret, illos tantummodo duodecim presentes adesse voluit. Si enim charissima ipsius mater præsens tum ad fuisset, dicere forsitan nonnulli voluissent, ipsam non minus, quam illi duodecim sacerdotem fuisse, Idcirco eam adesse noluit. Quod autem aduersarij ex epistola Petri garriunt, omnes generatim Christianos Regale sacerdotium dici, ut ita omnes fideles indiscriminatim, verè sacerdotes esse demonstrant. Respondeo etiam, illos omnes ab eo reges dici. Eodem igitur modo eos sacerdotes esse, quo & Reges, fatendum est: Num igitur omnes fideles propter illa Apostoli verba in hoc sæculo regnant. Quis tam fatuus, ut hoc dicat? quis tam insanus, ut credat? Quare nec alio modo aduersarij, eos sacerdotes, quam quo Reges dicuntur, appellare deberent. Ita fit, ut non frustra D. Paulus dicat, neminem huiusmodi honorē, officium, dignitatem sibi assumere, nisi qui à Deo, quemadmodum Aaron, legitime vocatus fuerit. Vnde nec ipsemet Christus, hoc officium sibi vindicare voluit, nisi prius & à Deo patre vocaretur, & ab eo celebre quoddam, vocationis suæ testimonium haberet. Quæ cum ita sint, quisquis grauiissimum illud Core Datham, & Abyron, illiusque nefariæ factionis exemplum memoria tenet, cū omnes esse Domini sacerdotes, non facile crediturum existimo, quod officium ambire, etiam si non sequatur effectus, magno cum discrimine periculoq; coniunctum est. Illam enim perditam factionem,

Hib. 5.

onem,

onem, quæ aduersus Aaron supercilium sustulit, viuos terra sorbuit. Vbi hoc etiam diligenter animaduerte, vniuersum illum Iudæorum populum, non secus, atque nos, Regale sacerdotium dici. Nō tamen eorum quilibet, sacrificia offerēdi potestatem habebat, sed ij dumtaxat, qui ad huiuscemodi onus, ac dignitatem à Deo vocati ac legitime electi erant. Iste profecto eorum error, quo fidelium quemlibet, sacerdotem esse contendūt, ad eō puerilis est, adeoq; nullis, aut rationibus, aut scripturæ sacræ auctoritatibus innititur, vt nec refellendus esse videatur.

*Perpetua successio, per Apostolorum delegationem, (qua alios ad hanc dignitatem recipiant) facta, certum veræ Ecclesiæ, veræque fidei argumentum est.*

## CAPVT CXIII.

Quoniam Dominici testamenti exccutores, sicut & in vniuersum cæteri homines, mortales erant, & quotiam noui huius testamenti ministerium ad finem vsque sæculi continuari ac perpetuum esse debebat, necesse fuit, vt ante, quàm Apostoli morerentur, officium ac auctoritatem suam alijs resignarent, ea illis potestate concessa, vt & ipsi quoque eam, alijs rursum delegare, ac resignare possent, quo sic videlicet, ministerium illud, de generatione, in generationem, ad consummationem vsque sæculorum perpetuaretur. Quemadmodū igitur penes Christum, ea potestas, atque auctoritas erat, vt Apostolos suos, sacerdotes crearet, quemadmodum fecit, cū diceret, Hoc facite in meam commemorationem; ita & ipsi eam potestatem contulit, vt quos vellent, sacerdotes instituerent. Alioqui idem faciendi, quod ipsi eum in sua ipsorum præsentia facere vidissent, ad quod tamen faciendum ipse expressum illis mandatum dabat, auctoritatem non habuissent. Ita officium suum Apostolis resignabat, committebat, delegabat, eis præcipiens, vt & alijs similiter ipsi quoque illud committeret, ac delegarent, vt sic per ipsorum ministerium vniuersus terrarum orbis, corpori ac sanguini suo, sine quorum perceptione, vitam æternam consequi non

pōterat communicaret. Cum igitur hæc institutio, tanti ponderis esset, vt ex ea hominum vita morsque penderent, magno opere necessarium erat, vt quinam, per Apostolorum resignationem, huiuscemodi auctoritatem recepissent, recte intelligeretur. Alioqui æque pro sacerdote is, qui hanc non percepisset, atque is, qui eam consequutus fuisset, reciperetur. Vnde magnus in Ecclesia Christi abusus, & confusio non rarò suboritur. Adde quod & seductoribus, hæreticis, schismaticis, alijsque huius generis hominum pestibus, magna, qua scetas, atque schismata sua, in Ecclesiam intruderent, ianua pateret, nisi veri Apostolorum successores, à falsis, & fictis possent certa ratione discerni. Ac propterea sacramentum illud, quod per Apostolicarum manuum impositionem celebrabatur, adhibitis quibusdam alijs externis, ac visibilibus signis, quæ super eos, qui ad sacrum hunc ordinem vocabantur, exercebant, verum signum erat, quo ipsi ab alijs dignoscerentur. Vnde illi tantum, super quos solemniter huiuscemodi manuum impositio per Apostolos, aut per eorum successores seu vicinos, seu remotos legitime celebrata fuisset, pro veris sacerdotibus semper habiti sunt. Quam sane successionem sub nouo testamento in Ecclesia Dei nunquam interrompendam, perpetuò continuari necesse fuit. Alioqui Christi testamentū temporale fuisset, nō æternum, & eius Ecclesia non vt ad finem vsque sæculi, sed vt ad certū, ac breue aliquod tempus persisteret, edificata fuisset, ac sic priusquam ipse ad extremum illum iudicij diem veniret, eius constitutio, lex, dispositio periret. Idcirco neque pro vera CHRISTI Ecclesia, neque pro legitimis noui testamenti ministris vquam agnoscendi sunt vlli, nisi tantum ij, qui legitimam successionem suam ab Apostolis, aut eorum successoribus emanasse comprobare possunt. Quotquot igitur à seipsis ordinari ministros, ac huiuscemodi officium ita vindicare conspiciamus, vt ab aliquo Apostolorū successore, legitima ordinatione, illud non acceperint, certissimum indicium est, eos neque veros Dei ministros, neque vlla faciendi, quod Christus in cœna fecit, potestate præditos esse. Hæc autē vna ratio,

ratio tam efficax est, vt nulli eorum ministrorum, qui Geneuensem, aut Saxoniam Synagogam hodie regunt, soluere vilo modo possint. Nam (vt quod verū est ingenue dicamus) nulla vnquam ratione, à quo huiuscemodi auctoritatem, atq; ministeriatu officium acceperint, neque quis mandatum ipsis dederit, vt faciant, quod Christus in cœna fecit, ostendere poterunt. Proinde nihil aliud agūt, quam vt incautos mædaciō fallente decipiant, maxime cum non plus auctoritatis habeant, quam simplex quisque rusticus, aut arator indoctus. Vnde vehementer sane demoror, quemadmodum ij, qui probe nouerant, quemadmodum illi seipsos ministros creauerint, nec tales eos aliquando fuisse cōspexerint; scientes etiam, neminem ipsis huiuscemodi officium delegasse, sed illud sibi temere vendicasse, fati (inquam) demirari nequeō, quemadmodum ij, qui hæc nouerant, huiuscemodi homines, vel DEI ministros esse, vel potestatem vllam faciendi quod Christus in cœna fecerat, sibi persuadere possunt, præsertim cum nullum vocationis suæ, neque diuinum, neque humanum, neque ex verbo Dei, neque aliunde, testimonium adferant. Illos sane, qui ad credendum vsque adeo leues sunt, vt ab huiuscemodi hominibus sibi tam facile patiatur imponi, coram Deo excusari nullo modo posse iudico. Cæterum Melanchtō, in locis suis communibus probe animaduertens, neque præceptorē suum Lutherum, neque vllum ex symmisticis suis, aliquod vocationis suæ testimonium adferre posse, simulque recte intelligens, scripturam sacram huiuscemodi vocationem, in Dei ministris ante omnia exigere; hoc Dei verbū, de necessitate vocationis ministrorum, suo verè cōmento palliare conatus est, dicens, hoc Dei verbum, non nisi tum demum vim habere, cum neque Ecclesia, neque Euangelij cursus interruptus fuerit; tum vnusquisque, aut ij saltē, quibus id munus ab ea iniunctum est, seipsos ad illud officium, ac seipsos sacerdotes, & ministros constituere poterūt. Verum hæc eius responsio, quid est aliud, quàm merum cōmētum, quod ipse verbo Dei, præter vllam aut scripturæ sacræ, aut veterum patrum auctoritatem, imo

cōtra ipsam scripturam adiecit? Falsissime enim, pro cōmēto huius fundamento præsupponit, CHRISTI Ecclesiam, ac noui testamenti cursum, multo tēpore, ante Lutheri aduentū, interruptū, ac intermissum fuisse. Quod ex diámetro scripturæ contrariū est, quæ Euangelium, nouum testamentū, Christi; Ecclesia, perpetua esse, ac omnibus inferorum portis, omnibus tyrannis, omnibus hæreticis, omnibus demonibus istorū magistris, ac cōductoribus nihil obstantibus; ad finē vsq; sæculi per continuas generationes, atq; successiones, duratura esse pronunciat. Quo fit, vt tam per Prophetas, quàm Euangelistas Christi regnum æternū esse dicatur. Vnde hæc Melanchtonis euasio, non minus impia est, quàm error ille, ad quē defendendum, excogitata est. Nec alij defuerunt, qui hanc Dei ministris auctoritatem, à plebe tribui dicerent. Cæterum luce meridiana clarius est, plebem huiuscemodi auctoritatem nō habere, quare cū nemo dare possit, id quod non habet, eam à populo dari nō posse, perspicuum est. Ad hæc cū nouelli isti ministri doctrinam suam reluctanti mūdo obtrudere inciperent, liquet eos tū, neque plebem, neque Ecclesias vllas habuisse: Verbi gratia, cū Martinus Lutherus à veteri Ecclesia se in initio separaret, quam (quæso) plebem, quam Ecclesiam habebat, quæ huiuscemodi auctoritatem, quæ, ipse sibi vendicauit, tribueret? Nōne aliquam veteris illius Ecclesiæ plebē seducere debuit, priusquam vllius Ecclesiæ formam haberet? Præterea cū Calvinus se à Lutheranis, vt nouam seorsū sibi sectam erigeret, segregauit, quis populus? quæ plebs eam, quam sibi vendicabat, auctoritatem dederat? Nōne priusquam populus vllus eum sequeretur, auctoritatem hanc sibi ipsi vsurpauerat? Ita plane: Nam tum demum, vbi ministeriū hoc sibi vsurpasset; populū, qui eum sequeretur, querere, atq; allicere cœpit. Agant proinde quicquid velint, & ne quales ipsi sint, agnoscantur, depingant se quibuscumque coloribus possint; omnibus interim Christianis notissimū est, eos non nisi fures, lupos, ac latrones esse, quippe qui nō per ostium, sed aliunde in ouile Dominicum intrauerint, nec vocati sint vt Aaron, sed sese impudenter ad id munus ingesserint, vt Abiron. Ita nullum,

nullum, qui eos Dei ministros procreauerit, parentem habent. Nondum enim ipsorum quemquam inuenire potui, qui sufficientem vocationis suae rationem reddere mihi potuerit, quamquam omnem ad hoc illi lapidem moueant. Hoc enim ab aduersarijs petimus, hoc contendimus, ut nobis aliquae exhibeant & ostendant, qui ab altero praedecessore suo, faciendi quod Christus in coena fecit, auctoritatem acceperit. Necessarium est, ut illud, Hoc facite, eis ab aliquo, qui ab alio Apostolorum successore prius idem audierit, dictum sit. Quae cum illi dare non possint, quis illorum imposturam fraudemque non videat? Quis non intelligat eos, nulla aut consecrati, aut suis administrandi corporis CHRISTI auctoritate, nulla potestate praeditos esse? Sed Ecclesiam Christianam nouique testamenti cursum interruptum fuisse contendunt. Quis tantae auctoritati repugnare audeat? Immo si viri sunt, pedem coferant, probentque verum esse, quod dicunt. Sed interim bene habet, quod illi Ecclesiae, imo factionis suae cursum aliquando interruptum fuisse coferantur. Vnde etiam tacentibus nobis aliud Christi Ecclesiam, aliud eorum factionem esse perspicuum est. Quae cum ita sint, cum illorum Synagoga, Christi non sit Ecclesia, cuius nisi Antichristi sit, illi viderint. Christi siquidem Ecclesia, quemadmodum superius ostendimus, aeterna est, nec ullam vnquam interruptionis sensit iniuriam. Hinc itaque irrefragabile quoddam argumentum, sese offerre video, quo certissime probare possumus, omnia illa conuenticula, quae ortum habent, & occasum, & quae perpetua non sunt, ad Christi Ecclesiam minime pertinere. Quocirca Maiores nostri merito omnia huiusmodi conuenticula, tanquam adulterinas Ecclesias, ac Sathanae conciliabula, semper detestati sunt, ac sibi fugienda duxerunt. Catholica autem Ecclesia legitimam huiusmodi successionem, & semper retinuit, & adhuc retinet, & cum Apostolorum successores, consecrandi corporis, ac sanguinis Christi potestatem, de generatione, in generationem ijs, quod ad id muneris vocabant, resignarent: Verum quoque verborum, Domini testamenti sensum eis declarabant, eandem nempe ipsis verborum illorum interpretationem inculcantes, quae illis ip-

simet Apostoli ante tradiderant: Ita factum est, ut Maiores nostri neque ijs vnquam adherere voluerint, qui sensum alium iam dictis Christi verbis dare voluissent, quam praedicti successores tradiderant: neque vllis, qui non accepta a praefatis Apostolorum successoribus auctoritate, impudenter sese ingererent, ut Christi corpus consecrare attentarent, recte intelligentes, eos nihil huiusmodi potestatis habere. Ego certe nullam, qua huiusmodi homines, non esse legitimos Dei ministros intelligi possit, clariorem hac vnica rationem inuenio. Haec igitur verba, Hoc facite in meam commemorationem, recte intellecta, solidissimum fidei nostrae, qua consecrandi, & offerendi corporis, & sanguinis Christi auctoritatem sacerdotibus, atque Episcopis, ab ipso Christo collatam esse credimus, fundamentum est. Longe plura, quae ad rectam horum Christi verborum intelligentiam pertinent hic adferre possemus, sed ea in tertium librum consulto reicienda iudicamus. Ibi enim opportunius multis scripturae locis comprobare decreuimus, Christum eam sacerdotibus auctoritatem contulisse, ut corpus, & sanguinem suum, verum sacrificium, atque gratiarum actionem, Deo patri offerrent. In hoc autem libro, realem tantummodo Christi (quod ut haberemus, ministris utique opus erat, qui a Deo auctoritatem haberent, ut illud & consecrarent, & nobis administrarent) in nostro sacramento praesentiam, ex ipso Dei verbo probandam demonstrandamque suscepimus. Quare ea tantum, quae ad praesentem quaestionem pertinent, ex dictis Christi verbis, in medium protulimus. Reliquum est ut in quorum verborum virtute sacerdotes, ac ministri hanc corporis Christi praesentiam nobis efficiant, nunc intelligamus.

*Quorum verborum virtute sacerdos consecret, et quodnam ex his verbis, Hoc facite, etc. pro Maiorum fide argumentum erui possit.*

## CAPVT CXIII.

ISTA, de quibus nunc loquimur, Christi verba praereunda non putavi, quin prius candidum Lectorem admonerem, idem ex ipsis pro Maiorum fide, arguendum elici posse, quod ex omnibus alijs Dei pra-

praecipis superius deduci posse monstrauimus. Cum igitur eius qui praecipit, mandatis iuxta illius voluntatem, obediendum sit, plane necessarium est, ut ille absque vlla verborum ambiguitate, aut sensus obsecritate, suam intentionem, atque voluntatem insinuet. Itaque cum Christus Apostolis praeciperet, ut facerent, quod ipse in coena fecerat, omnino consequens erat, ut ipsius verba absque vllis omnino figuris, plana essent, atque intelligibilia. Alioquin cum ipse mandatum istud Apostolis promulgaret, dicens, Hoc facite in meam commemorationem, in certum fuisset, quidnam his verbis fieri praeciperet. Quocirca Maiores nostri, certo sibi persuadentes, Christum noluisse Apostolos suos aliunde, quam ex ipsis verbis intelligere, quidnam ipse fieri vellet, ipsum absque figuris, Metaphoris, aut Allegorijs locutum fuisse crediderunt. Argumentum hoc, ex alijs consimilibus, quorum copiosus in hac materia est numerus, quae iam ante fusius tractauimus, manifestum est. Illud igitur nunc missum faciamus, ut quorum Christi verborum operatione, ac virtute, corporis ipsius, ac sanguinis consecratio fiat, ostendamus. Haec enim quaestio plane digna est, quae hoc loco tractetur, tum ut ista verba, (Hoc facite in meam commemorationem) rectius intelligantur, tum etiam ut ratio auitae fidei, melius intelligi possit. Permulti sunt, qui horum verborum, (Hoc est corpus meum) materialiter pronuntiatorum operatione ac virtute, consecrationem fieri putant. Vnde nonnullos equidem vidi, qui cum ad consecrationem peruentum esset, miris modis halitum suum, cum dictis iam verbis, super panem, & vinum conijcerent, non secus, ac si ea in quantum nuda tantummodo verba sunt, nihil aliud in ipsis considerando, consecrationem efficere arbitrantur. Ego vero consecrationem, horum verborum operatione, (Hoc facite in meam commemorationem) fieri existimo. Christus enim horum verborum, (Hoc est corpus meum) vi & operatione consecrationem confecit, panis natura in verum ipsius corpus sese mutante, ut dictis eius verbis se conformaret, crederet, obteneret. Nos autem eam conficimus, id agendo, quod ipse in coena egit, ac ea verba proferendo, quibus ipse dixit, ut in praecipiti sui virtute illam efficeremus. Iam enim ost-

dimus, quod Dei praecipiti operandi vires creaturae subministret, cum ei datur, ut aliquid agat, quod naturae suae facultatem exuperat. Sed hoc exemplis latius explicemus. Cum iam Deus terram creasset, ea omnino arida erat, ita ut nullas penitus herbas, aut arbores producendi virtute haberet, verum posteaquam Deus ei praeciperet, atque dixisset, Germinet terra herbam viuentem &c. statim in virtute illius praecipiti, herbas, arbores, atque alia id genus, quae nos cernimus, produxit, quotidieque producit. Mirum sane est, quemadmodum terra insensibilis, ac mortua, glandem, aut nucem, in arborem viuam, atque adeo proceram transmutet. Mirum quoque est, quae admodum eadem, exiguum sinapi granum, quod ei inseritur, tantopere multiplicet, ut cultori suo pro vno, mille restituat. Vnde ei tanta vis? tanta facultas? tanta operatio? Ex seipsa? Minime verum. Sed eius praecipiti, quod ei Deus ab initio dedit, virtus est, quae etiam in hodiernum usque diem in ea operatur, ut huiusmodi efficiat. Ad haec, mirum est, quomodo aqua, tam diuersi generis, tantamque piscium multitudinem proferat. Sed vnde ei (quaeso) tanta fecunditas? Nonne ex illo Dei praecipito, Producant aquae reptile animam viuentem? Caterum inter omnia, quae merito admirari solent homines, summa admiratione digni sunt maris fluxus, ac refluxus, ita ut nemo Philosophorum, motus huius marini, (quo fit ut bis infra viginti quatuor horarum spatium, mare estibus inquietum fluat, ac resuat, sic ut loca, quae ante deseruerat, iterum repleat) rationem adhuc reddere potuerit. Quid igitur causa est, ut ita crescat, ac decrescat? Non aliud profecto, quam Dei praecipiti, ab initio conditionis sibi collatum, cuius vigore fit, ut etiam nunc hodie huiusmodi motus exerceat. Vnde recte Salomon, Dei sapientiam, legem aequis, ne transirent fines suos, praescripsisse commemorat. Denique nonne admiranda res est, quod gallina, ouis plane mortuum in viuentis pulli carnem conuertat, ac mutet? Et vnde ei tanta virtus? tantaque efficacia? tanta vis? Illud haud dubie Dei praecipiti est, Crescite, & multiplicamini, etc. quod eam excalescit, ac naturaliter ei vigorem suppeditat, ut huiusmodi mutationem substantiae oui, in substantiam carnis efficiat. Sic ergo in omnibus creaturis experimur, quod vna quaeque in suo gradu, & ordine admirabile,

Exod. 7.

occulta quadam diuinorum mandatorum influenza, facultatem consecuta sit, cuius vigore etiamnum hodie operationes suas exerit. Et hec quidem ordinaria respiciunt ipsius Dei opera: quod si extraordinaria, quae ipse per cultores, ac famulos suos exequi voluit, consideremus, non minoris efficaciae, aut vigoris circa ea eius mandata fuisse reperiemus. Cum enim famulus Dei Moyses, virgā in serpentem & Aegypti aquas, in sanguinem conuerteret, huiusmodi opera, non in alia, quam in illa diuini mandati virtute praestabat, quo ei Deus preceperat, inquit: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra Aegypti, tam in ligneis vasis, quam in saxeis. Cū igitur iuxta hoc Dei mandatum, Aaron fluminis aquam, in praesentia Pharaonis virga percussisset, aqua in sanguinem repente conuerfa est. Hoc sane exemplum memorabile est, ut inde commodius ea potestas intelligatur, quam habent sacerdotes, qua virtute illius precepti, (Hoc facite in meam commemorationem) vinum in sanguinem Christi conuertunt. Ingens siquidem miraculum erat, quo illi veteris legis sacerdotes, Moyses, & Aaron, omnes Aegypti aquas in sanguinem transmutabant. Id autem verus magni illius miraculi typus, ac figura erat, quod nouae legis sacerdotes facturi erant, cum quotidie vinum, & aquam in altari oblatum, in Christi sanguinem conuertunt. Illi in virtute precepti illius, (Tolle virgam, & extende manum tuam) illud miraculum perpetrarunt, isti autem in vigore huius mandati, (Hoc facite in meam commemorationem) aliud longe maius quotidie faciunt. Vnde mirum sane est, quod Christianus Deo impossibile putet, huiusmodi potestatem, nouae legis sacerdotibus conferre; cum tamen ipsum omnino consumilem, veteris legis sacerdotibus contulisse, non dubitet. Caeterum alia rursus exempla in medium proferamus: Cum filij Israel in Cades, in deserto Sis aquae penuria supra modum cruciarentur, Deus Moysi, atque Aaron precepit, ut in conspectu totius populi loqueretur petra, ac ita fieret, ut ipsa illis aquam suppeditaret. Ca-

terum cum ad id miraculi ventum esset, non minus Moyses, quam Aaron, aliquantulum in ea fide, quam Dei verbo debuerant, haesitauit, attamen nihil obstante vtriusque incredulitate, diuini illius mandati vigore, petra aquam protulit. Vnde liquet, miraculum istud, neque in Moysi, neque in Aaronis fide, sed in sola tantummodo dicti iam precepti virtute, actum fuisse. Nam & vniuersus populus, & vterque ipsius rector & dux, apud hanc petram, Deum grauiter offenderat. Populus autem suis murmurationibus, ac seditionibus, ductores vero, quod multitudinis peccatum, verbi, atque precepti diuini efficaciam, atque operationem impediturum existimaret. Vnde & Dominus Deus grauiter illis succensuit. Ita sane & in augustissimi huius sacramenti consecratione, tametsi assistentes, atque etiam sacerdotes, peccatores sint; nihilominus tamen Dei verbum, effectum suum operatur, nobis de vera petra, quae Christus est, sanguinem illorum ministerio producens, quod suo huic mandato; (Hoc facite in meam commemorationem) obsequi facit. Similiter, cum Christus Apostolis preceperet, ut agrotos curaret, mortuos suscitaret, leprosos mundarent, spiritus malignos profligarent, ipse illis, in huiusmodi precepti virtute, potestatem conferbat, qua id efficerent, quod eis ipse imperabat, eo, quod talia praestare, longe supra naturalem ipsorum facultatem esset. Quae obrem D. Marcus haec recitans, hoc verbo usus est: Dedit eis potestatem (inquit) curandi infirmos, & eiciendi daemones. Cum eis insuper mandaret, ut irent, ac Euangelium, in mundum vniuersum predicarent, cum id ipsi praestare non possent, eod quod omnium nationum linguas non callerent, spiritum sanctum coelitus eis misit, qui omnium linguarum genera eos doceret: Omnia denique miracula, quae vnquam Apostoli patrauerunt, ea mandati diuini virtute fecerunt. Illud. n. haec, ipsorum benedictionibus, atque orationibus efficaciam conferbat, ut id quae vellēt, operarentur. Sic sane & consecratione, illis orationibus, benedictionibus, & gratiarum actionibus, quoniam Missa agit sacerdos, in quibus & ipsa Christi verba recitat; fieri equidem intelligo, sic tamē ut orationes ille atque benedictiones, efficaciam suam, atque ope-

operandi virtutem, ab hoc mandato accipiant. Hoc facite in meam commemorationem. In omnibus enim sacramentis, sacerdos diuini sequens preceptum, quo potestatem, atque efficiendi virtutem, quod Deus fieri praecipit, consequutus est, per orationem, ac diuini nominis inuocationem, ab ipso Deo institutam operatur. Neque vero hic ineptam quorundam pusillanimitatem imitabor, qui admirabilem hanc conuersionem sacerdotes efficere, confiteri non audent, tametsi ipsos interim, ut illam efficiant, potestatem a Deo accepisse fateantur. Hoc enim ex diametro sibi ipsi repugnare comperio, dicere eos huiusmodi efficiendi potestatem a Deo accepisse, ac nihil interim ipsos efficeret: Posteaquam enim Apostoli, mortuos suscitandi potestatem consequuti sunt, confidenter dicam beatum Petrum, beatum Paulum, mortuos suscitasse, infirmos curasse, malignos spiritus ex hominibus eiecisse. Nam si dixero, eos non potuisse mortuos ad vitam reuocare, sed quod solus Deus id efficiebat, nec eos potuisse id faciendi potestatem a Deo accepisse, mihi confitendum erit. Si autem resuscitandi potestatem acceperant, profecto id ad quod eam acceperant, efficere poterant. Ignis calefaciendi, vrendique facultatem a Deo consequutus est, at nemo propterea ipsum calefacere, atque vrere negat. Sic (inquam) & Christus, Apostolis suis precepit, ut facerent, quod ipse fecerat, atque ut id facerent, facultatem eis impertiret. Confidenter igitur eos panem in corpus, & vinum in sanguinem ipsius conuertisse dicam. Neque vero ignoro, Deum ibi, tanquam principale agens, operatum fuisse, verum & ipsi, tanquam causae secundariae cooperabantur. Nam cum Deus eis preceperit, Hoc facite, constanter dicere audebo, eos hoc fecisse, quod ipse mandauerat. Sic etiam dico, potestatem eos habuisse, ut spiritum sanctum darent, ac peccata remitterent; idque non tantum causae instrumentales tantummodo, verum etiam tanquam causae efficientes, tametsi interim, ut honor Deo deferatur, ex humilitate omnia ei attribuantur. Caeterum ego semper nihilominus omne illud, ad quod efficiendum Deus potestatem mihi concessit, me efficere posse credam: neque vero vnquam vsque adeo aut stultus, aut ingratus ero; ut nihil

eorum efficere me posse dicam, quae ut faciam, a Deo potestatem me accepisse confitear. Vnde Chrysostomus, Sacerdotes nouae legis (inquit) non solum animae fordes probant purgatas, sed verè purgant. Ut igitur vnde digressa est, nostra redeat oratio, dico, sacerdotes dominici corporis, ac sanguinis consecrationem in virtute illius potestatis conficere, quam eis Christus contulit; cum preceptum istud conderet, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Nam quemadmodum vigorem huius precepti, Germinet terra herbam virentem, etiamnum hodie terra herbas producit; & vigore huius, Crescite & multiplicamini, animantia de generatione in generationem multiplicantur; ita & istius vigore, Hoc facite in meam commemorationem, credo indubitanter, sacerdotes Christi corpus, & sanguinem, de generatione in generationem multiplicare, ut in mortis eius memoriam, ac aeternae vitae cibum, omnibus fidelibus, qui in exilij huius peregrinatione, ad consummationem vsque saeculi venturi sunt, distribuuntur. Nemo pinde existimet haec verba, Hoc est corpus meum, technice, aut materialiter prolata, consecrationem efficere, sed ipsius sacerdotis orationem (in qua & haec ipsa recitantur) mandati huius, Hoc facite &c. virtute, atque influxu caelitus irrorata, ac spirituali vigore corroborata. Vnde & Berengarius in confessione sua fidei, quam in Concilio Romano fecit, in quo & errorem suum reuocauit, conformiter ad ea, quae nunc dicimus, locutus est, dicens, panis, & vini conuersionem, in corpus, & sanguinem Christi, sacrae orationis mysterio, ac Redemptoris nostri verbo confici. Id quod & Theophylactus sexto Ioannis capite his verbis affirmare videtur. Transformatur enim (inquit) arcanis verbis, panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem spiritus sancti, in carnem Domini: Vnde non arbitror equidem, vllum vnquam Doctorum dicere voluisse, consecrationem, per huiusmodi verba materialiter prolata fieri, sed tamē requiri, ut, quemadmodum etiamnum hodie fit, ea in sacerdotis oratione recitentur. Caeterum non sic haec in illa, quam ipse facit, inuocatione ponuntur, ut praecise per ea, oblatio in corpus, & sanguinem Christi conuertatur; sed materialiter tantum, ac

Z r per

per modum recitationis commemoratur: Obsecro interim, vt absque alterius cuiusquā opinionis præiudicio, libere, ac ingenuè hic quod de hac quæstione sentio, mihi dicere liceat. Nam & scripturæ sacræ, & rectæ rationi multo cõformius mihi esse viderur, dicere consecratione, vigore potestatis illius, quam Deus sacerdotib' illo præcepto (Hoc facite in meam commemorationem) communicauit, fieri, quàm illis verbis, (Hoc est corpus meum) materialiter prolatis atque recitatis: Christi verò consecrationem, his ipsius verbis, (Hoc est corpus meum) factam esse non dubium est. Longe autem magis (vt modo dixi) rationi consonum esse comperio, vt nostra consecratio horum verborum, (Hoc facite in meam commemorationem) non quidem per sacerdotē, in sua oratione materialiter prolatorum, virtute fiat; sed prout à CHRISTO in cœna semel tantum prolata sunt, ita tamen vt virtutem suam super sacerdotis orationem, atque benedictionem, ad finem vsq; sæculi extendant, vt efficaciam, ac potestatem eis largiatur, qua fiat, quod ipsemet fecit, cum diceret; Hoc est corpus me-

um): Hæc sunt, quæ absque aliorum quorumcumque, qui aliter sentiūt, præiudicio, hæc de re nobis videntur: Quæ tamen non absque plurimorum, tam Græcorum, quàm Latinorum Ecclesiæ Doctorum auctoritate dicimus. Hæc autem opinio, longe minus, quàm eorum, qui consecrationem illorum tantum verborum, (Hoc est corpus meum) virtute fieri arbitrantur, calumnijs atque irrisionibus mihi exposita viderur. Sed hæc hæc hactenus. Illud autem memoriæ mandandum est, Christum Apostolis suis ac legitimis eorum successoribus, potestatem contulisse, vt ad consummationem vsque sæculi facerent, quod ipsemet in cœna fecerat, ne cuiquam esset conquerendi locus, quod in cœna illa sacrosancta cum Apostolis nõ fuisset, cum potestatem eis dederit, vt omnibus Christianis corpus & sanguinẽ suum ad finem vsque sæculi distribuant. Hoc inquam memoriæ mandandum est, vt idem omnino quod sub panis ac vini speciebus in cœna Domini erat, in nostro quoq; sacramento esse intelligamus & constanter credamus.

FINIS ACTIONIS QVINTAE.

## ACTIO

# ACTIO SEXTA

## IN SACRAMENTARIOS HAERETICOS,

*IN HAC, QVAE EX VERBIS, APOSTOLI Pauli ducta argumenta queant, ad fidei maiorum de Eucharistia veritatem ostendendam, fusissimè demonstrauimus: Et deinde articulum fidei maiorum, quem de hoc sacramento habuere, ponimus & explicamus, & contrariorum errorum absurditates explicamus, & contuendas lectori proponimus.*

*Ex Diui Pauli de hoc sacramento verbis plures pro Maiorum fide probationes elici possunt.*

### CAPVT CXV.



**M** Diuus Paulus veritatem corū, quæ Christus in cœna, sacramentum hoc instituens, & dixerat, & fecerat, dilucidè exposuisset, multis preceptis, eos docet, quæ admodum illud suscipi debeat; ex quibus, pro reali corporis Dominici in hoc sacramento præsentia, magna confirmatio haberi potest. In primis etenim docet, eos, qui indignè cibum hunc manducant, aut potum bibunt, corporis, & sanguinis Domini reos esse. Itaque (inquit) quicumq; manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Verba hæc nihil sunt, quàm eorum quæ prius, de reali corporis Dominici, in hoc sacramento, præsentia, Apostolus dixerat, conclusio. Ipsius proinde argumentum in formā redigamus. Ego (inquit) õ Corinthij à Domino accepi, quod cibus ille, quem ipse in cœna discipulis suis tradidit, corpus eius, & potus, sanguis ipsius esset. Quia igitur cibus iste, corpus eius, & potus, sanguis ipsius est, certissimè concludo, ac vobis dico, quod quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit

corporis, & sanguinis Domini, id est, offendit corpus, & sanguinem Domini. Sed quare hoc, O beate Paule? Quia cibus iste (inquit) sicut ipsemet Dominus mihi reuelauit, ipsius corpus est, quod pro nobis ad mortem traditum fuit; & potus iste illius sanguis est, qui pro nobis effusus fuit. Vnde consequens est, vt quisquis illa indignè sumpserit, tantarum rerum maiestatem offendat, ac in verum corpus, & sanguinem Domini peccet. Cæterum, vt clariùs, causalem hanc Pauli propositionem intelligamus, exemplum aliquod accipiamus. Iudæi corporis Dominici, ac sanguinis eius non immerito rei dicuntur, quod nimirum in rei veritate corpus ipsius captiuum duxerint, ligarint, ac morte affecerint, sanguinemque eius crudeliter effuderint. Quod si aliquam corporis sui vel figuram, vel signum tantummodò comprehendissent, illorum tantummodo signorum, aut figurarum rei essent: Sic sanè & in præsentis negotio, si ipsum Domini corpus verè, ac corporaliter, in hoc sacramento non existeret, verè de eo, qui indignè illud sumit, dici nõ posset, quod corporis eius reus esset, aut illud offenderet. Ad eò clara sunt hæc verba, vt vix clariora inueniri posse putem, quibus Domini præsentia in hoc sacramento declarari queat. Id quod & longè manifestius euadet, si varios cõsiderauerimus modos, quibus offendi quispiam potest; in honore videlicet, corpore seu propria persona, & in rebus externis, ad se pertinentibus, cuiusmodi sunt amici, serui, & bona temporalia. Diuus itaque Paulus,

de offensa, quæ sit in Christum, cum cibis, ac potus eius indignè sumitur; hic loquens: non eam in bonis eius externis, neque in amicis, neque in seruis, sed in propria ipsius persona, in proprio corpore, ac sanguine suo fieri dicit: Iam verò quisquis vocum significationes rectè intelligit; neminem vnquam in propria persona, in proprio corpore offendi posse nonquit, nisi personaliter, realiter, ac corporaliter ei præsens fuerit, à quo offenditur. Qui enim realiter, ac corporaliter absens est, non nisi in alterius persona, aut bonis, aut honore suo offendi potest in corpore autem absens offendi nullo modo potest. Si corpus proinde, & sanguis CHRISTI re ipsa, & corporaliter, in hoc sacramento non essent, in rei veritate dici non posset, quòd ille, qui indignè illa suscipit, Christum in corpore, & sanguine suo offendat. Hæc enim verba idem planè significant: Reum esse corporis Christi, offendere corpus Christi, offendere Christum in corpore: Reus enim est is, qui rei alicui obnoxius est: Accipit autem vox reus determinatam significationem à sequenti voce, quam regit: Vnde reus voti dicitur Macrobio, is qui voto suscepto numinibus se obligat: Reus læsæ Maiestatis, qui Maiestati ob eam læsam obnoxius est. Reum ergo esse corporis Christi est, ob offensam Christo factam in corpore suo illi obnoxium esse. Reus maiestatis Christi dicitur, qui illum in eius Maiestate offendit, Reus honoris Christi, qui ipsum in eius honore læsit. Reum ergo esse corporis CHRISTI, est ipsum offendere in corpore, sicut reus Maiestatis eius est is, qui ipsius offendit Maiestatem. Reus honoris, qui honorem &cæt. Hinc itaque infero, cum Paulus diceret: Reus erit corporis Domini, de offensa corporali, ac personali, Christo in proprio ipsius corpore facta, intellexisse, quæ ut fieret, realis vtiq; corporis eius præsentia requirebatur. Ac sic necessario ex his Pauli verbis sequitur, verum Christi corpus, & sanguinem verè, ac realiter in nostro sacramento esse: Vnde claret, Paulinæ consequentiæ bonitas. Cum enim dixisset, panem, & calicem, quæ CHRISTVS in coena obtulit, ipsius corpus, ac sanguinem esse: ex reali eorum præsentia infert, eum qui in malo statu illa suscipit,

Christum in suo corpore, & sanguine, non autem in illorum signis aut figuris, neque in amicorum personis, sed in propria persona offendere. Quocirca Maiores nostri, nunquam aliter illa verba, quæ Christus super panem, & vinum protulit, quàm de reali corporis, ac sanguinis ipsius præsentia intelligere poterunt, quemadmodum ex reali illa præsentia Diuus Paulus corporalem offensam, in ipsum CHRISTVM colligebat. Hoc igitur argumentum, vti videre licet, pro fide Maiorum, ad eò efficacius inueniri queat: Cui tamen longe plus adhuc ponderis, atque auctoritatis accedet, si animaduertamus, quemadmodum in scripturis nusquam de ijs, qui communem panem comedunt, ac vinum bibunt, dicitur, quòd Christum in corpore suo offenderint. Item nunquam de ijs, qui corporis CHRISTI figuras, signa, atque vmbas in veteri lege comederunt, dictum fuit, ipsorum quemquam, Christum in corpore suo offendisse, quòd ea indignè comedisset. Item de ijs, qui alia Ecclesiæ sacramenta indignè suscipiunt, nusquam dicitur, eos ob eam rem, Christum, in corpore, & sanguine suo offendere. Item de ijs, qui corpus Christi, ante ipsius aduentum, spiritualiter, & per fidem manducauerunt, nusquam dicitur, quòd eum in corpore offenderint. Cur hoc? Non ob aliã profectò causam, quàm quòd Christi corpus in figuris illis, atque signis, realiter præsens non esset, nec ipse in corpore offendi possit, nisi vbi ipse corporaliter præsens fuerit: Nota igitur rationem hanc diligenter, quia efficacissima est, ac necessario concludens: Nihil enim superfluum, aut absque ratione in scriptura ponitur: Vnde nihilo amplius Christum, in corpore suo offendi, cum illud indignè, sub isto sacramento recipitur, beatus Paulus pronunciaisset, quàm cum manna, aut agnus paschalis comedetur, nisi longe alia in hoc sacramento, corporis ipsius præsentia esset, quàm in illis veteris testamenti figuris ac typis erat.

(.)

Alterum

*Alterum argumentum, ex dictis Pauli verbis sumptum.*

CAPVT CXVI.

**R**EATVS Paulus Corinthijs prudenter consulit, quemadmodum offensa illa quæ in Christum, corpus eius indignè suscipiendo, committitur, evitari possit, dicens: Probet autem se ipsum homo, & sic de panis illo edat; & de calice bibat. Quibus vtiq; verbis omnino exigit, vt vnusquisque ad sacramentum hoc digne suscipiendum, diligenter, ac solite se disponat, ac præparet. Ex quo argumentum huiuscemodi colligimus: Nunquam hominibus, qui Domini corporis figuras, & signa comesturi erant, dictum fuit, vt prius se ipsos probarent. Imo (quod magis est) ad sacramentum baptismi suscipiendum, nulla huiuscemodi sui ipsius probatio exigitur. Vnde & paruulis in peccato originali existètib; datur, quia in eo peccata remittuntur. Cæterum istud Euchariæ sacramentum, illis tantum conceditur, qui atatem discretionis attigerunt, qui que ratione vtuntur, vt se ipsos, antequàm huiuscemodi cibum accipiant, probent, & Christi corpus ab alijs cibis diiudicare & discernere possint ac in ea fide, quæ hic requiritur, se diligenter exerceant. Vnde Ecclesia nulla ratione permittit, vt hoc sacramentum, aut mente captis, aut infantibus, donec annos discretionis attigerint administraretur, vt hunc ab alijs communibus cibis discernere queant, ac se ipsos probare nouerint: Hæc singularis igitur præparatio, quæ peculiariter in hoc sacramento, & non in eius signis, & figuris exigitur, certissimum argumentum est, longe aliam hic corporis Christi, quàm aut in alijs sacramentis, aut in veterum patrum signis, ac figuris esse præsentiam.

*Tertium argumentum, ex punitionis magnitudine eorum, qui indignè, & absque sui ipsius probatione hoc sacramentum suscipiunt.*

CAPVT CXVII.

**G**RAVIS illa pena atque vindicta eorum, qui indignè hunc cibum

manducant, ac sanguinem bibunt, clarissimo nobis argumento est, Paulum hic de reali corporis Christi manducatione, & non de spiritali tantum loqui: Qui enim manducat (inquit) & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: Hoc est, æternam damnationem sibi acquirit. Vox enim illa (iudicium) cum in literis sacris solitarie ponitur, æternam damnationem designare consuevit, vt cum Christus ait: Qui non credit iam iudicatus est, Hoc est æternæ damnationi obnoxius & addictus. At propter nullum alium cibum indignè comestum, homines iudicium sibi manducasse dicuntur. Quamquam vetus illa lex rigida admodum esset, attamen illis, qui cibos illos, (qui huius figura, & signa erant) indignè comederent: non nisi corpoream poenam minabatur. Porro qui in cibum hunc offenderit, perpetuam damnationem sibi acquirit. Magnitudo itaque punitionis, ac vindictæ, eius, qui indignè ad hunc cibum accesserit, longe aliã præter spiritualem corporis Christi in sacramento præsentiam arguit, quæ non nisi realis vtiq; potest esse. Quod Maiores nostri pressius secù expendent, cœnæ verba nunquam aliter, nisi de reali præsentia intelligere potuerunt.

*Argumentum quartum, quo probatur Diuum Paulum hic non de spiritali, & quæ per fidem fiat, corporis Christi manducatione, sed de reali & corporea loqui.*

CAPVT CXVIII.

**A**liud hic valde pregnans argumentum, quo Diuum Paulum de corpore Christi realiter manducando, & non spiritaliter, ac per fidem tantum, (quæ admodum aduersarij eum perperam intelligere volunt) loqui facile comprobetur, occurrit. Est autem argumentum huiuscemodi: Fieri non potest, vt quisquæ Christi corpus spiritaliter, ac per fidem sumat, nisi ad salutem, atq; ad magnam sui ipsius vtilitatē. Quippe spiritalis manducatio semper bona est, eo quòd ipsa præparatio sit, quæ hominem idoneum reddat, vt ad hunc cibum accedat

Z 4 Cre



Credendo enim Christo aut illius vntri corpori ardentem desiderando nemo illum offendit. At Paulus ait quod quisquis illum eo modo, de quo ipse hic loquitur, manducauerit, ad iudicium, atque æternam damnationem suam, illum sumat, ex quo conficitur, cum de alio manducandi modo loqui, qui videlicet & bonus, & malus esse possit. Argumentum hoc, in alia formam, hoc pacto redigi potest. Beatus Paulus hic de ea manducatione loquitur, quæ pro suscipientis dispositione, nunc bona, nunc mala esse possit. Cæterum spiritualis manducatio, & quæ, fit per fidem, nunquam homini perniciofa, aut damnabilis esse potest. Paulus igitur de alia, quam de hac spirituali loquitur. At qui nulla alia, præter spiritualem, nisi realis manducatio assignari potest. Apostolus igitur de ea ipsa loquitur: Nota proinde argumentum hoc diligenter, quia omnino insolubile est, necessarioque concludit.

*Iudicij huius, ac damnationis causa, quam hic assignat Apostolus, aliud pro reali præsentia corporis Christi, argumentum nobis suppeditat.*

## CAPVT CXIX.

*1. Cor. 11.* **D**amnationis quoque, ac iudicij huius ratio, quam hic designat Apostolus, necessario concludit: Dicit enim cum, qui sic iudicium sibi manducat, & bibit, ideo id facere, quod non discernat, quod non diiudicet, corpus Domini esse, quod recipit. Iudicium sibi (inquit) manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Vox illa (Diiudico) à qua participium (diiudicans) significat, diligenter, & diuisim iudicare, discernere, distinguere, ac distincte cognoscere. Iam itaque vocis huius significantia recte intellecta, haud difficulter, damnationis eius, qui corpus CHRISTI indigne manducauerit, causam, & rationem intelligere fuerit. Distincte aliquid iudicare, ac rem aliquam recte cognoscere, est credere, eam talem, aut talem esse. Quo in sensu, verbum hoc accepit Terentius, cum diceret. Ego dicam, quod mihi in mentem venit, tu diiudica, id est, dic quod tibi videtur, & sentis. Et ibidem: Pergin istuc prius diiudicare quam

*Terent. in Adelphiis.*

scis quid veri fiet? Cum ergo Diuus Paulus ait, damnationis eius causam, qui corpus Domini indigne manducat, esse, quod illud non diiudicet & discernat, tantundem est, ac si diceret, quod non credat, nec illi, quod suscipit, corpus Domini esse videatur. Quod eo fit, quia distincte non iudicat, nec illud ab alijs cibis distinguit & separat: Hoc est, vt paucis, & clarius dicam, quia cibum istum, corpus CHRISTI esse non credit, nec illud in hoc augustissimo sacramento esse, certo sibi persuasum habet. Vnde Paulus hic ad id, quod Christus de baptismi sacramento dixerat, alludere videtur: Qui enim (inquit Christus) non crediderit, & baptisatus non fuerit, condemnabitur. Idem & de hoc sacramento (ait Paulus) illum videlicet, qui corpus CHRISTI in eo esse non crediderit, damnandum iri, ac illud recipiendo, iudicium sibi manducare, ac bibere: Quisquis igitur distincte, ac separatim non crediderit, ac iudicauerit, corpus CHRISTI esse, quod ipse in hoc sacramento recipit, condemnabitur. Iproinde, qui quod in hoc sacramento suscipiunt, aut signa, aut figuras tantum esse credunt, corpus Domini non discernunt. Vnde quid restat, nisi vt externis supplicijs adiudicentur? Cæterum nota diligenter, Paulum non dixisse, (non diiudicans signa, & figuras corporis Domini, sed corpus Domini). Cuius igitur tatus Apostolus, qui etiam in tertium vsque cælum raptus, Dei arcanam contemplatus fuerat, cum, qui Christi corpus in hoc sacramento esse non credit, condemnandum esse pronunciet, quis non videat, quam iuste Maiores nostri illud adesse crediderint, & quanto alioqui periculo sese exposuissent? Sed dicit aliquis (Diiudicare) nullo modo significat, credere: Cui paucis respondeo, eum, qui de re aliqua diiudicat, sic esse credere, quemadmodum ipse iudicat, vnde iudicio recte librato, credulitas semper adiuncta est. Nemo enim prudens aliter iudicat, quam credit. Omnis enim ille qui aliter de re aliqua iudicat quam illa se habere credit, peccat, facit enim contra conscientiam suam. Fides igitur siue credulitas, à iudicio separari non potest. Nunc itaque æquus Lector diiudicet, & in quanto periculo is, qui Christi corpus in hoc sacramento esse negat, constitutus,

tus sit, & quam iuste ex aduerso eorum, qui non nisi figuras, & signa in hoc sacramento esse contendunt, opinionem atque sententiam respiciamus. Quid enim isti per hoc moluntur? quid agunt, nisi vt nos in æternam damnationem, mortemque præcipitent? Quam vt effugere possimus, Paulinæ doctrinæ potius, quam falsis istorum opinionibus fidem adhibeamus. Cæterum argumentum istud in formam sic redigi potest: Vnusquisque de animæ suæ salute ante omnia sollicitus esse debet, vt horrendum illud Dei iudicium vitare possit, ac fugere, at ille qui nec credit, nec iudicat, CHRISTI corpus, in hoc sacramento esse, sempiternam damnationem sibi acquirit, ac Dei iudicio fit obnoxius, consequens est igitur, vnumquemque teneri, vt, quemadmodum Maiores nostri fecere, reale corporis CHRISTI in hoc sacramento præsentiam credat.

*Sextum argumentum ex vindicta temporali, & corporea sumptum, quam ij incurrunt, qui Domini corpus non discernunt.*

## CAPVT CXX.

**C**VM Deus aliquem non solum spiritualiter, verum etiam corporaliter punit, magnum iræ, ac furoris sui iudicium est: At ij, qui CHRISTI corpus, in hoc sacramento esse non credit, non solum spiritualiter, verum etiam corporaliter, à Deo puniuntur. Vnde Paulus ait: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: vbi duplicem temporaneam punitionem statuit, vnam infirmitatis, aliam corporeæ mortis. Ex Apoc. autem D. Ioan. liquido constat, nouissimas mundi plagas, grauissimas fore, quas ideo grauiores futuras iudicat, quod tunc magis fructus vitæ, qui in hoc sacramento est, contemnetur, ac vilipendetur. Beati autem tunc erunt, ait ille, qui lauabunt stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ & per portas intrent in ciuitatem. Plagas Aegypti euaserunt Israëlita, quia postes domuum suarum typici tinxerant sanguine agni, & plagas istas euadent nouissimas, qui in sanguine veri agni stolas suas lauabunt, & in ligno vitæ cibum vi-

tæ scilicet ferente, spem suam collocarint. Qui autem sanguinem testamenti noui polluerint, & ligni vitæ fructum contempserint, miserimos fore insinuat, & plagas senturos nouissimas. Cuius sane rei experientiam infelicissimis hisce temporibus in omnibus Christiani orbis prouincijs, in quibus aliquid in augustissimi huius sacramenti dedecus, & contemptum, attentatum est, plus satis vidimus. Quis enim vel saltem mediocriter enarrare sufficiat, quot morbos, pestes, bella, seditiones, aliasque id genus innumeras propemodum calamitates hoc nostro sæculo passim inter Christianos sentire videamus? Quis referat, quam multa hominum milia, paucis ab hinc annis, peste, gladio, fame, siti, ciuilibusque Christianorum & hæreticorum bellis è medio sublata sint? Tempus certe me citius deficeret, quam vt vel centesimam partem commemorare valeam: Quare ne altum pelagus ingrediar, vnde mihi facilis regressus non pateat, his nunc supercedeo. Igitur vt ad rem redeam, generalem huiusmodi regulam diligenter hic notemus. Quotiescumque scriptura, de peccato, seu offensa aliqua loquitur, quam vel spiritualis, vel corporalis poena comitatur, verba, quæ huiuscemodi peccatum explicant, nullo modo per figuram, nec per vllam sensus cuiusquam ambiguitatem, exponenda sunt: Alioqui nesciretur, quemadmodum poena, quam scriptura cominatur, euitari posset. Paulus autem hic de eorum, qui corpus Domini, in hoc sacramento, se recipere non credunt, peccato loquitur. Ipsius proinde verba literaliter explicanda sunt, cum dicit, Corinthios ideo & temporali, & æterna morte puniri, quod Domini corpus in hoc sacramento non discerneret, nec illud ibi esse, distincte iudicarent: Et certe crediderim, ideo tot inter Christianos, à Paschate vigere, id est, ideo solere morbos, mortemque in eos grassari, quod nimium multi ad Christi corporis sacramentum accesserint indigne, neque pro eo, atque par est, corpus Christi diiudicauerint & discreuerint ab alijs cibis illudque se sumere non crediderint, vel certe leuiter nimium, atque modice crediderint. Notandum ergo est istud diui Pauli verbum, Ideo multi inter vos infirmi & dormiunt multi: tum vt nobis

cauca-

caucamus, ne indigne accedamus, tum ut quid credendum sit, ex eius verbis recte concludamus. Quicquid enim in hoc capite Paulus commemorat, literaliter, & absque vllis omnino figuris explicandum est, ut facile quivis intelligat, quid agendo, huiuscemodi malum effugiat. Quod Maiores nostri sedulo considerantes, literaliter, & absque vllis figuris hæc omnia exponenda, merito iudicauerunt.

*Ex Divi Pauli verbis, Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? &c. solidum pro Maiorum fide argumentum ducitur.*

## CAPVT CXXI.

**B**EATVS Paulus non solum in ijs, quæ diximus, verum etiam alibi de Eucharistia sacramento agens, diferte satis pro fide nostra loquitur, maxime vero cum sic ait, Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et, panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Hæc Pauli verba manifestissime realem Dominici corporis in nostro sacramento præsentiam confirmant, præsertim cum dicat, panis distributionem, quæ in eo fit, non figurarum, aut signorum, sed ipsiusmet Dominici corporis communionem esse. Animadvertamus igitur, hic Apostolum non simpliciter de pane loqui, sed de pane, quæ frangimus. Hic autem panis, semper pro cibo, & fractio, pro distributione, accipienda est. Nam frangere panem, Hebraica phrasi, nihil aliud est, quam alijs panem suum distribuere, ac impartiri, ita ut is, qui integros etiam panes egenis largiretur, frangere panem esurienti diceretur. Frange (inquit Esayas) esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Horum igitur Pauli verborum talis est sensus. Illa cibi distributio, quam nos facimus, & benedictio calicis, seu potus, quem nos benedicimus, nonne corporis, & sanguinis Domini communicatio est? At propterea ipse hic de tota actione, ac cæremonia, quæ in cœna fit, loquitur, quam corporis, & sanguinis Domini communicati-

onem vocat. Atqui ut hæc commodius adhuc intelligantur, animadvertendum est, Paulum hic de cibo Gentilium, seu Idololatrarum, Iudæorum, ac Christianorum ex professo agere, ac eos ab invicem distinguere. Iudæi omnes eundem plane cibum, Manna videlicet, comederant, ac eundem potum biberant. Gentiles vero ea & comedeabant, & bibeabant, quæ Idolis immolabantur: De eo itaque quo Iudæi vescabantur, Dominici corporis illam communionem esse non dixit, tamen si spiritualiter, & per fidem, ei communicarent. cæterum de eo, quod Christiani in conventibus suis mysticis comedunt, ac bibunt, corporis, ac sanguinis Domini communionem esse, clarissime pronunciauit. Cum igitur inter Iudæorum, ac nostrum cibum, discrimen poneret, Iudæorum cibum, eius, quem nunc habemus, signum, & figuram tantummodo fuisse dicebat: Unde liquido constat, eum dicere, Iudæos, Dominici corporis, & sanguinis figuram, ac typum habuisse, nos vero id quod per typum, ac figuram representabatur, verum scilicet Christi corpus, ac sanguinem. Ex his itaque beati Pauli verbis, argumentum huiuscemodi ducimus: Nullum ibi discrimen est, ubi res omnino eadem est, at Apostolus Paulus, inter cibum Iudæorum, & eum, quem in sacramento nostro habemus, differentiam magnam constituit, proinde sequitur, eos non eundem, quem & nos, cibum comedisse. Verum in signo & figura, Christi corpus spiritualiter comederunt, nos igitur in rei veritate, ac realiter, absque figura vlla illud comedimus. Aliud in super, ex verbis illis, (Communicatio corporis, & sanguinis Domini) non mediocriter argumentum sumi potest. Nam in definitionibus Accidentium Relativorum, ea ponuntur, ad quæ illa referuntur, communicatio autem, relatio est, quæ ad rem, quæ patitur, referenda est. Cæterum definitiones claras semper, & absque ambiguitate vlla esse oportet: Hic autem distributionis cibi, ac potus illius, quæ in cœna, siue in Missa fit, definitionem assignat, quam corporis, & sanguinis Domini communicationem esse definit. Ex quo consequens est, Christi corpus, & sanguinem, quorum ibi fit distributio, in rei veritate ibi præsentia existere. Ipse enim

enim hic de reali distributione, quæ Relatio realis est, loquitur, cæterum spiritualis communicatio corporis Domini, spiritualis relatio est. Spiritualis autem Relatio, actio realis non est. Cum igitur communicatio, in definitione realis huius distributionis, pro genere constituitur, eum non minus de reali communicatione, quam distributione loqui intelligendum est: At communicatio aliqua, realis esse non potest, nisi ea res, de qua ipsa fit, in veritate, ac realiter præsens existat. Sequitur proinde, verum corpus, ac sanguinem Domini, in hac distributione, ac communionem, realiter esse præsentia. Ita sane textus iste, pro fide nostra admodum clarus est. Unde cum Missam celebrauerit, confidenter corpori, & sanguini Dominico, me comunicasse dicam, quemadmodum, post Divum Paulum, Maiores mei me loqui docuerunt. Qui profecto nullo modo erroris iuste reprehendi possunt, quod sic loquerentur, cum ea in re beatum Paulum imitentur.

*Hæc alia Pauli verba, unus panis & unum corpus multi sumus, &c. aliud pro fide nostra necessarium concludens argumentum suppeditant.*

## CAPVT CXXII.

**F**idei nostræ testimonia, passim, in literis sacris, usque ad eam clara, atque frequentia occurrunt, ut aduersariorum impudentiam satis admirari nequeam, quod hinc fidem nostram, Dei verbo contrariam, inde illorum perfidiam, ipsum Dei verbum esse contendunt, maxime cum in tota scriptura, ne vnum quidem locum ostendere possint, ubi Christus dicat, se in sacramento nostro, corporis sui signum tantummodo nobis exhibuisse; cum nos contra, tam numerosam testimoniorum multitudinem eis proferamus, quæ Christum, verum corpus, & sanguinem suum, nobis dedisse clarissime ostendunt. Imò scriptura de eo, quod in nostro sacramento habemus, ita sæpe mentionem facit, ut nisi in eo realem corporis Dominici præsentiam admittamus, ea recte exponi nullo modo possit. Quemadmodum in hoc Pauli loco, Vnus panis, & unum corpus

multi sumus, Omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Qui sane locus, ut verus esse monstratur, signa, & figuras, panemque, ac vinum corporeum reiiciamus, necesse est, ut verum Christi corpus, eorum loco constituamus. Hæc siquidem verba manifestam rationem ostendunt, cur panis distributio, corporis CHRISTI communicatio esse dicatur. Huius ratio est (inquit) quod nos, qui multi sumus, omnes vnus panis, & vnum corpus sumus, quia de vno pane, & de vno calice participamus. Quibus sane verbis magnum D. Paulus Christianæ, vnionis, quæ per hoc sacramentum fit, mysterium tangit, quod ut recte intelligamus, prius diuisionis, ac separationis nostræ, tam eius, quæ inter nos, ac cæteros homines est, quam quæ inter nos est, & Deum; causam, ac rationem probe intelligamus, necesse est. Sic enim viam, ac modum, quo Christus rursus vnionem non modo inter nos, ac cæteros homines, verum etiam inter nos ac Deum ipsum fecerit, rectius intelligemus. Totius igitur diuisionis nostræ causa est, primi Adæ caro, quæ tantopere, per generationem in nobis multiplicata est, ut vnusquisque propriam carnem suam, ab alterius carne distinctam habeat, cui anima vnita prauo eius humore adeo inficitur, ut eam plusquam Deum, aut proximum diligat. Ex hoc itaque prauo animæ, ad carnem amore, omnis inter homines diuisio, originem suam trahit, sic ut vnusquisque carnis suæ commoda, carnis alterius utilitatibus præferat. Hinc enim homo concupiscentiam carnis, & oculorum, ac superbiam vitæ sequitur, quæ carnis huius, primi illius Adæ peccato corruptæ, desideria sunt. Anima igitur huic carni, per generationem, corporaliter quidem, ac realiter; per amorem vero voluntatisque concordiam vnita carni atque coniuncta, idem amat, appetit, desiderat. Et quoniam huiuscemodi desideria legi Dei repugnant, fit, ut anima Dei legem obseruare contemns, à Deo se diuidat, ab eo que diffideat, ut cum carnis affectione concordet. Verum secundus Adam hanc discordiam è medio tollere, ac tanto huic malo sufficiens remedium adhibere cupiens, generalem quandam, adeoque realem, & corpoream inter homines, per

sanctissimæ carnis suæ sacramentum, v-  
nionem instituit, vt sic sanctam quoq;  
ac spiritualem voluntatum vnionem,  
inter eos, qui præciosum corpus suum  
dignè suscipere, instauraret: atque ita  
fieret, vt quemadmodum caro perditio-  
ni, ac ruinæ nostræ cooperata est, sic & sa-  
luti, atque reparationi nostræ coopera-  
retur. Nunc igitur, quemadmodum istud,  
in admirabili, atque augustissimo sacra-  
mento, quod ipse ad hoc instituit, fiat,  
audiamus. In primis siquidem hoc sa-  
cramento (sub quo ipse caro, absque  
vlla omnino sui diuisione, sed integra  
plane, varijs in locis simul existit, vt cui-  
cumque lubuerit, eam recipiat, seque il-  
li vniat) viam, ac rationem, qua realem  
inter nos omnes vnionem faciamus, sub-  
ministrat. Nam quemadmodum linea,  
quæ à circuli centro, ad eius circumferen-  
tiam protrahuntur; omnes in eodem  
centro conueniunt, & concordant; ita  
omnes totius vniuersi homines, in hac  
sancta carne vniuntur, vno quoque eam  
realiter tangente, vt sic per hoc ineffabi-  
le sacramentum fiat caro de carne eius,  
& os, de ossibus eius: Quæ profecto realis  
vnio veraque cõiunctio cum debite fit,  
carnem nostram morti, corruptionique  
obnoxiam, prauas eius concupiscentias  
reprimendo sanctificat, ac vitiosum il-  
lum amorem, quem anima ad propriam  
carnem habebat, in sanctum erga Domi-  
ni corpus, amorem commutat. Iam ve-  
ro ab ea anima, quam ita sibi Deus vnit,  
hoc insuper exigit, vt omnes, quos per  
huiuscemodi communionem, Christi  
membra factos esse nouit, diligat vt sei-  
psam, vt quemadmodum omnes in illa  
ipsum carne communicamus, sic & om-  
nes mutæ charitatis glutino copulati,  
in voluntate ita communicemus, vt iam  
non nisi vnum cor, vnamque volunta-  
tem, in CHRISTO omnes habere vi-  
deamur. Sic enim, cum carnis suæ volu-  
tatem vnusquisq; calcauerit, nihil aliud,  
quàm CHRISTI voluntatem prom-  
pto animo sequi cupiens, admirabilis  
quædam, non modo spiritualis, verum  
etiam corporalis, inter huiuscemodi ho-  
mines cõiunctio reperietur, qua fiet, vt  
vnum, non solum inter se, verum etiam  
cum ipso Domino efficiantur: Qui, cum  
carnem suam diuinitati realiter coniun-  
ctam, ac voluntatem Dei patris volun-

tati omnino conformem habeat, hac ra-  
tione, & realiter, & spiritualiter, per vo-  
luntatis concordiam, Deo nos vnit, atq;  
coniungit, vt sic in terra voluntas Dei  
patris inter homines, quemadmodum  
in cœlo inter beatos, ab omnibus com-  
pleatur. Hoc itaque fundamento bene  
intellecto, sciendum est, mirificam vni-  
onem hanc, isto sacramento non solum  
fieri, sed etiã significari, propterea quod  
omnes homines non nisi vnum, eandem-  
que cibum manducantes, ac non nisi v-  
nam eandemque rem, in eo recipientes,  
realiter, in hoc pane cœlesti, sibi mutua-  
que charitate iunguntur. Hac reali vni-  
one, aliam insuper vnionem atque con-  
cordiam spiritualem significante, quæ  
inter eos, qui ita vnus, eiusdemque cor-  
poris membra facti sunt, esse debet. At  
vereor equidem, ne nimium hic, sacra-  
menti huius mysteria publicem ac pro-  
phanem, sed impia quorundam homi-  
num, qui nihil credere volūt, nisi quod  
intelligunt, incredulitas atque perfidia,  
me illa silentio potius adoranda, dete-  
gere cogit inuitum. Adde quod & ista  
Pauli verba, quæ nunc versamus, exactã  
huiuscemodi interpretationem à nobis  
postulant, vt argumentum, quod ab ijs  
ducere volumus, ab omnibus commo-  
dius intelligatur. Est autem argumentum  
huiuscemodi: Paulus nos omnes vnum  
corpus, ac veluti panem vnum esse di-  
cit, eo quod omnes ex vno pane partici-  
pemus: Quemadmodum enim & vnum  
corpus ex pluribus membris inter se v-  
nitatis atque cõiunctis, & vnus panis ex  
pluribus granis sibi mutuo copulatis cõ-  
stat, & constat, sic & nos (inquit ille) v-  
num corpus efficiuntur, eo, quod vni ei-  
demque pani cœlesti nimirum Domi-  
nico corpori, per sanctissimi huius, at-  
que admirabilis sacramenti distributio-  
nem vnimur. Ex quibus verbis liquidò  
constat, beatum Paulum, ex illa vnione,  
qua vni eidem rei adunamur, argumen-  
tum sumere, vt nostram, qua nobis mu-  
tuò conifigimur, vnionem probet. Por-  
ro si panis, ac vinum tantum in hoc sa-  
cramento essent, neque nos vni, eidem-  
que rei communicare possemus, neque  
vlla inter nos vnio fieri, aut significari  
posset, quia nobis omnino impossibite  
foret, vt in vno, eodemque pane com-  
municemus. Supra modum enim ma-  
gno,

gno, atque ingenti panis mole, imò mō-  
re opus esset, antequam omnes homi-  
nes, qui vnquam fuerunt, qui sunt, et qui  
ad finem vsque sæculi futuri sunt, ex eo  
communicare possent. Vnde nulla sanc-  
ta res est, in qua omnes communicare  
possimus, præter carnem Domini, quæ  
vna, eademque manens, simul pluribus  
in locis potestate diuina reperitur, vt  
sic per ipsam vnum efficiamur. Cæte-  
rum corporeus ac materialis iste panis,  
alius profecto est quem Apostoli, alius  
quem Maiores nostri, alius quem nos  
comedimus. Imò nunquam bis de vno  
eodemque pane comedimus. Cum igitur  
Paulus nos omnes de vno, ac eodem  
pane manducare dicit, non nisi de cœle-  
sti hoc pane loqui, intelligi potest. Cuius  
communio per illius distributionem,  
quam ipse corporis Dominici partici-  
pationem appellat, suo tempore fiebat, ac  
etiamnum fit. Cæterum argumentum  
hoc, ex ijs, quæ iam ante de hac vnione,  
in verba promissoria diximus, amplius  
intelligi potest. Quare ad alia transca-  
mus.

*Alia duo, ex quibusdam alijs Pauli verbis,  
pro Maiorũ fide, argumenta  
sumuntur.*

## CAPVT CXXIII.

PROlixâ testimoniorum, pro fide nõ-  
stra, citatione defatigatus, vereor,  
ne noster hic liber, iustum volumen ex-  
cedat. Proinde æquò Lectori, ea quæ ha-  
ctenus diximus, abunde sufficere arbi-  
tratus, dicendi finem faciam, si duò tan-  
tum, ex alijs quibusdam Pauli verbis,  
breuiter hic argumenta subiecerõ. Prius  
itaque ex ijs Apostoli verbis sumitur,  
quibus ad Ephesios scribēs, carnalis ma-  
trimonij exemplum eò profert, vt vni-  
onem illam, quæ est inter Christum, &  
eius ecclesiam ostendat. Quò in loco a-  
perte docet, quemadmodum vir, & mu-  
lier per matrimonij consummationem,  
corporaliter, ac realiter vnum efficiun-  
tur, ita & Ecclesiam, id est, vniuersum fi-  
delium cætum, hoc sacramento realiter  
vnum cum CHRISTO constitui,  
sic, vt fiat os ex ossibus eius, & caro de

carne eius, ad eò, vt ex sua ipsius substan-  
tia, eos foueat, ac nutriat; quemadmo-  
dum homo propria membra, suamque  
carnem ex sua ipsius substantia nutrit ac  
fouet. Nemo vnquam (inquit) carnem  
suam odio habuit, sed nutrit & fouet e-  
am, sicut & Christus Ecclesiam, quia  
membra sumus corporis eius, de carne  
eius, & de ossibus eius. Propter hoc re-  
linquet homo patrem, & matrem suam,  
& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in  
carne vna. Sacramentum hoc magnum  
est, ego autem dico in CHRISTO, &  
in Ecclesia. Quibus verbis, sobrie admo-  
dum Diuus Paulus mysterium hoc at-  
tingit, illud propter eximiam sublimi-  
tatem suam nimis curiose discutere nõ-  
lens. Nec ego proinde nimis scrupulose  
illud hic pertractabo, sed hoc tantum  
de eo dicam, quod ad argumentum no-  
strum faciat, quòd ex ijs verbis, quæ rea-  
lem corporum, ac ossium nostrorum  
ad CHRISTI corpus, & ossa vnionem  
constituunt, ducere constitui, quæ sanc-  
ta vnio, in hoc sacramento fit, in quo ma-  
trimonium inter Christum, & eius Ec-  
clesiam consummatur; quemadmo-  
dum in huius libri principio diximus:  
Vt igitur ad rem veniamus, certissimum  
est, quod panem solummodo, vel cor-  
poris, ac sanguinis Christi figuram, aut  
signum dumtaxat recipiendo, nunquã  
huiuscemodi vnio, quæ inter nos, &  
Christum, per spirituale istud matrimo-  
nium significatur, reperiri posset, non  
secus, atque carnale matrimonium, in-  
ter virum, & mulierem, solis signis, aut  
solis imaginibus, ac figuris, nisi inter se  
realiter copulentur, compleri non po-  
test. Vnde etiam quam diu homines,  
non nisi per signa, & figuras spirituali-  
ter, ac per fidem, Christi corpus comē-  
derāt, nulla huiuscemodi, inter Christum,  
& Ecclesiam vnionis mētiõ fiebat, quia  
hæc ab eo tempore tantummodo facta  
est, quo ipse humanam carnem realiter  
accepit, cuius subsidio huiuscemodi v-  
nio fieri, ac iam dictum matrimonium  
poterat cõsumari. Hoc quia magnum  
(teste Paulo) sacramentum est, de eo nunc  
plurib; nõ agimus: Id quòd ita esse, recte  
intellegerunt Maiores nostri, vnde realitè  
corporis Christi in hoc sacramento p̄sen-  
tiam

tiam admittere coacti fuerunt. Posteri-  
us testimonium, ex epistola ad Galatas  
proferetur, ubi Diuus Paulus, noui illius  
testamenti, quod CHRISTVS pro il-  
larum promissionum, quæ Abraham factæ  
sunt, hæredibus, mentionem facit.  
Ibi enim probare volens, benedictionem  
illam omnibus Gentibus in semine A-  
brahæ factam, neminem nisi per Chri-  
stum consequi posse, argumentum à li-  
terali verborum promissionis, ac testa-  
menti illius sensu depromit, dicens, in  
verbis illius promissionis, non esse dictum  
(in feminibus, sed in semine). Hoc est,  
scripturam plurali numero non dixisse,  
in feminibus Abraham benedicendas  
omnes gentes, sed numero singulari, in  
vno eius semine benedictionem hanc esse  
promissam. Ex quo infert, ac plane con-  
sequi asserit, benedictionem hanc, non  
nisi per vnum hominem, ab Abraham  
progenie descendente (qui est Christus  
Iesus) Gentibus communicari posse. Ut  
autem argumentum suum firmum esse,  
ac recte concludi probet, ab hominum  
testamenti sumit exemplum, docens,  
huiusmodi testamenta, absque vlla o-  
mnino diminutione, aut adiectione,  
absque vlla verborum, quæ in illis po-  
nuntur, contemptu, aut vilipensione, ad  
literalem sensum accipiendam esse; ita ut  
in testamento aliquo pluralem nume-  
rum, pro singulari ponere non liceat,  
quemadmodum si quis (prata) pro (pra-  
to) aut (equos) pro equo poneret: Ne-  
que verba vlla inuerrere, aut commuta-  
re licet, veluti pro equo, signum, aut fi-  
guram equi collocando: Sic (inquit) &  
in Dei testamento, atque ordinatione,  
nihil omnino eorum, quæ in eo scripta  
sunt, immutare, aut contemnere phas  
est. Ex quo (ait) infero, quia in Dei testa-  
mento scriptum est, in semine, & non in  
feminibus, ipsum non de aliquo alio,  
quàm de Christo locutum esse. En ipsius  
argumentum: Verum syllogismi ipsius  
Maiorem, proprijs ipsius verbis audia-  
mus: Fratres (inquit) secundum hominem  
dico, tamen hominis confirmatum te-  
stamentum, nemo spernit, aut super-  
ordinat, Abraham dictæ sunt promissio-  
nes, & semini eius: Non dicit, & femini-  
bus, quasi in multis; sed quasi in vno, &  
semini tuo, qui est Christus. Hoc itaque  
ipsius est argumentum, hæc illius verba;

quorum formam sequens, Pauli exem-  
plo, meum & ipse argumentum, pro  
Maiorum fide, ad hunc modum infe-  
ram, ac ipsius Apostoli verbis vtens, o-  
mnibus Christianis ita dicam: Fratres,  
scitis, confirmatum hominis testamen-  
tum à nemine contemni, nec quem-  
quam illud audere immutare, aut v-  
num iota apicemue vnum adijcere.  
Quod si hominum testamenta, tanta  
cum reuerentia suscipiuntur, in quan-  
to maiori honore Dei testamentum a-  
pud nos esse debet? Quanto minus ei  
aliquid aut addere, aut detrudere debe-  
mus? Quanto grauius illud immutare,  
aut spernere, nephas fuerit? CHRIS-  
TVS autem in testamento suo non  
dixit, Hoc est signum corporis mei, ne-  
que, Hoc est signum sanguinis mei, sed  
ait: Hoc est corpus meum, quod pro  
vobis tradetur: Hic est sanguis meus,  
qui pro vobis effundetur: Quemadmo-  
dum igitur ex eo, quod in alio DEI te-  
stamento positum non est, in femini-  
bus, sed in semine, Paulus non de alio,  
quàm de eo, qui Christus est, semine,  
verba fieri ostendit; ita & ego, ex eo,  
quod in filij Dei testamento dictum est,  
Corpus, & non figura corporis: sanguis,  
& non figura sanguinis, plane colligo, ac  
consequens esse dico, testamenti ipsius  
verba, non nisi de proprio ipsius corpore,  
ac sanguine, de quibus ipse loqueba-  
tur, intelligenda esse. Nec phas est, tantò  
tantæque auctoritatis testamento, quic-  
quam superordinare, aut adijcere, neque  
vllum eius verbum, aut syllabam immu-  
tare, nec quicquam denique, quod in eo  
positum est, contemnere, spernere, vili-  
pendere. Hoc igitur nostrum est argumē-  
tum, quod Pauli argumento plane con-  
sentaneum est. Quocirca si Pauli cōclu-  
sionem tanquam veram, ac legitimam  
agnoscitis, & nostram quoque ut talem  
suscipiatis, necesse est. Nam eodem pla-  
ne fundamento vtraque innititur, pro-  
inde si vna vera, ac legitima est, alteram  
quoque huiusmodi esse, necesse est. Ex his  
itaque concludimus, Dominici testamē-  
ti verba, iuxta grammaticum, ac literalem  
sensum omnino exponenda esse, nihil  
eorum, quæ ipse Dei filius, quæ ipse spiri-  
tus sanctus in eo, aut scripsit, aut posuit,  
expungendo, nihil aut adijciendo aut detra-  
hendo. Quibus ita constitutis, iam tēpus est,

VI

ut fidei Maiorum nostrorum articulus,  
quàm apertissime fieri poterit, in sua ve-  
lut amplitudine, ac latitudine propona-  
mus, quemadmodum ex purissimo, at-  
que verissimo, verborum Dei sensu, quæ  
hactenus explicuimus, erui potest, ut sic  
& de fidei nostræ cum Dei verbo con-  
uenientia, & de eorum, qui hanc cū scri-  
pturæ sacræ auctoritate non modo non  
conuenire, sed etiam cum illa pugnare  
contendunt, impietate singulari; mali-  
tia rectius iudicetur.

*De reali presentia corporis Christi in Eucha-  
ristia sacramento fidei Maiorum no-  
strorum articulus.*

## CAPVT CXXIII.

IN qualibet disciplina, quisquis do-  
cendi munere fungitur, prima eius  
cura esse debet, ut facilis sit, atque per-  
spicua, ut auditores absque vlla ambi-  
guitate, expeditè, quæ præcipiuntur, in-  
telligant. Quod si in secularibus literis  
locum habet, quanto magis in sacra  
Theologia, maxime cum ijs de rebus a-  
gitur, vnde hominum salus, ac vita æter-  
na pendet? Tunc enim quanta maxima  
perspicuitate fieri poterit, ac verbis  
quàm maxime significantibus vtendum  
est: Et si quæ verba subobscura forte, aut  
æquiuoca, inter docendum reperiuntur,  
ea sincere, ac dilucide explicari debent.  
Id quod propter fidei nostræ aduersari-  
os dixerim, qui quàm procul ab hoc  
præcepto recedant, quis nesciat? Nam  
ne absurdi eorum errores deprehendā-  
tur, in hoc potissimum elaborant, ut  
suum opinionem atque sententiam, ne-  
scio quibus verborum (quæ ipsi nun-  
quam explicare volunt) mandris at-  
que ambiguitatibus tegant, & inuol-  
uant. Nos autem qui Maiorum fidem,  
simpliciter ac sincere declarare consti-  
tuimus, in vnum hic articulum paucis  
redigemus, quicquid Maiores nostri  
quantum ad realem corporis Christi, in  
hoc augustissimo sacramento præsen-  
tiam attinet, crediderunt. Id quod &  
nos quoque eorum vestigijs inherentes,  
ac veram verbi Dei intelligentiam (cui  
hæc illorum, ac nostra fides innititur)  
sequentes, credimus. Est ergo articulus  
istè huiusmodi.

Cœnæ Dominicæ articulus iuxta Ca-  
tholicorum fidem. Verum Christi cor-  
pus, caro, sanguis, & ossa plane viua, ac  
spiritu, vitaque plena, vitaliter, veraciter,  
realiter, spiritualiter, sacramentaliter,  
substantialiter, & corporaliter, in sacra-  
mento altaris, sub panis, ac vini specie-  
bus existunt, ipsis vini, ac panis substantijs  
in verum Christi corpus ac sanguinem,  
omnipotenti Dei verbo transmutatis,  
atque conuersis, ita ut illud ipsum cor-  
pus, quod pro nobis de virgine natum,  
& in cruce suspensum fuit, quodque nunc  
visibiliter, in gloria sua, ad Dexteram  
Dei patris residet, inuisibiliter, in hoc  
sacramento præsens sit. Quo sane fit, ut  
hoc modo Christus simul & in cœlo cū  
angelis, cæterisque beatis, ac in terris,  
cum hominibus, ad finem vsque sæculi  
personaliter, ac realiter præsens existat.  
Credimus in super præsentiam hanc, sa-  
cerdotum ad huiusmodi ordinem le-  
gitime vocatorum ministerio fieri, per  
benedictiones, gratiarum actiones, ora-  
tiones, & preces, quas ad eum finem ipsi  
faciunt, recitatis etiam verbis illis, qui-  
bus ipse Christus sacramentum istud in-  
stituit, quorum virtute, ac præcepti il-  
lius, quò tunc fieri iussit, quod ipse pri-  
us fecerat, admirabilem hanc præsentiam,  
illorum (ut diximus) ministerio fi-  
eri credimus, nullo alio, qualiscumque, il-  
le tandem sit, id faciendi potestatem ha-  
bente.

In hoc articulo plurima verba posui-  
mus, quæ explicare, ac rationem, cur ea  
ibi collocauerimus, reddere volumus:  
Idque idèd sane faciendum iudicauimus,  
quia vocibus illis, quibus vsi sumus,  
non recte intellectis, nec apte de fi-  
dei nostræ veritate, nec de eius ad DEI  
verbum conformitate iudicari potest.

In primis itaque hæc verba posuimus:  
Verum Christi corp⁹, caro, sanguis, & ossa.  
Quæ ad hoc ante omnia, nobis conferunt,  
vt eorum error, qui Manichæorum for-  
sitam hæresim sequentes, in hoc sacra-  
mento, non verum, ac naturale corpus,  
sed phantasticum existere arbitrarētur, re-  
spuamus, ac refutem⁹. Manichæus siqui-  
dem, Christum non verum, ac natura-  
le, sed fictum, atque phantasticum cor-  
pus assumpsisse fingebat. Et cum ei il-  
lud Ioannis obijceretur, Verbum caro

Aa 2 factum

factum est, ille (carnē) ibi pro figura carnis interpretabatur, quemadmodum & hodie aduersarij, cum eis illam Ioannis sententiam proferimus, Panis, quem ego dabo, caro mea est, carnem ibi, pro figura carnis accipiendam esse contendunt. Vt huiuscemodi ergo phantasticorum reiiciamus errorem, diximus, Verum Christi corpus, & cetera. Secundo, vt exactius intelligi posset, de quonam corpore loquar, nempe de corpore humano, & non de quōquam alio, principales huiuscemodi corporis partes, carnem, videlicet, sanguinem, & ossa posui. Deinde id etiam feci, ne quis de sola diuinitatis Christi, aut spiritus eius praesentia, me loqui arbitraretur. Nam neque diuinitas, neque spiritus quisquam ex carne, sanguine, aut ossibus constat. Eisdem etiam verbis obstititur, quo minus hic noster articulus de sola meriti, ac gratiae CHRISTI praesentia intelligatur. Nam cum illa, qualitates, atque accidentia tantummodo sint, nec ipsa profecto, carnem, sanguinem, aut ossa habere possunt. In summa, quisquis recte intelligit, quid caro, sanguis, & ossa significant, verba nostra aliter, quam de illo corpore, quod Christus ex virgine suscepit, accipere non potest.

Secundo adicimus, spiritu, vitaque plenum, vt videlicet Capharnaitarum errorem, atque haesim tolleremus, qui ex Christi verbis, quibus ipse carnem suam hominibus manducandam promittebat, nimis stultum, atque carnalem sensum conceperant, putantes eum, de carne sua mortua, omni spiritu, ac vita carente manducanda, quemadmodum brutorum carnes comeduntur, loqui: At Christus eam se eis cum spiritu, ac diuinitate donare velle dicebat. Spiritus est enim (inquit) qui carnem viuificat, caro siquidem mortua neminem viuificare potest. Quoniam igitur caro mea viuificat, scire debetis, me eam vobis, spiritu, ac vita plenam, cum omnibus, qui in ea absconditi sunt, caelestium diuitiarum thesauris, exhibiturum. Ex his igitur Christi verbis, vocem illam deprompsimus, quam in articulo nostro posuimus. Ad quod etiam conducit vox illa, quae immediate subsequitur, (vitaliter) quae aduerbium est à nomi-

ne (vitalis) quod rem vita praeditam denotat. Ac propterea, vitaliter, actionem quandam, quae absque morte, aut trucidatione fiat, ostendit. Dicimus igitur, Christi corpus in sacramento nostro vitaliter, & praesens esse, & à nobis manducari, hoc est, quod illud absque vlla sui aut laesione, aut trucidatione comedimus. Ipse siquidem admirabile hoc sacramentum ideo adinuenit, & excoGITAVIT, vt per illud se nobis communiticaret, sic vt quantum est ex parte sua, absque vlla sui aut laesione, aut dolore: quantum vero ex parte nostra, absque villo aut horrore, aut nausea ipsum reciperemus, ac manducaremus.

Tertio. Diximus insuper (veraciter) seu vere, vt omnes modos imaginarios, atque phantasticos, quibus Christi corpus in hoc sacramento praesens esse, imaginari possit, excluderemus. Et quia nobis cum huiuscemodi hominibus res est, qui ob primitiuarum disciplinarum, hoc est, Grammatices, Dialectices, atque Rhetorices ignorantiam, natiuam, ac genuinam vocum significantiam non intelligunt, germanam vocis huius (verè) significationem, quantum poterimus, explicare conabimur. Notemus igitur, quod aduerbium illud (verè) ita ex parte rei esse significet, quemadmodum propositio nostra designat, cum res ipsa ex natura sua sic se habere intelligitur, quemadmodum verba nostra significant, etiam priusquam intellectus, aut phantasia nostra operationem aliquam, circa illam habeat. Vnde Dialecticus ait, Propositio est vera, quando ita est ex parte rei, quemadmodum per ipsam significatur. Esse igitur verè, est esse quemadmodum nos dicimus, credimus, aut cogitamus. Quemadmodum, cum dico, coruum esse nigrum, aut niuem candidam, verum equidem dico, quoniam ita omnino ex parte corui est, quemadmodum verba mea significant, imo longe antequam vel sic loquerer. Non enim verba nostra sunt, quae veritatis propositionum nostrarum causa existunt, sed naturalis dispositio, quae ex parte rerum, de quibus loquimur, inuenitur. Quae diligenter obseruanda sunt, vt aduersariorum, qui pro veritatis fidei suae causa, ipsam rem fidem suam, &

non res ipsas, quae creduntur, hoc est, dispositionem, quae in ipsis inuenitur, quae fidei, ac credulitati nostrae consonat, accipiunt, absurdissimi commodius intelligantur errores. Nam quod ad propositionum veritatem attinet, eodem plane modo de propositionibus vocalibus, scriptis, ac mentalibus iudicandum est, cum omnes à rebus ipsis, de quibus loquimur, cogitamus, aut scribimus, veritatem accipiant: Ac propterea siue scripsero, cogitauero, credidero, aut imaginatus fuero, coruum esse candidum, aut niuem esse nigram, id nunquam, propter huiuscemodi fidem, credulitatem, cogitationem, imaginationem, aut locutionem, verum esse poterit, quantumlibet id ita esse cogitetur, credatur, aut dicatur, eo quod ex parte corui, ac niuis, non sic est, quemadmodum nos cogitamus, credimus, imaginamur, aut dicimus. Atque ideo haeretici hic, rerum naturas miris sane modis confundunt, atque perturbant, fidem suam tanquam veritatis causam statuentes, cum res, quae creduntur, & non ipsam fidem, pro causa veritas habeat. Veritas enim, & falsitas, propositionum, affirmationum, atque negationum qualitates, & accidentia sunt, quae in illis, iuxta varietatem dispositionis naturalis, quae in rebus affirmatis, aut negatis inuenitur, causantur; ita vt illa rerum de quibus affirmamus, aut negamus dispositio, fidei, affirmationis, ac negationis nostrae veritatem, ac falsitatem, tanquam causa effectum suum, tempore praecedat: Ac ideo credat, cogitet, dicat homo, quantum, & quamdiu lubuerit, coruum esse album, aut niuem nigram; semper ipsius fides, cogitatio, atque propositio falsa erit, quia haec ipsius fides, cogitatio, aut locutio nihil circa ipsam rerum naturam, aut dispositionem immutare potest, vt sic pro ipsius hominis arbitratu, veritas in illis causetur, ac efficiatur. Ceterum, vt haec iam proposito nostro accomodemus, dico propositionem hanc, (CHRISTI corpus est in sacramento Eucharistiae) nunquam veram esse posse (siue ea scribatur, siue corde credatur, siue ore proferatur) nisi ex parte ipsius corporis, ita realiter sit, quemadmodum credimus, loquimur, cogitamus:

Nam si ita non sit, sed CHRISTI corpus realiter absens existat, sic vt tanta inter sacramentum nostrum, & Christi corpus, quanta inter caelum, & terram distantia sit, (vt praecleari illius Oratoris Bezae verbis vtatur) si ita (inquam) est, nostra certe fides, ac propositio, quibus ipsum ibi realiter existere credebamus, dicebamus, cogitabamus, falsa erunt. Vnde Beza, cum omnibus suis respectibus, imaginationibus, aut quamlibet grandi fide sua, quam in phantastico cerebro suo fabricare posset, nunquam huiuscemodi propositionem veram reddere valeret, nisi ex parte Dominici corporis, talis dispositio inueniatur, qualem fides nostra credit, ac propositio significat. Neque enim subtilis quisquam respectus, aut spectator, rerum visarum naturam immutat, sed ab obiectis visis & contemplatis visus cognitionis accipit veritatem. Tantum abest enim, vt operationes potentiarum cognitiuarum, naturam, aut dispositionem obiectorum immutent, vt potius ediuerso, operationes istiusmodi, atque cognitiones, ab obiectis perfectionem suam accipiant. Ex peruerso itaque philosophiae intellectu, aut certe ex peruerso ipsius vsu accidit, vt Beza auditorum suorum animos sic confunderet, vt ij eum aliquid dicere crederent, cum ipsi CHRISTI corpus in coena sua Caluiniana per fidem existere, ac per nescio quem respectum sibi veraciter diceret exhiberi. Ceterum fides, aut respectus noster, nihil in rei veritate nobis exhibet; sed rerum creditarum aut visarum dispositionem consequitur. Exempli gratia, priusquam hominem quempiam realiter videam, aut respiciam, is visui meo praesens esse debet, quia alioqui visus meus non potest, prout lubuerit, res absentes sibi ipsi praesentes facere. Sic sane & fides nostra eam vim non habet, vt CHRISTI corpus à caelo deponat in terram, vt illud ibi realiter praesens exhibeat, vbi mirificus iste Fidista theoreticus fuerit; sed tum demum vera ipsius fides erit, reclususque eius respectus, si priusquam rem illam credat, aut respiciat, quam ipse credere aut respicere cupit, illa sic in rei veritate se habeat, quemadmodum

*Fidista  
theoreticus  
Beza.*

ipse credit, ac respicit. Cæterum hac de re latius, in Commentario nostro, super illum cœnæ articulum, quem mirificus iste Orator, in præclaris illis orationibus suis Possiaci habitis explicavit, egimus. Hic siquidem illud tårum attingere volumus, quod ad genuinam vocis huius (verè) significantiam, (quam in fidei Maiorum nostrorū articulo posuimus) recte intelligendam faciat. Quo sane verbo, quisquis veram eius significantiam rite intellexerit, facile etiam intelliget, ita omnino ex parte corporis Christi esse, quemadmodum nos dicimus, lōge etiam ante quam vel fides, vel cogitatio nostra vllam circa illud operationē aggressa sit. Atqui hoc sane est, quod illa voce, verè, intelligi volumus. Quod aduerbium quia plerique minus intelligūt nec illius significationem capiunt, facile ab istis impostoribus circumveniuntur. Cū enim corpus CHRISTI sibi verè exhiberi crediderint, in ipsa tamen exhibitione illud verè adesse non credunt. Ita iuxta præclaram eorum fidem, CHRISTI corpus in illorum verè dubia cœna & adest, & abest. O miseris homines omnique lachrymarum fonte plangendos, qui his verborum tenebris & ambagibus se à callidissimis Satanæ ministris offundi deriderique non sentiunt. O mentes Cimmerijs tenebris attriores. Ex ijs aliquot vrgendos aliquādo putavi, vt quemadmodum illud sum (verè) interpretarentur, exponerent. Animaduvertebam enim illos tanquam summos Theologos de hac materia cōfidentissime disputantes, illud verbum in ore semper habere. Sed quid sibi velent, aut in quo sensu illud acciperent, nunquam mihi declarare potuerunt. Tanta illorum simplicitas, ne dicam infantia est, cum singulari temeritate impudentia, vanitate coniuncta. Quæ cum ita sint, nonne ad eos huiuscemodi oratio iure haberi potest? Quæ vos ò miseri cæcitas, quæ fraus, & impostura in hoc præcipitium adduxit? Qualis est ista vestra credulitas, vt à callidissimis hominibus circumuenti, in mortem ac interitum sempiternum concitatissime properetis? Quid vanius ac stultius, quam de sublimibus illis mysterijs, ex quibus animarum salus pendet, vel se differere, cum ipsa verba, quibus vrimini, non intelliga-

tis? Ita nos apud istos aliquoties egimus. Sed ne quis existimet me Rhetoricum in eos iactare sermonem, age, experire ipsemet candide Lector, num hæc ita se habeant. Patet campus, Calvinistarum plena sunt omnia. Ex ijs non idiotam aliquem ac illiteratum, sed doctissimum atque callidissimum quemque aggredere, cum vrge, ac ex eo quære, quid sibi velit, quid significet illud suum (verè) senties eos herere in vado, vt loquuntur, atque ita impeditos, vt ex illis mendacij tenebris, in aliquam veritatis lucem se extricare non possint, imò vero illos ad cō rerum imperitos esse cognosces, vt neque quid verba ipsa significant, intelligant. Nam si istius verbi, verè, vel significationem aliquo modo caperent, vel oratori suo Bezae crederent, qui cū in priori orationis suæ parte dixisset, Christi corpus & sanguinem in illorum cœna verè exhiberi, in extremis per fidem nescio quam, certosque respectus, quos ille fingebat, illud ipsum quod dederat, submouit, ac è medio sustulit. Si igitur corpus & sanguis CHRISTI verè, vt ille dicebat, exhibetur, cur ea realiter, id est, verè adesse non credunt? An tanta illius fidei illorum ve respectuum vis est, vt rerum quæ creduntur ac respiciuntur, veritatem, pro humana libidine mutare possint? Ea igitur Bezae tum egregia fuit oratio. Cui cū adolescentuli ac mulierculæ interessent, illisque verborū fulminibus mouerentur, quàm miserum illud spectaculum fuit, fidem Christianā ira illorum, qui ne ipsa quidem verba possent intelligere per ætatem, lenitati imprudētiaque committi, vt ex eorum iudicijs pendere quodammodo videretur? Sed valeant querimonias, quibus nihil proficitur, vt ad verborum, quibus in nostro articulo vsi sumus interpretationem explicationemque veniamus. Quia in re ita mihi elaborandum puto, vt nullus Lector, modò animum aduertat, ad cō sit idiota, & indoctus, quin Catholicæ fidei veritatem, quod ad horum mysteriorum rationem attinet, ex his nostris scriptis intelligat. Cū igitur huius verbi, verè, rationem superius ostenderimus, reliquum est vt ad rō realiter explicandū veniamus, quod verbum ad totam hanc materiam rite intelligendā, plurimum ponderis habere, non dubium est.

Quarto,

Quarto. In articulo igitur fidei nostre, hæc quoque vocem, realiter, posuimus, quæ ab hac dictione (realis), & realis, à nomine (res) deriuatur. Vt igitur quidnā aduerbium istud (realiter) significet, recte intelligatur, prius, quidnam nomen (res) designet, sciendum est. Nomen igitur (res) quæ voci (nihil) directe opponitur, significat id quod extra causam suam iam productum est, de quo verbū (est) secundum adiacēs, (quemadmodū loquuntur Dialectici) sic dici potest, quemadmodum nunc dicere possumus (mundus est) de quo ante creationē, aut productionem suam, verè dici non potuisset. (mundus est) nisi aliquid amplius ei adderetur: Nam ab hinc sex annorum milibus, falsa fuisset istiusmodi propositio (mundus est), quin potius è diuerso, hæc tum vera fuisset, mundus non est. Res igitur est id, quod est, & nihil, est id, quod non est. Quemadmodum mundus ante creationem suam, nihil vocabatur, sicuti & verè nihil erat. Vnde & ipsum ex nihilo factum credimus, tametsi priusquam in esse produceretur, spiritualiter in mente, atque intellectu opificis sui, Dei nimirum existeret. Ex quo colligimus, res illas, quæ in naturæ alicuius intellectiue spiritui, mente, aut cogitatione esse tantū habent, nihil aliud, quàm vnum purum putum nihil esse: Nam si tota orbis machina, antequam condere-tur, quæ nunc tamen vastissima est, nihil obstante omni illo esse, quod in Dei mente habebat, verè tamen nihil erat, quanto magis quodcumque aliud, quod non nisi in causa sua, siue in mente, aut intellectu hominis, cuiusquam, esse habet, verè nihilum erit? Vnde nec de rosa, quæ in radice, aut planta, donec verno tempore formetur, adhuc existit, ac latitat, dici potest, quod sit res, siue esse aliquod, tum quia extra causam suam nondum existit, tum quia verbum (est) de secundo adiacente, de illa dici non potest. Sic & de domo, quæ in opificis cuiusquam mente fabricata est, dici nequit, quod sit res, siue esse aliquod, eò quod nondum extra opificis mentem producta sit. Res igitur siue esse, nihil ac nihilum opponuntur; ita vt quicquid non est res, verè nihil sit, & quicquid mente tantummodo opificis alicuius existit, aliud, quàm verè nihil esse possit. His ita constitutis,

facile iam intelligere est, quid vox realis, atque realiter, quæ ab illa descendit, significet. Realis igitur, id significat, quod ad rem, seu ad existentiam pertinet, vnde de eo, quod nihil est, verè dici nequit; Realiter verò rationem, ac modum designat, secundum quem res, aut existens aliquod vel in loco est, vel aliquid operatur. Esse igitur realiter, ac habere esse reale, est habere esse extra causam suam, seu extra personam cuiusuis intellectum, ita vt tametsi nullus intellectus, de huiuscemodi re cogitet, nec hominū quicquam respectum ad illam habeat, nec minus propterea tamen esse reale habitura sit, nec eo loco, vbi à causa sua posita est, realiter esse desinet. Hanc itaq; vocem realiter, ideo in articulo nostro posuimus, vt corpus CHRISTI per verum ac reale esse, in hoc sacramento nostro existere declararemus, ita vt illud (esse reale) extra credentis intellectum sit, nec ibi esse desinat, etsi nemo illud ibi esse credat, etsi nemo illud respiciat, etsi nemo quicquā de illo cogitet. Proinde non iniuria erroneam eorum, qui nullam esse corporis CHRISTI, in hoc sacramento existentiam, quàm per fidem, cogitationem, phantasiam, imaginationem, delirationem constituunt, opinionem reijcimus, audacter asserentes omnem fidem, cogitationem, phantasiam, imaginationem, quæ corpus, quod realiter absens existat, nec alibi, quàm in cœlo esse possit, in vlla cœna, quæ hic in terra fiat, cuiquam realiter exhiberi, esse falsissimam, ac eos omnes, qui corp⁹ hoc non nisi per fidem, &c. habere se dicunt, nihil de illo penitus habere, quantumuis interim grandes, atque mirificos respectus faciant. Nam quemadmodum si angelus, ante realem mūdi creationem, ipsum existere credidisset, non ideo tamen propter huiuscemodi fidem mundum ipsum, aut vllam eius partem realiter habere potuisset; sed quantumlibet credidisset, semper mundus nihil fuisset; sic quantumlibet Beza, aut credat, aut grandes respectus suos formet, si Christi corpus, nusquam nisi in cœlo est, quemadmodum ille contendit, nullum profecto ipsius esse reale, nullam realem eius exhibitionem in cœna sua vnquam habere poterit, sed ipsius nihilum possidebit: At si ille corpori Dominico (quod

Aa 4 realem

realem presentiam suam, alibi, quam in caelo, secundum ipsum, habere non potest) aliud esse reale, sua fide dare posset; eadem profus ratione mundum alium esse credendo, cum creare atque in esse producere, ac esse reale ei tribuere posset: Aut si priusquam caelum crearetur ille fuisset; credendo dumtaxat, caelum per fidem sibi exhiberi, mirifica illa fide sua caelum creasset. Ceterum fides, aut cogitatio (O boni viri) rerum naturas, aut substantias neque creare, neque mutare potest, sed naturam, atque esse suum, iuxta rerum quae sunt in esse, dispositionem accipit, quarum dispositioni, ac naturae, se ut vera sit, conformet, necesse est. Ita eam falsam esse non dubium est, quotiescumque eas aliter, quam in rei veritate, realiter, & de facto sint, esse crediderit. Cur ergo auditoribus vestris tam absurdos errores obrudendo, eos ita misere fallitis atque decipitis? Nam si nihil, nisi per fidem habetis, vos certe nihil habetis, vos nullum CHRISTI corpus, nullam eius substantiam, in phantastica coena vestra possidetis. Nota igitur diligenter (amice Lector) quid sit res, quid realiter, quid & nihil, tum ut commodius ea quae dicimus, intelligas, tum ut facilius illusiones, ac fraudes, quibus novelli isti Sacramentarii rudes, atque ignaros misere circumveniunt, deprehendas. Hoc itaque adverbio (realiter) omnes existentias imaginarias, cognitivas, ideales, atque intellectuales rejicimus. Ceterum haec familiaribus exemplis paulo uberius declaramus, ut sic ea quae dicimus, quilibet rectius intelligat. Cum igitur hominem in speculo intueris, nullum verum hominem cernis, nec esse illud, quod homo in speculo habet, verum, ac reale esse dici potest, eo quod realis ipsius existentia extra speculum sit. Unde si quis diceret, hominem verum ac realiter in conclavi presentem esse, quod eo per plateas transiente, in speculo, quod in praedicto conclavi sit, representatus fuerit, is certe mea quidem sententia, splendide mentiretur. Nam existentia eius realis, tam extra speculum, quam illud conclavem, constituta est. Quod autem speculum corporalibus est oculis, ut res corporeas absentes ipsis representet, hoc oculis intellectualibus sunt rerum absentium Ideae, ac spirituales formae, quae in memoria re-

manet, quas intellectus noster inspicit, cognitiones suas intellectivas concipit. Ceterum res ita intellectui nostro per ideam suam representata, & cognita, nullam, propter quamcumque huiusmodi representationem, existentiam, aut presentiam realem habet. Verbi gratia, domus, aut aedificium, quod architectus quispiam aedificare meditatur, priusquam extrinsecus illud construat, domus quaedam spiritualis, (quam ideam vocamus, quae & futura domus veluti exemplar, atque imago est, secundum quam architectus, opus suum extrinsecum dirigit) in ipsius mente, atque intellectu edificatur atque constructur. Verum cum opifex quisquam huiusmodi spiritualem domum, in mente sua extruxerit, nullam atque adhuc veram, ac realem domum consequutus est, imo nihil penitus de vera, ac reali domo tenet. Ita ut si quis eum veram, atque realem domum habere contendat, quia in mente sua eam ita fabricavit, realiter mentiretur, et si mendacium huiusmodi defendere peristeret, aut in summis Alpium iugis, aut in gelidissimo Norvegiae lacu, media hyeme in Ideali, ac spirituali hac domo hospitari cogendus esset, donec huiusmodi domum nihil esse, clara, atque ingenua voce pateretur. Quae ut aduersariorum errorem rectius intelligas, diligenter notes, velim: Nam si Christi corpus a coena in rei veritate abest, ita ut nullum aliud ibi esse habeat, nisi illud, quod ei intellectus noster per fidem, aut cogitationem fabricare potest, nullo sane modo illud aut in coena esse, aut actionem circa ipsum aliquam realem fieri posse dici potest, non magis, quam circa hominem, aut in speculo representatum, aut in mentis cogitatione, vel Idea figuratum, quem neque realiter occidere, neque manducare possis, quantumuis excellentes de eo representationes, atque cogitationes habueris. Ex quibus intelligitur, quod si CHRISTI corpus, nullum aliud, aut esse, aut presentiam in coena habet, nisi illam, quam hominis fides, aut phantasia ei conferre possit; nullam plane ipsius, aut substantiae eius, realem manducationem, aut exhibitionem fieri posse, quantumuis grandem interrim fidem, aut magnos respectus ad ipsum habeas: Exempli causa, hominem aliquem mente captum finge,

qui

qui cum aceto rosaceo, aut certe synapio, sydera in prandio suo se manducare, pro certo credat, & cogitet. Cum igitur stellae tantum ab illius mensa distent, quantum caelum a terra, illum propter quantumcumque grandem huiusmodi fidem, nullam alicuius stellae partem realiter comeditisse, sed omnem hanc eius fidem falsam esse, perspicuum est. Ita & istis visum venit, qui cum tanta inter Christi corpus, & mensam suam, quanta inter stellas, & terram est, distantiam constituent; nihilominus tamen propter voracem fidem suam, realiter CHRISTI corpus, in coena sua sibi exhiberi credunt. Quam sane fidem, falsissimam, atque adeo absurdissimam esse, confidenter sane pronuncio. Nam circa res, realiter absentes, nulla plane realis actio fieri potest. Dicere enim rem aliquam, sic realiter absentem esse, ut eam impossibile sit, ibi esse presentem, ubi realis eius exhibitio fieri dicitur, quid aliud est, quam duo simul contradictoria, quae se mutuo evertant, asserere? Sibi enim, quemadmodum ipsi perhibent, Christi corpus, in coena sua verum exhibetur, & ab ea nihilominus verum inquit absens est. Quomodo haec sibi constare possent? O mortuum in solas terras merito deportandum. O detestabilem praestigiatorem, qui sic rudium, atque simplicium animos, astutis suis eludit, fascinat ac evertit, ut duo simul contradictoria, Christi videlicet corpus, simul realiter in coena & praesens, & absens esse persuadeat. Quid aliud est hoc, quam contra hanc primo, ac uniuersaliter veram propositionem, (De quolibet affirmatio, vel negatio, & de nullo ambiguntur) ex diametro concludere? Ceterum quoniam in commentariis nostris, super articulum coenae Bezaicae, seu Calvinianae, multo copiosius de absurdissimo hoc errore tractauimus, querimoniam hanc nunc missam facere volo, ut coeptam vocum nostrarum interpretationem celerius expediam. Neque vero candidum Lectorem aegrelaturum existimo, quod in aduersarij huius (realiter) elucidatione tam diu morati sumus, maxime cum tantus ex ea fructus emanet, cuiusmodi est recta fidei nostrae intelligentia, ac certa erroneae aduersariorum opinionis euerfio. Quae

opinionem imo insaniam, ut breui compendio refellere possimus, veram carum vocum, quibus ipsi vtuntur, intelligentiam consequi abunde suffecerit, cum primis tamen voces istae, verum, realiter, ac spiritualiter, sub quarum inuolucris, erroris sui tenebras imperito sine Lectori sine Auditori abscondere moliantur, diligenter cognoscendae sunt.

Quintò. Quid vox ista spiritualiter significet. Cum promissoria sacramenti huius verba explicaremus, diximus, quod in sensu vocem hanc (spiritualiter) acciperemus, cum Christi corpus, eo in sacramento realiter, simul ac spiritualiter praesens esse dicimus, at hic nihilominus aliquid de ea voce dicendum est. Nemo itaque sani rectique iudicij, duas istas voces (realiter) & (spiritualiter) in una, eademque propositione copulatiua coniunctas videns, in huiusmodi propositione vocem illam (spiritualiter) sic accipi, ut voci (realiter) opponatur, sed in eo potius sensu, qui dictioni (realiter) eueniat, iudicabit. Improbe siquidem & malitiose eius qui dicit, rem aliquam in certo loco, realiter, ac spiritualiter, esse, verba sic exponuntur, ac si ille, eam ibi realiter, & non realiter esse, diceret. Antiqui Ecclesiae patres, Christi corpus in sacramento nostro spiritualiter, simul ac realiter esse dixerunt. Nos proinde non ita malitiose esse debemus, ut eorum verba sic interpretemur, ac si illi repugnantia dicerent. Id quod tamen faceremus, si illud ipsorum spiritualiter, pro eo quod (realiter) opponitur, acciperemus. Quare, ut illorum fidem aperte monstremus, dicimus, eos his vocibus (realiter) & (corporaliter) uti, contra id genus haereticorum, qui realem corporis Domini ab hoc sacramento absentiam asserbant; ac rursus vocem (spiritualiter) vsurpasse, ut aliud genus, carnales nempe Capharnaitas profigerent, qui existimabant, Christum de eo manducationis genere locutum, quo Canabales, ac alij Antropophagi etiamnum cruentas hominum carnes deuorant. Illi siquidem hominem a se viuum captum, primo crudelissime occidunt, deinde assatum in frustra dilaniant. Sed longe aliter Christus, qui longe excellentiori modo, quem & pro diuina sapientia ex-

cogita-

cogitare, & pro omnipotentia in opus conferre posset, carnem suam non mortuam, in cadaveris modum; sed vivam, hoc est, spiritu, ac vita plenam, absque villo, aut sui detrimento, aut horrore nostro, verè, ac realiter eam nobis manducandam exhibere cupiebat. Hæc igitur manducandi ratio spiritualis dicitur, propterea quod eo modo fit, quo spiritus operationes suas peragunt, inuisibiliter nimirum, insensibiliter, atque immortaliter: Nihilominus tamen spirituum operationes reales sunt. Sic & Christi corpus, cum iam per gloriosam resurrectionem suam, spirituale effectum sit, eo modo, quo angelus, siue spiritus, operationes suas exequitur. Vnde cum alicubi spiritualiter existit, non ideo realiter ibi esse definit, quamvis neque videatur, neque audiat, neque sentiat, neque tangatur à nobis. Hic igitur sensus est, in quo vocem hanc (spiritualiter) hic accipimus, qui talis profectonon est, vt realem Dominici corporis præsentiam, aut manducationem, sed visibilem tantummodo, perceptibilem, ac carnalem remoueat. Porissima autem, cur veteres patres ea voce vsi sint, occasio fuit, nimium hebes, atque rudis quorundam Christianorum intellectus, qui simul atque audierint, CHRISTI corpus in sacramento nostro realiter præsens esse, statim visibilem, atque carnalem, nescio quam ipsius præsentiam imaginantur, atque concipiunt. Quare vt falsam huiuscemodi imaginationem illis adimerent, vocem hanc (spiritualiter) cum ista (realiter) sapientissime coniunxerunt. Sed quoniam aliqui eos realè dicti corporis præsentiam negare, cum de hac spirituali loquerentur, fortassis arbitrati fuissent, rursus vocibus istis (realiter & corporaliter) vtendum fuit. Quorum vestigia secuti, nos quoque eadem de causa hæc verba coniunximus, ne quis non de ea spirituali præsentia, quæ per fidem tantummodo, aut per intellectum existit, quam & ei quod est esse realiter, ac falsam præsentiam esse monstrauimus) sed de ea tantum, quæ illi præsentie aduersatur, ac repugnat, quam in phanatico cerebro suo stulti Capharnaitæ imaginabantur, nos loqui arbitraretur. Illi siquidem non existimantes à Christo

modum alium, quo carnem suam hominibus manducandam exhiberet, præter carnalem illum, qui hominibus beatisque communis est, excogitari posse, ita carnaliter sentiebant. Cæterum ipse ostendere voluit, se alium realem, carnem suam manducandi modum, atque rationem scire, quæ carnali illi, in nullo prorsus similis esset, tametsi hæc, non minus, quam illa, realis, ac vera esset. Id quod ita omnino esse credimus, vnde & vocem spiritualiter, in articulo nostro posuimus, vt prudens Lector intelligat, nos neque præsentiam visibilem, neque cruentam carnis Dominicæ manducationem, quemadmodum Iudæi arbitrabantur, neque huiuscemodi spirituales, quæ imaginaria, ac per fidem tantummodo est, quemadmodum aduersarij somniant, sed huiusmodi spirituales statuere, quæ simul & realis existat. Quæ & ob hoc tantummodo spirituales dicimus, quod neque visibiliter fiat, neque sensu villo carnali, aut corporeo appareat, eo quod Christus corporis, & sanguinis sui maiestatem, sub visibilium formarum panis, ac vini velo celauerit, propterea quod alioqui impossibile erat, vt nouus ipsius populus ei appropinquaret. Cur id? quia nihilo amplius oculi nostri carnales, tantam maiestatem, in propria forma contueri possent, quam populus quondam Israëliticus Moyfi faciem, quæ ex Dei consortio, quo aliquamdiu ille vsus fuerat, glorificata fulgebant. Quod si populus ille in faciem Moyfi respicere non poterat, quis Christi corpus diuinitati coniunctum, ac ineffabili gloria absorptum, omnique solè splendidius, contueri valeret? Quis vnquam nisi illud, sub aliena forma velasset, ipsi appropinquare potuisset? Vnde qui CHRISTVM in hoc sacramento sub propria forma non apparere cõqueruntur, nesciunt certe, quid petant. Nam vt ita se transformaret, omnino necessarium erat, quando quidem, eum in rei veritate recepturi eramus. Hæc itaque transfiguratio, voce ista (spiritualiter) quam cum aduersario (realiter) in articulo nostro coniunximus, nobis innuitur, quæ sane vox (spiritualiter) recte intellecta ad hoc conducit, vt omnia Doctorum loca facile conciliantur, quæ ob hoc

hoc solum inter se pugnare videntur, quod ipsi corpus Dominicum in sacramento nostro alibi realiter, alibi vero spiritualiter esse dicat. Verum cum vox illa sic explicatur, quemadmodum eam in articulo nostro accipimus, nihil quod ad materiam hæc, repugnantia in illorum scriptis esse reperietur. Neque enim (si quod verum est, ingenue fateri velimus) aliunde, quam ex mera genuinæ significationis huius vocis ignorantia factum est, vt aduersarij, eorum, quos misere seducunt, ingenia sic confundant, ac perturbent, vt quid pro certo credendum sit, nesciant.

*Quid significet vox Sacramentaliter.*

Hanc insuper vocem (sacramentaliter) non frustra, in articulo nostro posuimus, quia ipsa eo nobis conducit, vt realis existentia, atque præsentia corporis Dominici, de qua nunc loquimur, qualitatem commodius intelligamus: Quocirca notandum est, nos vocem hanc Sacramentaliter, non sic accipere, ac si aduersario (realiter) repugnaret, sed vt determinatio quædam sit, existentiam hæc ab aliarum rerum existentia distinguens: Quemadmodum igitur res ac sacramentum sibi mutuo non repugnant, sic nec aduersaria realiter, & sacramentaliter. Nã sacramenta res quædam veræ sunt, ac ideo esse sacramentaliter, est esse realiter, & non fide, aut cogitatione tantum existere. In primis autem notandum est, sacramentum apud Latinos, militare iurandum esse, quo milites in bello, se imperatori suo fideles fore, nec vnquam hostibus se vlla ratione cessuros esse, promittunt. In hac autem significatione baptismus proprie sacramentum dicitur, in quo nomen dantes, & Christo nos fideliter militaturos esse promittimus, & diabolo capitali eius inimico abrenunciamus. Porro quid vox ista apud prophanos scriptores denotet, prætereundè hic iudicamus, vt quid Theologis ea designet, copiosius explicare possimus. Hi ergo sic eam accipiunt, vt fidei nostræ mysteria significet. Porro mysteria, ceremoniæ quædam, quæ in honorem Dei fiebant, dicebantur, quarum rationem, nemo, præter sacerdotes, nouerat. Hæc proinde res erant occultæ, secretæ, teçtæ, absconditæ. Ac propterea sacramentaliter, modum illum denotabit, quo res a-

liqua, secreta, & occulte in aliquo loco existat, aut eo certe modo, quo existentia ipsius ratio nulla reddi queat. Cum igitur corpus CHRISTI in Eucharistia sacramentaliter existere audimus, tantundem est, ac si nobis diceretur, ipsum realiter quidem ibi esse; sed inuisibiliter, & teçtæ, ac eo plane modo, cuius nullum humanum ingenium rationem reddere valeat. Vnde hæc vox ad refellendas inanes Quomodistarum quæstiones, valet plurimum. Isti enim nos per suum (Quomodo) aggredi solent, quærentes: Quomodo est Christus in sacramento nostro? aut quomodo ibi esse potest? Quibus respondendum est, hoc sacramentum, ac mysterium esse, nec quilibet proinde eius rationem posse reddere, ac his proinde superfedant, scientes, vocem hanc silentium ipsis imponere, taciteque eos admonere, ne ipsi sua hic (Quare) aut (Quomodo) aut suas quælibet alias philosophicas argutias objiciant, sed vt cum omni timore, ac silentio, tam sublimia Dei mysteria reuerantur, & adorent, quibus iuxta Tertullianum, silentij fides deberetur: Eusebius in libro suo de præparatione Euangelica refert, in sacris Serapis, ac Isis ceremonijs, simulachrum quoddam fuisse, quod digitorum ori apponens, astantibus silentium quodammodo imponere videretur. Vox proinde hæc, sacramentaliter, ad hoc in articulo nostro posita, id agit, quod simulachrum illud in Gætilium ceremonijs admonerat. Cupio enim, vt quisquis illam vel legerit, vel audierit, statim silentium sibi imponi, ac ne huiuscemodi quæstiones, verè irreuerentiæ signa, (quæ sua incredulitas, atque adeo curiositas ei suggerit) deinceps amplius moueat, sibi prohiberi intelligat, sed vt cum omni pietate, reuerentia, ac silentio, ea salutis, ac reparationis nostræ remedia, quæ nobis applicanda, filius Dei instituit, ac præparauit, audiat, sciens abunde satis nobis esse, quod remedia nostræ cognoscamus, ac suscipiamus, etiam si ad hoc medicum non impellamus, vt nos arte suam doceat, neque quomodo, aut quæ ratione remedia illa instituerit; aut præparauerit, curiose discere studeamus: si que pari fide, atque reuerentia spirituales medicinas, qua corporales, recipiamus. Sacramentum itaque, ac mysterium,

& si-



& silentium nobis imponunt & fidem, ac reuerentiam tantum à nobis exigunt. Hoc proinde est, quod de vocis huius, Sacramentum, etymologia adnotare debemus: Ceterum quod ad eius diffinitionem attinet, sciendum est, sacramentum rei inuisibilis visibile signum esse, quæ nobis illud suscipiendo realiter communicatur. Verum animaduerte diligenter, quemadmodum illud, signum nuncupemus: Nam & absentium, & presentium rerum signa sunt. Sunt & signa vera, & signa falsa: Signum (aunt Dialectici) est quid visibile, in incognita, & occulta rei noticiam nos ducens. Est signum, quod ex natura sua aliquid significat, vt iris signum est pluuiæ, & infirmi gemitus, signum est doloris. Est & signum, quod ex impositione significat, quemadmodum hederæ circulus, signum est vini vendibilis. Verum signum est, quod ita significat, quemadmodum res sese habet. Falsum vero signum est, cui res per ipsum significatæ non respondent, neque consonant. Nunc itaque proposito nostro hæc accommodemus, ac sacramentum nostrum, verum signum, non naturale, sed ex Dei institutione, vt rem non absentem, sed presentem significet, esse doceamus. Esse igitur aliquo in loco sacramentaliter, erit esse quemadmodum res quæpiam occulta, & inuisibilis, quæ signo visibili, & externo præsens esse denotatur. Ceterum aduerte nos dicere, sacramentum esse verum signum, ac ideo oportere, vt res per ipsum significata realiter præsens sit. Nam quemadmodum hederæ circulus præforibus œnopolij suspensus, vt vinum vendibile ibi esse indicet, falsum signum est, cum nihil, ea in domo, vini est: ita & sacramentum nostrum, falsum signum esset, nisi reali corporis Domini præsentia, ad quam designandam institutum est, muniretur. Hac autem elucidatione, ac signorum distinctione, haud difficulter veterum patrum, cum sacramentum istud, signum esse dicunt, mentem atque sententiam intelliges, facileque eos, qui ipsum figuram, atque signum esse negare videntur, cum illis, qui illud figuram, & signum esse asserunt, conciliabis. Nam illi qui ipsum figuram, aut signum esse negant, ipsum rei absentis signum non esse intelligunt: illi vero,

qui illud signum & figuram esse dicunt, ipsum corporis Domini realiter, ac vere presentis signum esse intelligunt. Mirum dictum, quantopere hic fidei nostræ aduersarij laborant, vt sacramentum istud ab antiquis patribus signum, aut figuram dictum esse doceant, si id efficere possint, causam hanc se pro certo euicisse credentes. Porro cur tanto se labore discruciant, præsertim cum nemo nostrum non illud signum vocitet? Siquidem primum quodque verbum, quod in eius diffinitione ponimus, est signum. Sacramentum (dicimus) est gratia inuisibilis visibile signum. Ne igitur (ò Beza) in peruolurandis libris te ipsum vano labore conficias, vt testimonia, quibus sacramentum nostrum, signum esse demonstras, hincinde mendicces. Nam id primum est, quod de eo dicimus. Ceterum nos signum, non quemadmodum tu, rei absentis, sed presentis accipimus. At nemo interim veterum patrum (quod diligenter hic adnotandum est) inueniri potest, qui sacramentum istud, rei absentis signum appelleret. Fateor equidem Diuum Augustinum, illud nunc signum, nunc figuram, Tertullianum vero figuram, ac rursus Dionysium signum vocare, sed quo in sensu? In eo, vt signum, pro rei absentis signo accipiatur? Minime verò. Sed pro rei presentis signo: Dionysium in primis, se ipsum exponente, vt quomodo illud accipiat, intelligatis, audite. Sed & illud quoque sacratius (inquit) intueri, quod impositis sancto altari venerabilibus signis, per quæ CHRISTVS & signatur, & sumitur, ad est protinus, atque incunctanter, sanctorum descriptio. Tertullianus vero ait, Christum, corporis sui figuram ex pane confecisse, hoc est, corporis sui sacramentum: Ibi enim ad designandum sacramentum, ipsius nominis (sacramenti) genus, quod est signum, siue figura, accipit. Vnde & nos Christum, duo, ex pane, corpus videlicet suum, ac corporis sui sacramentum confecisse dicimus. Nā panis, qui ante benedictionem, neque sacramentum, neque CHRISTI corpus erat, vi consecrationis vtrumque efficitur. Ipse igitur & signum est, & figura, quia suis accidentibus, ac formis visibilibus, ad realem Domini corporis presentiam cognoscendam nos adducit, est & ipsa

veritas,

veritas, quia ex ipsius substantia, corpus Domini vere conficitur. Ac propterea duo in pane esse, nimirum ipsius accidentia, ac eius substantia, bene intelligamus, necesse est. Siquidem ex eius accidentibus, Domini corporis sacramentum, signumque conficitur, ex ipsius autem substantia, ipsummet Christi corpus, per transubstantiationem, diuino rû verborum operatione perficitur. Quod fit, vt veteres ipsum, figuram, siue signum, & veritatem ipsam nominent, quemadmodum Paschasius in libro suo de Eucharistia, quod cum dixisset, quod quemadmodum in Christi incarnatione, ex sanguini virginis substantia, Domini corporis substantia supernaturaliter operatione spiritus sancti confecta est, ita ex panis substantia, eiusdem spiritus sancti operatione, Domini corporis substantia conficitur. Vnde postea quam hæc Christi verba recitauit, Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, ad extremum ita concludit: Vbi profecto (inquit) non aliam, quam veram carnem dicit, & verum sanguinem, licet mystice. Vnde quia mysticum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus. Sed si figura est, quærédum, quomodo veritas esse possit? Omnis enim figura, alicuius rei figura est, & semper ad eam refertur, vt sit vera, cuius figura est. Nā figuræ veteris testamenti umbras fuisse, nemo qui sacras literas legit, ambigit. Hoc vero mysterium aut veritas est, aut figura, ac per hoc umbra est, aut certe quærédum est hoc totum, vtrum veritas dici queat siue falsitatis umbra, quamuis mysterium, huiusmodi res appellari debeat. Sed figura esse videtur, dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quæ quod visu carnis, & gustu sentitur, dumque vinum in calice simul cum aqua miscetur. Porro illud fidei sacramentum, iure veritas appellatur. Veritas ergo, dum corpus Christi, & sanguis, virtute spiritus, in verbo ipsius, ex panis vini que substantia efficitur. Figura vero, dum sacerdos quasi aliud exterius gerens, ob recordationem sacræ passionis, ad aram venit, & quod semel gestum est, quotidie immolatur agnus. En quemadmodum eximus iste doctor, sacramentum nostrum, signum seu figuram, ac veritatem ipsam simul esse dicit. Anselmus quoque in libro de Diuinis officijs, de huius sacramenti pane tractans, his consentanea ponit, his verbis: Quan-

do accepit in manus (inquit) panis erat; Sic enim dixit, Accipit panem, &c. Et per illam benedictionem, panis fit corpus Christi, non tantum significatiue, verum etiam substantiue. Neque enim ab hoc sacramento figuram omnino excludimus, neque figuram solam admittimus. Veritas est, quia corpus Christi est: Figura est, quia immolatur, quod incorruptibile habetur. Consideremus verba Domini: Manducate (inquit) ex hoc oēs, hoc enim, quod vobis ad manducandum trado, est corpus meum. Et vt certi essent, quod re vera erat corpus Christi, signa expressit, quibus hoc dignoscere possent, Hoc est (inquit) corpus meum, quod pro vobis tradetur. Si hoc corpus Christi, non substantiue, sed figurate tantum fieret, hoc figura corporis Christi tantum existeret. Nihil ad figuram, quod sequitur, Quod pro vobis tradetur: Nec panem nominauit, postquam panem benedixit, sed corpus: nec vinum nominauit, postquam vinum benedixit, sed sanguinem. Igitur, sicut fides Catholica credit, panis, qui offertur sacerdoti ad consecrandum, per sacerdotalem consecrationem fit corpus Christi, non significatiue tantum, sed substantiue. Hactenus ille. Vides igitur quemadmodum & iste doctissimus vir cum nostra oratione consentiat, panis scilicet ac vini species, Domini corporis & sanguinis, non absentis, sed presentis figuræ, & signa dici. Hæc proinde interpretationem, si diligenter memorie madaueris, oēs aduersariorum obiectiones, quas ex veterum patrum, qui mysteria nostra non nunquam signa & figuræ appellant, libris proferunt, absque villo negotio refutabis. Nam ea ratione quæ & nos exposuimus, & ipsimet expli- cant, ita mysteria non nunquam appellant. Plurimos equidem vidi, qui magno opere sudarent, vt huiusmodi patrum auctoritatibus responderent, easque ita exponerent, vt cum Dei verbo conciliarent: ceterum in modo ea, quæ hic tibi tradimus, sedulo amplexus fueris, non solum omni labore molestiaque liberaberis, verum etiam omnibus alijs similibus argumētis, quæ aduersarij tibi obijcere possent, absque vlla difficultate respondere poteris. Quinimo si singularem vocem, quas in nostro articulo collocauimus, interpretationem memorie madaueris, omnibus quæ hac de re aduersus fidem nostram obijci possint, questionibus, quæ facillime satisfacere poteris. Nā veritatem ipsam ita

Bb clare

clare intelliges, vt ipsius splendor, cuiuslibet contrarij erroris tenebras haud difficulter profligaturā sit.

7. *Quid significet vox, substantialiter.*

Quibuscumque modis vox (substantia) significare potest, iisdem & eius aduerbium (substantialiter) significabit. Verum nos in articulo nostro illud accipimus, prout descendit à substantia, cū ipsa rem per seipsam subsistentem significat, hoc est, quæ non sit accidens, quod alij inhæreat. Atqui substantia hoc modo accepta, proprie est, aut quod per genus, & differentiam; aut per materiam, & formam ostenditur. Substantia igitur est, quæ ab ea re, cuius substantia est, separari nequit, accidens autem à subiecto suo præter eius corruptionem facile separari potest. Equidem sæpe miratus sum, Calvinistas in cœnæ suæ articulo, ipsam corporis Dominici substantiam collocare, sibi que re ipsa in cœna sua exhiberi somnari, cum tamen ipsum corpus, nusquam nisi in cœlo esse posse contendunt. Neque enim fieri potest, vt corporis substantia alibi sit, quàm vbi ipsum corpus existit: neque corpus alibi esse potest, quàm vbi eius substantia fuerit. Cùm igitur dicimus, CHRISTI corpus substantialiter in nostro sacramento existere, propriam ipsius substantiam, & non ipsius effectum tantummodo, gratiam, virtutem, aut eius accidens, qualitatem, ue aliquam, neque imaginem, figuram, aut similitudinem, quæ ipsum repræsentet, ibi esse dicimus.

8. *Quid de signet vox, corporaliter.*

Tanta est aduersariorum incredulitas, vt ad explicandam fidei nostræ veritatem, pluribus quàm vellems verbis vti cogamur. Inter cætera autē, vix sane eis inculcari, persuaderi ve potest, verū Christi corpus in nostro sacramento realiter existere. Posteaquam igitur illud ibi substantialiter esse monstrauimus, addimus etiam & corporaliter, vt illum hoc verbo ibi in suo, ac naturali corpore esse doceamus. Id quod ex Diuo Paulo sumpsimus, cum ait, cum, qui sacramentum hoc indigne suscipit, Christum in suo corpore offendere. Idem quoque Apostolus cū diceret, Diuinitatē in Christi corpore realiter inhabitare, hac etiam voce (corporaliter), vsus est, sic inquit: In ipso inhabitabit omnis plenitudo diu-

1. Cor. 11.

nitatis corporaliter. Eadem insuper voce B. Cyrillus in Ioannem vsus est, cum ostenderet, quemadmodū nos Christo, non solum per fidem, & charitatem spiritualiter, verum etiam per realē corporis sui cōmunionem corporaliter vniti sumus. Cæterum quia eius verba admodum præclara sunt, hæc subiicere non grauabor. Nō negamus (inquit) recta nos fide, charitateq; sincera Christo spiritaliter coniungi. Sed nullam nobis cōiunctionis rationem secundum carnē cum illo esse, id profecto pernegamus; idque à Diuinis scripturis alienū dicimus. Quis enim dubitauit, Christum sic vitæ esse, nos vero palmites, qui vitā nobis inde acquirimus? Audi Paulum dicentē. Quia oēs vnum corpus sumus in Christo, Quia etiam multi sumus, vnum tamen in eo sumus. Omnes enim de vno pane participamus. An forte putat nobis ignotā mysticæ benedictionis virtutē esse? Quæ cū in nobis fiat, nōne corporaliter quoq; facit cōmunicationē carnis Christi, Christum in nobis habitare? Hæc tenus Cyrillus. Non est igitur dubium, quin de tali habitatione Christi in nobis hic agat, qualis est diuinitatis in Christo, vt ex ea, ipsum de reali inter nos, & Christum secundum corpus cōiunctione verba facere intelligam. Sed & libro vndecimo, capite vigesimo septimo tantundem refert. Corporaliter (inquit) filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vnitur, spiritaliter autem vt Deus, sui spiritus gratia nostrum ad nouam vitā, & diuinæ naturæ participationem, spiritū redintegrans. Id de corporali carnis Dominicæ in nostro sacramento præsentia satis clare dictum est, cuius participatione, ac receptione (inquit) Christus nobis secundum carnem vnitur.

9. *Quid denotet vox, personaliter.*

Necesse erat, vt in articulo nostro vocē (personaliter) collocarem, vt per eā, Christū in nostro sacramento, in propria persona sua existere demonstrarem. Vt sic nimirū ostenderemus, nos credere, totū Christū, absq; vlla corporis, aut sanguinis sui separatione, in propria persona, etiā sub qualibet exigua hostiæ particula existere, quia immortalis, ac impassibilis est, ita vt quisquis sub vna specie eum recipiat, totum integrum recipiat. Vnde ipsius sub vtraque specie receptio, non alia

alia de causa, quam vt efficacius mortis ac passionis eius memoria repræsentaretur, instituta est, vt dum sanguis velut ab eius corpore separatus consideratur, ea separatio, quæ in eius passione ac morte facta est, memoriæ tenacius infigatur, ac repræsentetur exactius. Cæterum vocem istam (personaliter) ex promissorijs Christi verbis sumpsimus, quibus ipse ait. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, &cæt. Quibus verbis de propria sui ipsius persona loquitur, eo quod pronomen istud (ego) integram eius, qui loquitur, personam, & non aliquam partem eius partem denotat. Vnde & alibi ipse ait. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo: Cū hic dicit, se in eo manere, qui ipsum receperit, pariter satis, hoc pronomine (ego) se de tota persona sua loqui innuit. Quò factum est, vt Maiores nostri, se in hoc sacramento, totam Christi personam, sub qualibet specie recipere, semper crediderint. Vnde & ipsū sub vtraq; specie sumi, nequaquam necessarium esse arbitrabantur, nisi à sacerdote missam celebrante, quoniam is tū Dominicam cœnā expressius repræsentat, quemadmodum alibi vberius ostendimus. Verum qui ampliorē vocis huius (personaliter) elucidationē habere desiderat, eā ex ijs, quæ superius, dū promissoria Domini verba interpretamur, diximus,umat. Ad hæc in articulo nostro, transsubstantiationis mentionem fecimus, verū nos de ea suo loco, ita copiose egimus, vt hic rursus eadem inculcare, superuacaneū esse videatur. Reliqua vero, quæ in articulo nostro posita sunt, ad id valēt, vt clarius ostendamus, nos non de alio, quàm de eo Christi corpore agere, quod de virgine natū, pro nobis morti traditum, ac sepultum, tertia demum die à mortuis suscitātū est, ascendensque in cœlū, sedet ad dexteram patris, vbi & ad finem vsq; sæculi perpetuū residet; ita tamen vt propterea sub sacramento nostro, ad extremū vsq; iudicij diem nobiscum esse non desinat, sic vt ipsum & in cœlo cum angelis, ac cæteris beatis, & in terra, sub sacramento nostro, vbicumq; consecratio fiat, nobiscum esse credam. Quæ omnia in articulo nostro, aduersus arrogantes ac temerarios istos diuinæ potestatis mentores atq; Geometras expresse

posuimus, qui ipsam, ad humanæ potentie funiculum metientes, quoniam secundum naturæ ordinem fieri nequit, vt vnum, ac idem corpus simul in pluribus locis existat, nec id proinde diuina virtute fieri posse arbitrantur. A quo nos sane Christiani plurimū abhorremus, quippe qui Dei potentiam, ac virtutem infinitam esse credim. Quo fit vt nullo humano ingenio (quod nō modo finita, verum etiam exiguæ capacitatis est) vnquam metiri, aut comprehendere queat. Neque vero satis intelligo, quemadmodum ea infinita esse cognoscatur, si supra naturæ ordinem nihil possit. Vnde nos Catholici scripturam sacram, atq; Apostolicū symbolum insequentes, Deum omnipotentem, ac cœli, terræque conditorē esse libera voce profitemur. Hæc igitur totius fidei nostræ, ac Maiorum nostrorum, totiusq; Ecclesiæ Catholicæ de hoc sacramento summa est, hæc ipsa veritas, quam à nobis ex purissimo certissimoq; verbi Dei fonte hausitam, omnibus, qui eam sitiunt, clare simpliciterque proponimus, Nec vt aduersarij fumos vendimus, sed ipsum veritatis aditum digito demonstramus.

*Cur in fidei nostræ articulo non ponamus vocem (per fidem) quæ tam frequenter vsumur aduersarij.*

#### CAPVT CXXIII.

NOS multis de causis, in articulo nostro, CHRISTI corpus, sub sacramento nostro, per fidem esse, nec diximus, nec posuimus. In primis, quia in fidei articulis nihil, quod nō ex ipsis scripturarum fontibus hauriatur, ponendū est. Nusquam autem in tota scriptura, cum de hoc sacramento agitur vox ista, (per fidem) inuenitur. Neq; enim Christus, neque Euangelistæ, neque D. Paulus, neque veterum quisquam patrum ea vnquam vsi sunt. Imò nec vllum quidem verbū vsquam dixerunt, vnde vox illa, ad existentiā corporis Christi, in hoc sacramento determinandam, colligi possit. Consequens igitur est ea non esse vterdum: Neq; enim Christus vnquam dixit, Hoc est corpus meū per fidē. Hic est sanguis meus per fidē. Accipite & manducate per fidem, Neq; rursus dixit, Caro mea

verè est cibus per fidem. Verum simplici ter, abq; huiusmodi adiectione semper locutus est. Magna proinde temeritas est, hoc illius verbis ex proprio cerebro adijcere, præsertim cum ijs, qui DEI verbis, aliquid, quod neq; per necessariam consequentiam ex illis colligi, neq; eis consonum fuerit, adiecerint, Dei male dictionem scriptura seuerissime cominatur. Quæso te quantopere isti fidistæ aduersus Maiores nostros vociferantur, ac perstreperunt, quod transsubstantiationis nomine vsi sint, tametsi interim, id quod per ipsam significatur, ex vera Dei verbi intelligentia depromatur? Nonne & ipsi igitur, vt aduersus eos vicissim voiceremus, magnam nobis occasionem præbent, cum illi in re tanti ponderis, ijs vocibus quas scriptura non ponit, tam impudenter vtantur? Sed istos nolo nimium vrgere de verbis. Neque enim de ijs magnopere laborandum est, quando sensus in tuto est. Sed cum neque ea verba, neq; eorum sensus quemadmodum aduersarij vtuntur, in scripturis vsquam occurrat, quæ (malum) est ista temeritas? quod sacrilegium? Dei verbis adulterinum sensum ita impudenter adijcere, vt duarum aut trium syllabarum lenocinio ipsam hominibus eripiant veritatem? Quæ cum ita sint, quis istorum non miretur audaciam? Nam qui paulo ante nihil asserendum, nisi quod ex sacris scripturis elici posset, nihil Dei verbo adijciendum esse clamabant, iam primi sunt, qui plane contrarium faciunt. Patere igitur (ò Maiorum aduersarie, patere inquam) legem, quam ipse tuleris, & cum nolis eos villo verbo, quod ex scripturis non proferatur, vt, neq; tuipse vtaris: Nisi forte tu eo priuilegio fretus eos, vt tibi soli liceat, quod tanto supercilio ceteris interdicit. Est & alia causa, cur illud fidei nomen in expositione nostræ fidei fugiendum putem, nimirum quod vox illa non modò Dei verbo nõ consonat, verum etiã ei, (quod deterius est) ac naturali philosophiæ ex diametro repugnat. Dico eam, verbo Dei, in eo sensu, in quo ipsi illam vsurpant, repugnare, quia verbum Dei, realem corporis Dominici, in nostro sacramento presentiam statuit, isti autem hac determinatione, illud ibi fide tantum, id est, ea tantummodo præsentia, quã fides ei dare possit,

præsens esse cõtendunt. Verũ fides nullã realem (vt iam antea diximus) rebus absentibus præsentiam conferre potest. Nã omnīs existentia quam fides rebus cõferre possit, est intellectiua tantummodo, & imaginaria, quæ in hominis dumtaxat intellectu, ac mente consistat. Ipsa enim nullam realem, aut verã extrã animum ipsum, existentiam cõstituere potest. Ea quidem est fidei vis, vt montẽ quemadmodũ Christus ait, transferre possit. Nũ igitur & Christi corpus, quod illi cœlo nõ secus, q̃ Promethæa Caucaſo ita affixum esse contendunt, vt ante iudicij diẽ inde pedem efferre non possit, in suã cœnã è cœlo deponere potest? Nõ arbitròr eos adeò delirare, vt ista aut loquantur, aut sentiant. Nam si Christum cœnæ suę interesse arbitrarentur, vt sunt religiosi ac pijs, non est dubiũ, quin illum adorarent, tametsi nobis hoc nomine idololatriæ crimen affingunt. Cũ igitur Christũ in cœna sua adorare nolint, certissimũ indicium est, eos credere, suam fidẽ non efficere, vt illud ibi vera, & reali aliqua præsentia adsit. Illa igitur existentia per fidẽ, de qua ipsi loquuntur, imaginaria tantũ, & phantastica, & non vera, nec realis est, sed talis plane, quã nullã in se corporis Dominici substantiam habeat. Quo fit, vt hæc ipsorum vox (per fidẽ) vocibus illis verè, ac realiter, imò & Dei verbo, cum ait: Caro mea verè est cibus, directe repugnet. Quid? an non etiã philosophiæ rationiq; contraria est? Neque enim dubiũ est, quin & omnis causa suã præcedat effectũ, & obiecta operationũ, quas intellectiue potentiæ exercent, causæ sint, & non è diuerso. Non enim visus res visibiles producit, sed potius contra, res visibiles, mediante potentia visiva, ipsam visionem procreant. Ita nec fides, nec ipsa cognitio, quam de re aliqua habemus, est, quã ipsas res cognitatas, aut creditas producit, sed res illæ fidẽ, ac cognitionẽ præcedunt, ac earũ causæ quadam ex parte existunt. Et quemadmodũ disciplinarũ subiecta, vel materiæ, circa quas illæ versantur, ipsi disciplinis priores existunt, quia scibile præcedit semper scientiam: ita & fidei materiæ, & articuli fidem ipsam præcedũt, nec ex fide procreati sunt, sed fidei potius causæ instar existũt. Vnde prius verũ erat, Christũ ex virgine esse natũ, q̃ de ea re fides vera esset,

Mat. 17.  
Luc. 17.  
1. Cor. 10.

set, prius Christus à mortuis resurrexit, q̃ resurrectionis fides vera esset, prius Christus coelos cõscenderat, q̃ ascensionis fides vera esset. Vnde si quis ante q̃ Christus aut resurrexisset, aut coelos cõscendisset, eũ aut resurrexisse, aut in cœlũ ascẽdissẽ credidisset, ipfius fides omnino falsa fuisset. Sic sane prius quã propositionis huius (corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ) fides vera sit, ante corp⁹ illud ibi, re vera sit, necesse est. Nõ. n. fides est, q̃ rerũ creditarũ naturã, aut existentia mutat, sed ipsa potius res creditæ sunt, quæ fidei naturã immutant. Nã iuxta rerũ, q̃ creditũr, habitudinẽ. Fides aut vera aut falsa est. Nã si credã aut coruum esse candidũ, aut vniuersam omnium resurrectionẽ iã esse factã, si ipse Dauid credidisset, Christũ ex virgine, suo iã tempore natũ fuissẽ, nũ aliquid aut ob meã, aut Dauidis credulitatem in rebus ipsis immutatur? Minime. Sed res ipsa in sua sēper natura, donec eas De⁹ immutauerit, permanet, quibus mutatis, & fides ipsa mutata est. Ita beatus ille senex Symeon, duob⁹ ante Christi incarnationẽ annis, ipsum ex virgine nasciturum esse credebat, cæterum illo iã nato, rei futuræ fidem, in præteritẽ cõmutauit. Porro si prius quã ille aut cõciperetur, aut nasceretur, eũ re vera hominẽ factũ esse credidisset, eius pcul dubio fides falsa fuisset. Vos igitur obtestor ò rebelles filij, ac Maiorum vestrorũ aduersarij, vt alio locutionis genere deinceps vtamini, ac hoc p certo vobis persuadeatis, quod tametsi nullã realem habeatis fidẽ, nos tamẽ ob incredulitatem vestrã, corporis Dominici reali p̃sentia nõ priuari. Neq; enim illud propter incredulitatẽ, ac perfidiã vestrã realiter p̃sens ibi esse desinit. Neq; tamen dixerim ecclesiæ ministrũ, vt Christi corpus cõsecreret, fidẽ habere, nõ debere: Absit enim à nobis, vt tale quid vel cogitare quidem audeamus. Cæterum hoc potius dicim⁹, in eorum qui hoc sacramentum suscipiunt, vt sua fide CHRISTI corpus realiter præsens, vel absens efficiant, potestate non esse. Non enim ministri fides est, sed Dei verbũ, cui mirificam hæc Dominici corporis præsentiam proprie adscribimus. Si enim eius, qui hoc sacramentũ suscipit, fides huiusmodi realis Dominici corporis præsentia aut absentia causa esset, sacramentum istud nihil certum,

nihil stabile, nihil firmũ contineret; sed iuxta variã huiusmodi instabilis fidistæ s̃dẽ, variũ ac mutabile, modò adesset modo abesset. Proinde memineris (quæso amice Lector) earũ quæstionum, quas superius, huiusmodi fidistis proposuimus. Nõ enim (quemadmodũ latius ibi ostendimus) absolute, & indubitãter dicere possunt, quidnã illud sit, qd̃ credẽdo, corporis Dominici substantia ipsi p̃sentẽ efficiat. Multis equidẽ, atq; etiã necessarijs argumẽtis cõprobare posse, huiusmodi fidẽ, quã ipsi de hoc sacramento habent, nullã ipsi in eo, corporis Dominici præsentia exhibere posse. Quod vt probetur, notãdũ est, eos credere, (quicquid ipsi interim aut dicãt, aut qualescũque respectus habeãt) hoc sacramentũ, nihil aliud, q̃ verè absentis Dominici corporis signũ, & figurã esse. Ex quo eos nõ credere, Christi corpus ibi verè ac realiter, præsens, sub panis, ac vini speciebus esse, perspicuũ est. Hinc itaq; argumentũ huiusmodi colligo. Quicquid facit, aut causat fides, facit, & causat credendo: At Calvinistæ nihil credũt, quod possit vllam Christi realem præsentiam causare in dicto sacramento, ergo impossibile est vllam in eo substantiam corporis Christi, illis realiter exhiberi: Maior est vera, quia effectus formalis, & adæquatus ipsius fidei est credere, aded vt sit impossibile, ipsam quicquam facere nisi credendo. Minor etiam est vera, quia omnino impossibile est, quicquam effici realiter præsens, credendo quod non possit esse realiter præsens: Consideret (quæso), ac secum diligẽter expendat studiosus Lector, quẽadmodũ fieri possit, vt Christi corpus verè, ac realiter, in eorũ cœna, p̃ huiusmodi fidẽ præsens exhibeatur, (si ea fides dicenda sit) q̃ credit, corpus illud nullo pacto ibi p̃sens esse posse, imò quæ credit, (quod magis est) Deũ efficere non posse, vt illud alibi, q̃ in cœlo existat. Fidei igitur, imò perfidiæ Calvinistice fundamentũ est, non Dei verbũ, sed Calvinimendaciũ. Dei enim verbũ est, nihil Deo esse impossibile. Caluini vero mendaciũ est, aliquid Deo esse impossibile. Deus. n. (ait Caluinus) efficere non potest, vt corporis Christi substantia, simul & in cœlo sit, & in terra. Quod si ita est, quomodo igitur fieri poterit, vt per fidẽ suã, corpus illud in cœna sua in rei veritate præsens

exhibeatur? Quo certe spiritu ducatur iste, non satis equidem intelligo, verum hoc vnum sat scio, eum videlicet, qui quarundam rerum presentiam in aliquo loco credit, ac earum simul absentiam ab eodem loco confitetur, non modo plane excecatur, verum etiam ab omni recto mentis iudicio profusus alienus esse: Plurimas equidem iam olim excitas haereses legi, ac relegi, ceterum nullam, que maiorem unquam absurditatem, atque repugnantiam, quam istam, implicaret, legisse, me memini. At fortasse dices, eos realem quandam corporis Domini in hoc sacramento presentiam confiteri. Quippe qui in fidei suae confessione Sacramentarios detestentur, qui illud per imaginationem tantummodo, atque phantasmam presentem esse dicunt: Si ita est, cur igitur nobiscum litigant? Cur realem illam, quam nos asserimus, presentiam oppugnant? Cur, si illud realiter ibi presentem esse, non adorant? Cur ascensionis articulum nobis opponunt? Cur impossibile esse dicunt, ut verè, ac realiter illud & in caelo, & in coena sua pariter existat? Cur patres suos idololatrias vocat, quae realem, in eo sacramento Redemptoris sui presentiam confitentem, eum tanquam verum Deum, ac vniuersorum dominum adorauerunt? Qui bellè ipsorum orationis, atque confessionis vel exordium legerint, statim ipsos realem aliquam Domini corporis, in hoc augustissimo sacramento, presentiam statuere iudicarent; ac cum ipsi Maiorum suorum fide oppugnant, tunc sane seipsum detegunt, laruaque; detracta, qualis sit illorum fides imò perfidia clarissime ostendunt. Tunc enim huiusmodi presentiam efficiendi, quandam (ut sic loquar) impossibilitatem, etiam ipsi Deo adscribunt, tamen si quibusdam verborum, quae in articulo coenae suae principio posuerant, fucis, dictam presentiam statuere viderentur. Nam si ea, quae illi fidem nostram oppugnando dicunt, cum illo orationis nitore fucosque contuleris, nullam eos reale presentiam admittere continuè deprehendes; atque has eorum voces (per fidem) & (spiritualiter) quas isti in articulo suo, post dictionem (verè) collocauerunt, nihil aliud, quam ut illud (verè) destruant, & omnem illam, quam voce illa (verè) statuere videbatur, realem pra-

sentiam è medio tollant, facere intelliges. Id quod vel hinc satis profecto liquet, quod isdem plane argumentis ipsi nos oppugnant, quibus Zuingliani omnem realem presentiam oppugnare consueverunt. Ex quo perspicuum est, istos ambas simul contradictorias auditoribus suis credendas obtrudere. Nam cum Zuinglianos, atque eos, qui intellectui, ac mente tantummodo Domini corporis presentiam ponunt, detestantur, se realem presentiam credere simulant, ac vero cum dicunt, ne Deum quidem efficere posse, ut filij sui corpus simul in caelo sit, & in terra, omnem realem presentiam non obscure negant; ac sic sane ambas simul contradictorias discipulis suis credendas ingerunt. Quod omnium impostorum, ac Sycophantarum impudentiam vincit. Generalis enim, qua mendax, aut Sycophanta quispiam facile dignosci possit, regula est, ut animaduertatur, quando duo simul contradictoria aut contraria affirmet, ac isti nihilominus, quamuis ea simul altruant, veri tamen Dei ministri appellari, atque suas enunciationes contradictorias, parum ipsius verbum, atque Euangelium dici volunt. Sed operae precium fuerit, ut cuiusnam opinionis isti Calvinistae sint, ostendamus, ut hinc liquido constet, an Lutherani, an Zuingliani, an vero mediae cuiusdam inter istos, atque Catholicos opinionis, ac sententiae forte sint.

*Nullum medium inter esse realiter, & non esse realiter, inueniri potest, quo sit, ut omnis Calvini opinio, nihil esse possit.*

## CAPVT CXXXV.

**C**VM in aduersariorum nostrorum opinioniones incidere, operae precium me facturum esse iudicavi, priusquam ad alia transeamus, ut quanam sit Calvinistarum opinio demonstrarem, ac labyrinthiam quae sub obscuris istorum verbis conuoluta est, nouitatem, qua se neque Zuinglianos, neque Lutheranos, neque Catholicos esse, mundo persuadere conantur, explicans, vultum draconis euoluam. Omnes igitur de hoc sacramento opinioniones inter se dissidentes atque pugnantem, ad harum trium aliquam

quam referenda videtur. Ut autem ingenue dicam quod sentio, nullum haereticum unquam fuisse istis in sua impietate feliciorum fuisse arbitror. Nullum, qui ita facile, absque vlla certa nouitate doctrinae suae resolutione receptus sit. Neque enim isti adhuc norunt, quidnam in coena sua, quam Dominicam falso dicunt, constituere debeant. Vnde nunc Lutheri, nunc Zuinglij sententiam amplecti, nunc vero medium quoddam inter esse realiter, & esse non realiter querere videntur, ut ita nouam seorsum sectam, atque haeresim habere se gloriantur. Hoc enim ingenio suo indignum egregius eorum Magister Calvinus arbitrabatur, si aliorum errores ita sequeretur, ut nullam nouam ipse sectam excogitare posset, nullam haeresim conderet. Nihil tamen noui, quod inter esse realiter, & esse non realiter, medium esset, excogitare poterit, tamen multa interim verborum nouitate, atque etiam obscuritate utens, magnum aliquid, toti antiquitati incognitum, ad quod nemo unquam ante ipsum, quantumuis praclaro ingenio, penetrare potuerit, inuenisse videatur. Quod autem, id quicquid est, quod ille se gloriatur inuentum medium esse velit, inter esse realiter, & esse non realiter, hinc liquido constat, quod & Zuinglio (qui realem corporis Domini in coena absentiam ponit) & Catholicis, ac Lutheranis (qui realem presentiam constituunt) ex aequo repugnet. Id quod vel inde à quolibet facile animaduerti potest, quod non minus acerbe scribit in Zuinglianos, & Lutheranos, quam in Catholicos, quodque illius sententia non minus à Zuinglio, & Luthero; quam à Catholicis reijcitur. Attamen nescio quibus verborum portentis, ac varijs locutionum maandris, sententiam suam ita tegit & abscondit, ut ubi insistere, aut quidnam pro Domini corpore supponere velit, vix intelligi possit. Vnde saepenumero mecum equidem cogitavi, qua arte, quouè ingenio, tam ipse, quam eius discipuli, ex huiusmodi obscuris verborum atque locutionum antris, ac latebris quasi anguis extrahi possent, ad quas non secus atque astuta quaedam vulpecula, ad foueas suas cum pressius videntur, ut ingenue, ac manifeste dicant, quod credunt, ac sentiunt, recurrere co-

fucuerunt. Ceterum ubi mecum id diu multumque cogitarem, operae precium me facturum esse intellexi; si obscuris, atque ambiguis ipsorum verbis, quibus errores suos contegunt, & inuoluunt, qualia sunt spiritualiter, per fidem, &c. sacramentaliter, hoc respectu, & alijs huiusmodi, vniuersalem hanc, quae de quolibet alteram contradictoriarum vere affirmari dicit, ac de nullo ambas simul, inueniendae veritatis regulam ad mouerem: ex quo insuper, sequitur, fieri non posse, ut medium aliquod inter duo contradictoria, aut contraria immediata, veluti inter hominem, & non hominem; inter album & non album; inter nigrum, & non nigrum; inter verum & falsum reperiri. Nam quicquid verè est, aut homo est, aut non homo; aut album; aut non album; aut nigrum; aut non nigrum, aut verum denique, aut falsum; ita ut inter haec, medium aliquod inueniri nullo modo possit. Nihil enim est, quin sit homo, aut non homo; album; aut non album &c. & hoc ideo sane, quia nihil dari potest, de quo altera contradictoriarum verè dici non possit. Haec itaque generalis est Regula, qua vniuersumque propositionis veritas rectè examinari, atque inueniri queat: Nunc igitur proximum est, ut eam ad id, quod Calvinistae de corporis Domini, in Eucharistiae sacramento, presentiam dicunt, accomodemus. Isti itaque Christum, in coena, verè corporis, ac sanguinis sui substantiam per spiritus operationem, sibi, in rei veritate offerre, donare, atque exhibere profitentur; seque illud idem corpus, quod pro nobis mortem subiit, sacramentaliter, spiritualiter, ac per fidem recipere, ac mādūcare dicunt. Et hoc ideo, quia fides, (inquit) res promissas, presentes facit: vnde ipsi per eandem fidem verè, ac de facto, verum, ac naturale Christi corpus, & sanguinem, spiritus sancti operatione suscipiunt, quod sit, ut huiusmodi respectu (quemadmodum praclarus ille eorum Orator Beza Possiaci dicebat illi in mystica coena, veram CHRISTI corporis, & sanguinis presentiam confiteantur. Ceterum posteaquam haec tam magna; de verè Domini corporis exhibitione dixerunt, tantam inter Christi corpus ac coenam suam, quanta est inter caelum, & terram distantiam ponunt.

Quo fit, ut illi, qui distantiam ac presentiam contraria esse nouerunt, cum illos sic loquentes audiunt, credere compellantur, eos omnem, à cœna sua, veram Dominici corporis presentiam excludere, quam tamen paulo ante, cum de vera illa substantiâ illius corporis exhibitione loquerentur, asstruere videbantur. Vnde accidit, ut qui eorum verba recte intelligit, mente confusus, quidnam illi dicere velint, capere nullo modo possit. Hoc est, an veram, ac realem Dominici corporis presentiam, quemadmodum Catholici, ac Lutherani, an vero realem illius absentiam, quemadmodum Zuingliani, ceterique Berengariani, ponere ipsi, ac confiteri velint. Ceterum luce meridiana clarius est, neque hanc, neque illam ipsos statuere, quandoquidem ipsi cum neutris conueniant. Vnde liquido constat eos, nouam quandam, quæ neque realis, neque non realis sit, presentiam statuere velle, atque hoc agere, hoc moliri, ut medium quoddam, inter esse realiter, & esse non realiter inueniant. Id quod frustra sane conantur, eo quod nulla sit presentia, quin aut realis sit, aut non realis, aut vera, aut falsa. Alioqui enim primum istud principium (De quolibet affirmatio, aut negatio, & de nullo ambæ simul) falsum esset: Nam medium illud, id est, presentia illa, quæ neque realis esset, neque non realis, sub neutra contradictionis parte contineretur. Hæc igitur absurditas tanta est, ut vix maior ynquam excogitari possit, eam tamen isti ita dextre & astute, sub nescio quibus verborum inuolucris contegere norunt, ut vix ex obscuritatum suarum cuniculis, ut ad lucem prodeant, extrahi possint: Nam si eis obieceris, quod realem Dominici corporis presentiam confitentur, id statim inficiabuntur, aut se hoc per fidem tantummodo, ac spiritualiter, sine in quantum fides, res absentes (ut ipsi aiunt) presentes facit, confiteri dicent. Certum est autem fidem, nullas res absentes (quemadmodum superius ostendimus) presentes posse reddere. Quod si obieceris, consequens esse ut ipsi realem proinde confiteantur absentiam, id rursus pernegabunt, tamen tãtam interim absentiam, atque distantiam inter CHRISTI corpus, & cœnam su-

am, quanta est inter cœlum, & terram, esse dicant. Ceterum inter cœlum, & terram absentia quædam est realis, eaque permaxima, talem autem inter Christi corpus, & cœnam suam esse confitentur, ac nihilominus suam hanc cœnam Dominico corpore minime priuari asserunt. Quid igitur huiuscemodi hominibus facias? Quid enim tibi videtur? Aliquidne dicunt, an nihil? Qua via (quæso) eos inuades? Qua ratione aggredieris? Quo teneas nodo mutantem Protea vultum? Si enim eis, CHRISTI corpus realiter præsens esse dixeris, statim pernegabunt, si vero ibi esse negaueris, sic quoque & ipsi verba tua totis viribus impugnabunt. Quæ quamquam ita se habere intelligam, eos tamen aggrediar, ac ita vrgebo, ut in alterutram contradictionis partem sese recipiant: Quæro igitur à vobis (O insignes viri) nonne omnis res, quæ in loco est, in eo realiter, aut non realiter est? Nonne omnis existendi modus, ad horum membrorum alterutrum reducitur? Id nullo certe pacto negari potest. Hoc igitur posito, à vobis iterum quæro, esse per fidem, estne esse realiter, aut non realiter? Verè, an non verè? Quod si mihi dixeritis, quod hoc sit esse realiter, recte. Nam ut dexteram coniungamus, bonum est istud vestræ confessionis exordium. At si dixeritis, quod esse per fidem, sit esse non verè, non realiter, vos igitur fidei vestræ articulum ex duobus contradictorijs componitis. Eodem modo, & in alijs similibus verbis, quibus errores suos cõtegunt, vrgeantur. Verbi gratia, quæratum ab eis, an illam vocem tuam (spiritualiter) sic accipiant, ut voci (realiter) opponatur, necne? Si enim illam sic accipiant, ut voci (realiter) non repugnet, nobiscum sane conueniunt, si vero ita sumant, ut ei contrarietur, seductores nephandissimi sunt, qui ita ex duobus contrarijs, fidei suæ articulum cõficiunt. Cum enim Dominici corporis substantiam, sibi verè exhiberi dixerint, (sunt autem eadem verè, ac realiter) id spiritualiter postea intelligi debere contendunt. Quæro igitur rursus ab eis, vtrum illud (spiritualiter) ei, quod est esse realiter opponatur, necne? Si dixerint, non opponi, nobiscum igitur faciunt. Porro si illi repugna-

re dicant, tantundem eorum verba sonant, ac si corpus illud realiter, ac non realiter sibi dicerent exhiberi. Denique quæro ab illis, an vocem hanc (sacramentaliter) atque istam (hoc respectu) sic in medium nobis proferant, ut voci (realiter) aut voci (non realiter) aduersetur, alterutrum enim confiteantur, necesse est: Atqui horum neutrum cõfiteri possunt, quin in ea, quæ modo diximus inconuenientia prolabantur. Cum igitur CHRISTI corpus per fidem præsens esse, se confiteri dicunt, in quantum fides (ut ipsi aiunt) res absentes, siue promissas presentes facit, quæro ab eis, vtrum huiuscemodi verbis aliquid dicere velint, quod voci (realiter) repugnet, necne? & vtrum huiuscemodi determinationes, eam, quam paulo ante affirmabant, presentiam euertant, an vero stabiliant potius, ac augeant? Nam si illam euertant, quid aliud agunt, quam ut simplicibus illudant? Si autem illam stabiliant, sic sane pro nobis loquuntur: Ita & in ceteris, quæ illi in cœna sua ponunt, verbis, quibus erroneam sententiam suam tegere conantur, vrgeri sunt. Sic enim (ut paucis dicam) realem, aut non realè presentiam, quòquo modo ea tandem fiat, si modo homines, & non bruta sint, ingenue confiteri cogentur. Semper igitur, ut ipsi conuincantur, ad hæc duo contradictoria (esse realiter, & non esse realiter) confugiendum erit. Quamquam enim eis concedamus, CHRISTI corpus in cœna per fidem præsens esse, sciendum est tamen, an tum temporis, cum fides huiuscemodi presentiam efficit, illud corpus ibi realiter præsens sit, hoc est, an ea, quam fides producit, presentia realis sit. Nam si ea realis sit, hoc omnè profecto admirationem lōge exuperat, ut eorum fides, quæ non nisi accidens est, utpote Prædicamenti Qualitatis, tantæ potentia, atque virtutis sit, ut realem Dominici corporis, in eorum cœna presentiam efficere possit, quam tamen efficere, ipsimet Deo, iam ante omnino impossibile esse, pertinaciter asseuerabāt. Porro si eā non esse realem dixerint, sequitur proinde, eos, non nisi imaginariam, atque phantasticam habere presentiam. Omnis enim presentia, aut per imaginationem, ac representationem (quæ vera sane presentia non est) aut ve-

ro per realitatem, in propria essentia, ac substantia (quæ vera presentia est) semper conficitur. Proinde si fides nullam realem presentiam efficiat, nihil aliud, nisi eius rei, quam credit representationem, tãquam esse aliquod cognituum, operatur. Hic itaque magnopere optarem equidem, ut studiosus Lector, has Calvinistarum ambages diligenter obseruet, qui tamen si eiusdem, cum Zuingliani fidei sint, vulgò tamen se longe alterius esse sententiæ, longeque alterius, quàm illius, quæ non realem, siue (ut melius dixerim) quæ omnimodam, Dominici corporis à cœna absentiam constituit, persuadere conantur. Vt enim noui aliquid dicere videantur, medium inter duo contradictoria, quod tamen fieri non potest, inuenire conantur. Vnde omnibus, qui recti sunt iudicij, nihil eos penitus, quod alicuius sit momenti, de hoc sacramento dicere, sed illis ambagibus, ac strophis homines illudere velle, perspicuum est. Nam quicquid inter esse reale, & esse non reale, constitutere possunt, nihil aliud, quàm pure nihilum, atque mera illusio est, qua auditores suos misere fallant atque decipiant. Siquidem primum istud stabiliendæ veritatis principium, De quolibet affirmatio, & negatio, & de nullo ambæ simul, illis omnino repugnat. Nunc igitur euigilato, O Calvinistæ Principes, atque nobiles, euigilate (inquam) ac serio vobiscum expendite, quemadmodum vobis turpiter imponatur, dū nescio quæ corporis Dominici presentia, quæ nec realis sit, nec non realis, ac proinde nulla est, vobis obtruditur. Omnis namque presentia aut realis est, aut non realis, ita ut nulla omnino inueniri queat, quin ad harum alterutram pertineat. Euigilate ergo, & videte, quemadmodum omnino necesse sit, ut aut Zuinglianorum militiæ ascribamini, qui CHRISTI corpus, realiter in cœna esse pernegant, aut in Lutheranorum, qui illud realiter ibi esse cõtendunt, castris militetis, aut certe ad Christianorum, sub quorum vexillis & vos olim militauistis, aciem reuertamini. Vos proinde ut euigiletis, rursus admoneo, quia velitis, nolitis, realè, aut non realè presentiam statuas, necesse est. Omnino siquidem fieri non potest, ut aliud presentia genus vsquã reperiatur.

Videte propterea obsecro, quanam ratio sit, cur tam dubie, tam inconstanter, tam confuse de cœna vestra loquamini. Id non aliunde profectio accidit, quam ex eo, quod nouellam fidem vestram, non modo contra expressum Dei verbum, verum etiam aduersus prima, de propositionum veritate, ac falsitate iudicandi principia, stabilire, ac defendere velitis. Ac propterea cum à Catholicis, aut Lutheranis vrgemini, vt fidem vestram ingenuè profiteamini, tum in cœnæ vestræ articulo, vos ipsam Dominici corporis substantiam, verè, ac realiter recipere, vos dicitis. At cum Zuingliani, altera ex parte vos oppugnant, tum vt eos leniat placatosque reddatis, egregias illas voces vestras (spiritualiter, sacramentaliter, per fidem) articulo vestro, tanquam bonum colorè adjicitis. Cæterum vos operam interim, & oleum (vt est in prouerbio) perditis, quia dum inter duo cōtradictoria medium aliquod inuenire putatis, nihil aliud agitis, quam vt ea, quæ inter se, quam maxime repugnant, asseratis. Quocirca plurimum e quidem eorū commiseror, qui ita misere decipiuntur, vt veram, ac stabilem Maiorum suorum fidem, quæ expressio Dei verbo innitiur, deserant, vt in eius locum Caluini ac Bezæ nugæ, contradictionesque suscipiant, quas illi somniantes, ac plane delirantes, absque vlla profus scripturarum auctoritate commentati, non aliter quàm purum Dei verbum recipi adorarique præcipiunt. Sed multam (laus superis) horum imposturas agnoscere cœperunt. Certissimum est enim tam Lutheranos, quam Zuinglianos absurdissimos istorum errores condemnasse, ac penitus reprobasse. Nam de Lutheranis, nemo sane, qui vel mediocriter saltem in historijs nostræ ætatis versatus fuerit, dubitare poterit. De Zuinglianis verò, hoc ex Senatus Bernensis actibus, ac sententia in eos pronunciata, sole meridiano clarius demonstratur. Ibi enim anno ab orbe redempto. 1555. 3. Nonas Aprilis, Caluinus ipse, vna cum doctrina sua condemnatus est. Vbi cum ipse, ac plurimi eius discipuli præfentes assisterent, omni tamen, quam adhibere potuerunt, diligentia, efficere nõ valuerunt, quin ipsorum doctrina, tanquam impia, ac verbo Dei, plane contra-

ria reijceretur, cōdemnaretur ac reprobaretur. Cæterum, vt ad id, vnde digressa est, nostra redeat oratio, satis iam à nobis comprobatum est, fieri non posse, vt plures, quàm duæ, de Dominici corporis in Eucharistiæ sacramento, præsentia opiniones habeantur. Aut enim realis, aut non realis confitenda est, quantacumque numerosa interim verborum multitudo in medium adferatur, vt medium inter duo hæc contradictoria inueniatur. Quæramus nunc igitur à Caluinistis nostris, quibusnam dexteræ daturæ sint, & in quam partem sese recipient? Num in Lutheri? Sed se religione impediri dicerent, propterea quod si realem Dominici corporis in sacramento nostro præsentiam admiserint, ipsam quoque impanationem (quam Lutherani confitentur) suscipere cogentur, ad quam multa profectio (sicuti contra illos scribentes ipsi aiunt) absurda consequetur. Quid igitur facient? quo se veritent? An in Zuinglij castra confugient? At isti eos (vt modo diximus) reiecerunt, atque damnarunt. Quid igitur eis superest, nisi vt ad Catholicos confugiant, vt sic venerandam Maiorum suorum fidem, quæ ipsi nimis (proh dolor) impie abiurarunt, ac temerarie condemnarunt, denuò cōplectantur? Faxit hoc Deus, vt hoc illis cito cōtingat, vt sic omni abiurata hæresi, ad Ecclesiæ gremium redeant, & nos de eorum salute lætemur.

*Alia in Calvinistas venatio, vt ex obscuris verborum, ac locutionum suarum artibus extrahantur.*

## CAPVT CXXXVI.

**N**Vper cum Musculi communes locos legerem, ac verborum eius ambiguitatem, qua aduersus expressum Dei verbū, errores suos celare conatur, paulò diligentius expendere, cum callidæ cuidam vulpeculæ, quæ cum arctius à sequentibus canibus opprimi ac prope Capite se videt, ad antra, & latebras suas confugit, optime comparari meritò iudicabam: Hic enim musculus non Calvinista, neque Lutheranus, sed Zuinglianus est, quò fit, vt realem Dominici corporis à sacramento nostro absentiam, ingenuè confiteatur. Cæterum ne Lutheranos

anos offendat, qui cum hoc Dei verbo, Hoc est corpus meum, vrgent, istud verissimum esse concedit, ac ideo minime dubitandum esse ait, verum CHRISTI corpus, in hoc sacramento existere, sed id sacramentaliter (inquit) intelligi debet. Vnde nec hæsitat, quo minus dicta iam verba in literali sensu accipiat, non ponendo (significat) pro est: existimans, se sub voce hac (sacramentaliter) latitare, saluarique posse, quam sic sane accipit, vt dictionibus, verè ac realiter, opponatur. At superius ostendimus, quod quemadmodum sacramenta, verè quædam res sunt, ita esse sacramentaliter sit verè ac realiter esse, sic vt esse sacramentaliter, vna differētiarum illius sit, quod est esse realiter. Iste tamen magister egregius ad decipiendum fratres suos (sic enim Lutheranos vocat) vocem illā pro sua libidine vsurpat, vt postea quam omnimodam corporis CHRISTI à sacramento isto absentiam posuerit, illis tamen se aliquam eius præsentiam constituturè, persuadear. Tum sane Calvinistarum quoque astus, ac strophæ commodum mihi in mentem venerunt, qui idē quotidie faciunt. Vnde aliam ab ea, quam superius posuimus, rationem, ac viam mecum excogitare cœpi, qua ipsos ex huiusmodi ambiguarum vocum antris, in quæ ipsi sese recipere solent, extraherem, tametsi iam supradicta ratio satis commoda sit, cum ambiguis ipsorum verbis duo contradictoria apponuntur, vt alterutrum eligant. Vt verbi gratia, si queratur à Musculo, vtrum esse sacramentaliter, sit esse realiter, necne? & vtrum sit esse verè, an falso? Si enim nihil esse dixerit, ita vt nullum verum esse constituat, vox igitur, (sacramentū) à qua sacramentaliter deriuatur, nihil in rei veritate significabit, ac sic proinde sacramentum istiusmodi hominibus, nihil omnino erit. Verum Musculum relinquamus, vt ad Calvinistas nostros redeamus, qui neque realem, neque non realem præsentiam statuere, nec quidnā interim in mirifica cœnā sua habeant, confiteri volunt, contra quos disputationem huiusmodi instituere decreui. Ante omnia enim expositione vtendum est, vt aduersarij diuerticulis suis excedere cogantur. Hanc siquidem inuestigandæ veritatis rationem, omni cruditione,

atque eloquentia ornatissimus ille vir Rodolphus Agricola plurimum approbat, ac Doctorem subtilem Scotum mirifice extollit, quod ea plerumque semper, priusquam aduersarium aggrediar, vt soleat, exponendo videlicet, quò in sensu, tam ipse, quàm aduersarius voces eas, de quibus disputatur, & in quibus tota controuersia consistit, accipiat. Idē & hic nobis faciendum est. Voces itaque quibus tota disceptatio nostra maxime innititur, sunt, realiter, & verè, quas etiā superius exposuimus, sed quò in sensu aduersarius eis vti velit, nunc inquirendum est. Quæramus igitur ab eo, vtrum eas in genuina, ac naturali significatione vsurpare velit. Nos enim eas sic accipimus, vt verum, ac naturale esse significent, quod res quæpiam, extra hominis intellectum habet, etiam priusquam intellectus ipse circa illam, operationem vllam habeat, quòd (esse) independens vocatur, hoc est, qui nullo pacto à mente, aut intellectu nostro pendeat, sed qui extra nos in esse existat, siue eam rem cognoscamus, siue non. siue eam huiusmodi esse credamus, siue non credamus. Cum itaque dicimus, CHRISTVM, corpus suum Apostolis verè, ac realiter tradidisse, dicimus, eius corpus non modo extra Apostolorum, verum etiam extra ipsius CHRISTI intellectum, in proprijs ipsius manibus extitisse, ita vt Iudas, quamquam non verè crederet, non ideo minus tamen re ipsa ac de facto, illud Christi corpus sumeret. Esse autem per fidem, nihil aliud est, quàm esse, per cognitionem. Est enim fides, rerum diuinarum cognitio, cælitus nobis reuelata: quemadmodum scientia, certa est rerum humanarum, quàm per experientiam, ac demonstrationem consequimur, notitia: Habere igitur, esse per fidem, est, habere esse cognituum, id quod non verum esse, sed nihil omnino est. Nam mundus, tametsi huiusmodi esse cognituum, antequam crearetur, in Dei intellectu haberet, nihil tamen erat, vnde & illum ex nihilo factum credimus. Sic & CHRISTVS, multis annis antequam ex virgine nasceretur, per fidem in Patriarcharum, atque Prophetarum intellectu iam incarnatus erat, nullum tamen verum esse corporeum, extra illorum intellectum habuit, tantisper diu beatà

beata vingo realiter ac de facto ipsum cōcepisset. Certissimum est quidem, fidem, veram creaturam esse: vtpote Qualitatem, verum res, quæ sic in ipsa esse habeat, vt nusquam alibi, nullum omnino verum esse habet. Quemadmodum (verbi gratia) scientia, quam de Antichristo habemus, vera qualitas, veraque creatura est. Verum ipse Antichristus iam à nobis per fidem cognitus; nihil adhuc omnino est, donec re ipsa extra fidem nostram existat. Nunc igitur à te quaero (O Calvinista) num voces istas, in eo, quem tibi modò declarauimus, sensu accipias, an verò in alio quopiam, quem illis pro arbitrio tuo adsignare volueris? Nā quid sit esse realiter inter nos tanquam cardo ex quo tota controuersia nostra pendet, certò statuatur, necesse est. Videlicet vtrum Christi corpus, in hoc sacramento, suum esse extra ipsum credentis intellectum habeat, ita vt de facto, inter consecrantis sacerdotis manus existat, vtrum inter ipsas quoque CHRISTI manus, cum illud discipulis ipse porrigeret, realiter extiterit, ita vt in suis manibus corpus suum ipse gestaret, (quemadmodum Diuus Augustinus titulum Psalmi 33. exponens docet) an verò in ipsius credentis intellectu tantummodo existat, ita vt eum credere defierit, illud esse habere iam desinat: nec quicquam exterius, sub panis, & vini speciebus, sic credenti exhibeatur, sed id tantum recipiat, quod in deliro cerebro suo, per fidem sibi fabricauerit, & priusquam sacramentum recipiat, iam antè mente credendo receperat. Hæc igitur est tota nostra controuersia, clare satis exposita. Sed ab istis obtinere non possum, vt vtram partem eligere, ac tueri velint, ingenuè fateantur, eo quod ad voces illas (per fidem) & (spiritualiter) tanquam ad cuniculos quosdam semper refugiant, quas tamen nec vt diserte explicent, ab ipsis impetrare possum. Ita enim pertinaces sunt, vt neque realem, neque non realem præsentiam ponere videri velint. Attamen articulo 37. Confessionis suæ aiunt, se credere, Deum tam in coena, quam in baptismo, id realiter, ac per effectum sibi exhibere, quod ibi figuratur, ac repræsentatur. Ac propterea veram eius rei, quæ ibi repræsentatur, possessionem, ac fruitionem, cum signis coniungere se perhi-

berent. Sed si ab ijs quæras, cuiusnam rei signum, eorum coena existat, id verba ista, (Hoc est corpus meum,) exponentes, clare satis ostendunt. Nam (est) ibi pro (significat) accipiunt, eam Christi sententiam esse dicentes, vt panis corporis illius figura esset. Ità in sua confessione, rem significatam, in coena sua sibi realiter exhiberi, ac cum signo ibi coniunctam esse assenerant. Nonne his verbis liquidò satis, se extra intellectum suum, verum Christi corpus recipere consitentur? Sed quemadmodum vacca nonnūquam copia lactis exuberans, vno pedis ictu stulam, quam lacte compleuerat, facile sternit, ac in terram effundit, sic & isti faciunt. Cum enim verum Christi corpus, in coena sua sibi realiter exhiberi confessi sunt, vno verbo dicentes, nimirum, corpus illud, neque diuina, neque humana virtute, alibi, quam in coelo, nec se alibi, atque in terra esse posse, quicquid boni, quicquid veri dixerant, vno hoc (inquam) verbo euerunt, profundunt, destruunt. Quibus igitur vitulis huiuscemodi furiosos homines, qui sic pro arbitratu, nunc aiunt, nunc negant, nunc affirmant, nunc reuocant, constringemus? Cum enim Christi corpus ita coelo alligauerint, atque defixerint, vt alibi esse non possit, illud tamen in terra per fidem isti se recipere autimant. Cæterum paulò pressius inquiramus ab eis, quænam ea res sit, quam ipsorum fides eis exhibet? Num sit ens, seu res aliqua, quæ verum (esse) habeat. Eos sane veram aliquam rem quampiam esse, responsuros arbitror. Quod si ita est, iam queram ab eis, vtrum ea substantia sit, an accidens? Si substantia sit, iam sciendum est, an ea corporea sit, an incorporea? Si incorporea fuerit, ea igitur Christi spiritus erit, hoc est, eius anima, aut Diuinitas. Si ipsius anima est, iam videndum erit, quemadmodum ea corpus suum in coelo reliquerit, vt ipsa sola, in Caluini coena reperiat, an corpus fortasse non reliquerit, sed & in coelo pariter cum eo, & in terra sine illo sit. Quod si ita est, rursus quaerendum erit, an minus absurdum sit, animam, quam corpus spiritale simul in diuersis locis esse? Quod si solam Christi diuinitatem habere se dixerint, cur igitur in hoc sacramento, si eius diuinitatem in eo realiter

liter præsentem esse credunt, Deum suum non adorant? At non solam fortasse diuinitatem, sed & ipsam quoque corporis eius substantiam habere se dicent. Et hic rursus ab eis quaerendum est, an aliquod inter corpus, & substantiam eius discrimen ponant, ita vt substantia à corpore suo absque ipsius interitu separari possit, id quod accidenti vtique proprium est. Deinde etiam quaerendum erit, si ipsorum aliqui, dum communicant, in diuersis locis existant, an vnâ, eandemque corporis substantiam recipiant, necne? Si eandem recipiunt, illud igitur corpus, non secus; atque ipsius substantia in diuersis locis erit, quandoquidem res sunt omnino inseparabiles. Neque enim fieri potest, vt substantia vnquam à corpore suo absque omnimoda illius corruptione, atque interitu separaretur. Proinde si corporis substantiam habent, ipsum quoque corpus habeant, necesse est. Quaero igitur ab eis, vtrum ista substantia viua sit, an mortua? animata, an inanimata? ratione prædita, an rationis expers? Si enim viua, animata, ac ratione prædita fuerit, ea verum ac naturale CHRISTI corpus sit, necesse est, & non eius tantummodo signum, aut imago: Si autem vita, ac ratione carens substantia fuerit, non igitur CHRISTI sed bruti potius cuiusquam substantia erit, quam in coena sua habebunt. Quid (quaeso) absurdius, quam illius substantiam dicere sibi exhiberi in terris, cuius corpus alligatum sit in caelis? An nos vsque adeo stupidos esse arbitramini, vt propter respectus nescio quos, aut ob fidei vestra voracitatem, substantiam à corpore suo separari putemus? Hoc fungis ac saxis persuadete, nos enim quænam substantiæ: quæ accidentis natura sit, probè nouimus, quò fit vt non facile tam absurdis, ac inter sese pugnantibus verbis nos in laqueum patiamur induci. Sed vt ad propositum redamus, aduersarios, quænam sit ea res, aut substantia, quam in coena sua habere se gloriantur, explicare non posse perspicuum est. Attamen velint, nolint, se aut nihil, aut certe aliquid habere confiteantur, necesse est. Cum igitur Christi corpus in coelo ad extremum vsque iudicii diem vixerint, nec quicquam proinde de ipsius substantia, in coena sua habeant, re-

stat, vt inquiramus, num fortasse accidens aliquod sit, quod vorax eorum fides, in illa ipsorum coena repræsentat. Si accidens est, aut igitur qualitas, aut quantitas, aut ad aliquid, aut aliorum denique accidentium aliquid erit. Sed eos illud visibile aut corporeum accidens esse, dicturos esse non arbitror: restat igitur, vt spirituale aliquod accidens illud sit, gratia nempe CHRISTI, aut certe alia quepiam huiuscemodi res, quam pro arbitratu suo finxerint. Si illud Christi gratia tantum fuerit, nihil igitur de ipsius corporis substantia se habere fateantur, necesse est. Proinde istud sacramentum, non corporis, sed gratiæ Christi sacramentum, iure dicitur: & alia quoque sacramenta, in quibus Christi gratia nobis communicatur, corporis Christi sacramenta, eadem ratione dicenda sunt. Ita fiet, vt quocumque tandem modo loquantur, maiorum fidem derelinquentes, in multa absurda dilapsi, in luto hæreant, necesse sit. Vnde nullo equidem pacto dubitauerim, quin tandem ingenuè confessuri sint, se neque Christi corpus, neque eius substantiam in coena sua habere; sed eorum fidem spirituale aliquod corpus, quo illud alterum, quod ad dexteram patris in aureo throno sedet, istis repræsentetur. Quod si dixerint, iterum huiuscemodi questionibus, quas superius exposuimus, urgendi sunt. Rursus enim ab eis quaerendam erit, vtrum corpus istud spirituale, ab eorum voraci fide fabricatum, substantia sit, an accidens. Si substantiam esse dixerint, iam iterum ab eis queram, an illud substantia sit viua, an mortua; animata, an inanimata: corporea, an incorporea, ac sic consequenter, donec eo perducatur, vt imaginarium illud corpus, quod per fidem, in coena sua sibi repræsentari autumant, nihil omnino esse fateantur. Quæ cum ita sint, qualis est aduersariorum malitia? Quanta calliditas? fraus? dolus? impostura? quibus rudium hominum simplicibus ingenijs abutuntur? Cur rem illam, quam in coena sua habere se dicunt clare perspicueque non explicant? Cur non docent, vtrum id ens sit, an non ens, substantia, an non substantia; corpus, an non corpus, aliquidne, aut verò nihil? Quid sibi volunt istæ ambages? Quid verborum obscurissimæ tenebræ? Sed si

absque vllis verborum ambagibus, quã contradictionis partem aduersarij defenderent, ingenue confiterentur, tum in quam partem illi deflectant, & eorum sententia verbo Dei sit consentanea necne, nemini esset obscurum. Nã id quod verbum Dei, in hoc sacramento esse pronunciat, verè caro, ac verè sanguis est. Quod autem isti ponunt, verè non caro, ac verè non sanguis est. Verum cum à nobis ipsa indagandæ veritatis arte, sic se opprimi fenserint, sophistam me forsitan esse clamabunt, sed ego eos potius sophistas esse censeo, quos cum ex sophismatum suorum tenebris, ac labyrinthis in lucem educere studemus, nos contumelijs appetunt, ac tenebras lucem esse pronunciant. Nemini siquidem dubitandum est, quin Deus certam quandam inuestigandæ veritatis artem hominibus prouiderit, quam nemo nisi prius vniuscuiusque rei essentiam atque naturam ritè perspectam habuerit, consequi potest. Hæc autem rerum natura commodè intelligi non potest, nisi in quo genere, seu prædicamento, vnaquæque res, de qua

disputatur, collocata sit, perspicuum sit. Non est igitur hoc sophistam agere, cum res sic explicantur, vt ipsi Sophistæ sophismata sua, quæ vt veram fidem religionemque perturbent & evertant, in medium proferunt, deserant, ac derelinquant. Quocirca acriter virgendi sunt, vt ex latibulis, atque cauernis suis, quas sibi sub verborum suorum ambiguitate foderunt, extrahi possint. Siquidem in causa tanti ponderis, libere, ac ingennè, quid credendum sit, explicandum est, vt sic de eius ad Dei verbum consonantia, aut dissonantia rectè iudicari possit. Proinde nos fidei Maiorum nostrorum articulos, ita claris verbis explicuimus, vt vnusquisque cuiusmodi ea sit, & quàm verbo Dei consentanea sit, haud difficulter intelligere valeat. Illud igitur vnum restare videtur, vt prauas scripturarum obiectiones, atque philosophica, aut ( vt verius dixerim ) sophistica argumenta, quæ aduersarij, ad oppugnandam fidem nostram, in medium proferunt, refutemus.

FINIS ACTIONIS SEXTAE.

## ACTIO

# ACTIO SEPTIMA

IN SACRAMENTARIOS  
HAERETICOS.

IN HAC ACTIONE EA CHRISTI VERBA, quæ Ioannis sexto capite habentur, & quæ Sacramentarij ad suos confirmandos errores intorquere conantur, pro illis nihil facere monstrantur: & quis sit genuinus eorum sensus explicatur, & omnia contra illos, qui inuerti & retorqueri debeant ostenditur.

*Regula interpretandi scripturas, quæ vt aduersarij obiectionibus rectè respondeatur, diligenter adnotandæ sunt.*

### CAPVT CXXVII.



**V**M super firmissimum verbi Dei fundamentum; fidem nostrã stabilierimus, ac tã numerosa rationum multitudine, ex scripturarum fontibus hausta, eam comprobauerimus, & obiter etiã, ac velut in transitu nouam istam, quã contra fidem nostram aduersarij ædificare conantur, turrim ita oppugnauerimus, vt facile iam capi, ac funditus everti possit, proximum esse videtur, vt & eos quoque impetus, quibus aduersarij inexpugnabilem veritatis ac fidei maiorum arcem impugnant, repellamus. Caterum quia nobis cum huiuscemodi lectoribus negotium est, quibus, vt tam de nostris, quã aduersariorum obiectionibus, argumentis, & expositionibus rectè iudicent, arte aliqua opus est, ante omnia certas, quas fidelis ac verus quisque scripturæ interpret atque tractator studiose obseruare debet, vt hac in parte boni viri fungantur officio, regulas exponemus.

*Prima regula.*

**Q**uisque scripturã rectè interpretari voluerit, nullis antequã illã legere cepit opinionibus ita animum addicat, vt ijs, aut scripturam accommodare

studeat, aut vt eam, ad suam sententiam inflectat, corrigere conetur, sed contra potius, ipse solidissimam scripturæ auctoritatem sequens, atque infallibilem eius regulam obseruans, si quas ante habuit, prauas opiniones emendet ac corrigat, necesse est. Hæc regula naturali rationi innititur, æquum est enim vt priuatæ opiniones nostræ, verbi Dei auctoritate corrigantur, non autem Dei verbum nostris opinionibus corrumpatur accedat. Quamquam igitur hæc regula ratione subnixã est, eam tamen ex abundantanti Hilarij auctoritate stabiliemus, cuius hæc verba sunt. Optimus lector, est ( inquit ) qui dictorum intelligentiam exspectet, ex dictis, potius quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, ne que cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Hactenus Hilarius.

*Hil. l. i. de Trin.*

Hic itaque certissimus rectè interpretandi scripturas Canon est, sed contra faciunt ij, qui cum priuatam ac prauam aliquam opinionem animo cõceperint & imbiberint, eamque sibi veram esse persuaserint, scripturam postea legunt: locum aliquem in ea quærentes, quem perfidæ opinionis suæ accommodent, vt ei externam aliquam veritatis speciem tribuant, ac sic sanè opinionum suarum veritatem scripturis non examinant, sed potius econtrã, scripturæ veritatem, ex suis opinionibus metiuntur. Hi profecto inepti diuinarum scripturarum lectores sunt, eo quod totam potius scripturam inuertèrent, quam vt falsis opinionibus suis, eam accommodare non possint.

Non enim ex scripturis veritatem discere,



re, sed pro suo arbitratu sententiam domo allatam, quam scripturæ auctoritate confirmare conantur, pro veritate supponunt. Ita maiorum nostrorum aduersarij fecerunt, qui antequam scripturas diligenter reuoluissent, cum Deo impossibile esse, vt filij sui corpus, simul in pluribus locis præfens existeret, sibi persuasissent, scripturam postea legentes, eã falsæ opinioni suæ inseruire coegerunt: Tandiu enim eam versarunt, ac reuersarunt, tandiu exposuerunt, donec animaduertent, illam ita accipiendõ, vt verbũ (significat) pro (est) & (figura) vel (signum corporis) pro (corpore) poneretur, scriptura suis opinionibus accommodaretur, atque quadraret. Maiores autem nostri longe aliter. nam antequam ad scripturæ lectionem accederent, parati erant quancunque prius opinionem haberent, verbi Dei auctoritate corrigere. Quare cum dixisse Christum audissent, Hoc est corpus meum, statim vt verbi Dei auctoritatem sequerentur, opinionem suam, si quam contrariam habebat reiecerunt, ac prudentissime correxerunt.

*Secunda regula.*

**O**Mnis Christianus ac fidelis omnia Dei verba simul vera esse, pro certo ita sibi persuadere debet, vt vnũ alteri nullo pacto repugnet, nec vnus loci expositio, alterius inferat falsitatem. Vnde Origenes in tertiũ epistolæ ad Romanos caput, Qui vult (inquit) fideliter, & recte sacros libros exponere, ostendere debet, quemadmodum ea quæ in illis videntur esse cõtraria, inter se minime pugnent. Contrà, philosophus & hæretic⁹ fidei hostes, quorum omne studium est, aliquam in verbis Dei contradictionem inuenire. Hæreticus quidem non ita manifeste, nec aperto marte, sed occulte tantummodo, ac veluti ex insidijs id efficere conatur, ita videlicet scripturam exponens, vt ex ipsius interpretatione, alterius loci repugnantia subsequatur, & vt ex ea philosophus aliquam verborum Dei cõtradictionem inferre possit. Nam si quis, verbi gratia, cum Berengario hæc Christi verba, Hoc est corpus meum, per (significat) interpretetur, statim Iulianus aliquis, aut Porphyrius inferet, CHRISTVM, cum alibi diceret, carnem suã verè esse cibum, & sanguinem suum ve-

re esse potum, fuisse mentitũ, ac eiusmodi ipsius verba, non modo inania ac vana, verum etiam perniciofa admodum esse, vt pote quæ tam multis Dei amicis & cultoribus, erroris, atq; idololatriæ (si verum dicit hæreticus) ansam præbuerit, cum illi simpliciter ipsius verbo crederent. Hæreticus proinde blasphemie oua fouet, & illis incubat, sed philosophus pullum excutit.

*Tertia regula.*

**N**OS autem Christiani, eam obedientiam, fidem, reuerentiam, DE I verbo deferimus, vt quotiescumque illud naturæ repugnare audimus, hoc illi intrepidè præferamus, scientes, Dei verbum naturæ ducem, omniumque rationum, ac legum eius moderatorem esse. Quo fit vt non modo naturæ, verum etiam omnibus eius rationibus abrenunciamus, vt verbo Dei pareamus. At Philosophus, Iudæus, Hæreticus, longe aliter. Quippe quotiescumque philosoph⁹, aut Iudæus euangelij verba, naturæ animaduertit esse contraria, ea intrepide, & quasi suo iure falsa esse pronunciat, cauillatur, illud. Cæterum hæreticus ea clare & aperte impugnare atque abiurare non audens, omnibus modis sic illa conatur exponere, vt tandem cum Iudæis, atq; philosophicis opinionibus quadrent atque conueniant. Ita fit, vt hæc tria hominum genera, naturam verbo Dei præferant. Cæterum philosophus atq; Iudæus, id minus periculose faciunt, quando quidem ab ipsis, tanquam ab apertis inimicis facilius vnusquisque sibi cauet. Verũ hæreticus tanto maiori periculo id agit, quanto sub amici, ac fratris nomine, qualem se esse fingit, minus cauetur ac fugitur. Quo fit, vt ipse tandem veluti alter Iudas Dei verbum Gentibus atque Iudæis illudendum tradat. Nam illud extortis suis interpretationibus, cum naturali philosophia, ac eroneis philosophorum ac Iudæorum dogmatibus conciliare conatur. Quippe philosophum gladios, & arma, mutuo ab illis accipiens, Dei verbum comprehendit & ligat, illudque Gentilium manibus irridendum propinat. Sic sane hodie Sacramentarij nostri, de cœnæ articulo faciunt, quippe qui nihil aliud moliuntur, quam vt illum philosophicis concilient,

vt

vt sic nullus plane, neque Iudæus, neque philosophus eos, quominus hæc sceleratas tueantur, impediatur.

*Quarta regula.*

**Q**Uotiescumque fideles inter duos scripturæ loca aliquam secundum naturæ ordinem repugnantiam deprehenderint: ita vt naturæ ordinem spectando illa simul vera esse non possent, illa ambo nihilominus simul vera esse credent, omnem naturæ ordinẽ, in Dei omnipotentiam reijcientes, qui in cœlo & in terra quæcunque voluit fecit. Quemadmodum exempli gratia, Deus Abrahamæ promiserat, se in filio suo Isaac, posteritatem suam, vt stellas cœli multiplicaturum, eo tamen nihil obstante, Deus ei præcepit, vt dictum filium suum Isaac, super vnum montium, quem ei monstraret, immolaret, idque priusquã ipse Isaac vel matrimonio coniunctus esset, vel aliquem filium suscepisset. Hic itaque duo Dei verba, secundum naturæ ordinem plane contraria, Abrahamæ offerbantur. Nam iuxta naturæ ordinem impossibile erat, vt illa Dei promissio circa illum impleretur, si filio suo, priusquam prolem vllam ille genuisset, mortem intulisset. Quid hic ergo egit bonus iste Patriarcha Abraham? Num vni Dei verbo renunciauit, vt alteri crederet? An illud de filij sui immolatione præceptum, spiritualiter aut per fidem exposuit, dicens, hoc non de carnali, neque corporeo, sed spirituali sacrificio intelligendum esse? Nihil profecto minus, sed simpliciter vtique Dei verbo fidem adhibuit, vnde & constanter vt filium suum immolaret; pergebat, nihil penitus contra vllum horum Dei verborum disputans, aut quærelam vllam faciens. Quid si Hugonista quispiam in via ei occurrisset, eique dixisset, heus tu bone vir, quo vadis? Quid agere cupis? An ignorastu, nimis hoc crudele facimus esse, vt filium tuum, tuis manibus iugules? Ad cœnæ desipis tu, vt Deum de reali atque corporeo sacrificio tibi præcepisse existimes? An ignoras hoc nimis crudele, nimisque absurdum facinus esse? De spirituali enim sacrificio duntaxat, Deus tibi locutus est. Tu igitur, bone vir, in domum tuam reuer-

tere, nec filium tuum occidas, neque sic decipiaris, vt Deum rem tam absurdam tibi præcepisse existimes. Si quid (inquam) huiusmodi Abrahamæ accidisset, is nullo certe pacto Hugonista illi credidisset, sed constanter potius in proposito perseverasset, atque dixisset illi, Vade post me Satana, te enim non audio, Sine vt simpliciter Deo meo credam, eique prompte obediam; satis enim quanti ponderis eius sit verbũ, intelligo, ac propterea irrideat me quisquis voluerit, ego simpliciter ei & credam & obediam. Sic proinde, sic (inquam) Deo credendum est. Porro si huiusmodi Hugonista argutias suas per illud (Quomodo) obijciens, replicasset, atque dixisset, Quomodo fieri potest, vt posteritas tua, in filio tuo multiplicetur, si illũ interimas? Statim vir sanctus respondisset, Optime noui, nihil Deo impossibile esse. Vnde firmiter credo, ex ipsis lapidibus potius filios mihi nascituros, quam promissum suum non impleat Deus. Ac propterea in spem cõtra spem credam, etiã quicquid dixerit, Deo meo credam. Hæc itaque fides, hæc simplex credulitas est, (O fidei Maiorum nostrorum aduersarij) quæ bonus iste Patriarcha Abraham & iustificatus, & Dei amicus appellatus est, non autem per curiosam quandam scientiam vestræ similem, qua de diuinorum mandatorum, atque verborum sanctitate (quæ absurditas vestro nimium sapienti iudicio esse videtur) ac contra verissimam Dei omnipotentiam disputatis. Cæterum maiores nostri optime intelligentes, Abraham nobis in huiusmodi fidei, quam à Christianis Deus exigit, exemplum esse propositum, illam sapienter imitati sunt, omnibus CHRISTI verbis, quantuncunque illa naturæ repugnare viderentur, simplicem adhibendo fidem, omnemque illam apparatus naturæ incongruitatem, in Dei omnipotentiam reijciendo. Hinc omnibus ijs Dei verbis, quæ CHRISTVM aut cœlõs conscendisse, aut in sacramento altaris esse pronunciant, simul fidem adhibuerunt, ipsum, cum & huic diceret, Hoc est corpus meum, & inde se in cœlum ascendere assereret, verum dixisse credentes. Hac fidei simplicitate, ad lu-

Cc 3 dorum,

daorum, atque Hæreticorum (Quomodo) qui ut hæc verba pro suo arbitrati concilient, spiritualem hic præsentiam statuerent, conantur, omnia Deo esse possibilia respondebant. Ita & beatissima virgo Maria respondit. Cui cum Angelus à Deo missus, eam & Messie matrem futuram, & nihilominus virginem permanfuram esse dixisset, quæ duo iuxta nature ordinem atque rationem, quamquam impossibilia, tamen non ad spiritualem aliquam virginitatem, neque (ut ita dixerim) maternitatem beata virgo respexit, sed eadem fide vtrumque complexa simul credidit, ideoque beata cognatæ suæ Elizabeth preconio prædicatur, quæ ita duobus Dei verbis, omnino secundum naturam contrarijs credidisset. Hæc igitur sanctorum fides, nobis in exemplum propofita sit, ut eam imitemur, nec vno fidei articulo alterum euertamus, quantumuis naturam ipsis repugnare viderimus, sed fideliter vtrumque credam. Ad hunc ergo modum vnusquisque fidelium erga Dei verbum fideique articulos affectus esse debet. Non enim natura nobis persuadere debet, ut vnum potius, quam alterum abiuremus. Ipse enim Deus est, qui & naturæ & fidei nostræ conditor est. Vnde ei longe magis quam naturæ, fidem habere debemus. Hanc igitur regulam diligenter obserua, nam illius argumenti, quod ex ascensionis articulo Hugonistæ aduersus Maiorum nostrorum fidem obijciunt, hæc vera solutio est. Vtrumque igitur, hoc est, tam ascensionis, quam cœnæ articulum simul crediderunt. Cur aut hinc cœnæ verba rejicerent, ut ascensionis amplecterentur articulum, aut inde ascensionis verba abiurarent, quo cœnæ verbis fidem adhiberent. Apud eos enim Deus eiusdem auctoritatis erat, cum hæc, atque cum illa diceret. Proinde Maiores nostri ita credentes, veri Abrahæ imitatores, ac filij extitere, quicquid eorum interim aduersarij, veri Iudæorum Philosophorum, Saracenorum potius quam filiorum Dei imitatores, clamitent, vociferentur, obganniant.

*Quinta regula.*

**Q**uinta regula erit, non Sophisticas illusiones, in verbis Dei, sed prorsus

necessarias, ac necessario concludentes esse faciendas, ita ut maioribus, ac propositionibus vniuersaliter veris innitatur. Quemadmodum verbi gratia, cum Hugonista ex eo quod verbum (est) in scripturis sacris nonnunquam pro (significat) accipiatur, inde consequens esse dicit, in verbis quoque cœnæ ita accipiendum esse, illum sophisticè argumentari dico, eo quod vniuersalis eius propositio, hæc, Quotiescunque CHRISTVS hoc verbum (est) vsurpauit, illud pro (significat) accepit, super quam huiusmodi eius consequentia, fundata esse debebat, falsa est: neque enim hic, Ego sum filius Dei, Ego sum Iesus Nazareus, (est) pro (significat) accipi potest. Ex quo sequitur huiusmodi argumentum ineptum esse & sophisticum.

His regulis ita præmissis non magnopere mihi laborandum est, ut singulis aduersariorum argumentis, obiectionibusque respondeam. Nam illis bene intellectis, atque perceptis, facile fuerit, ad singula respondere. Quocirca non magnopere equidem eos vrgebo, ut aliqua mihi scripturæ loca querant, & ostendant, vbi (est) pro (significat) vsurpetur; aut vbi Christus, per similitudines, figuras, & tropos, locutus sit: nam cum omnia quæcunque tandem inuenire poterint, istiusmodi loca, in medium attulerint, nihil tamen contra nos per necessariam consequentiam inferre possunt. Et hoc ideo sane, quia vniuersali propositione carerent, super quam conclusionis suæ fundamentum stabiliant. Ea autem propositio, qua ipsis opus est, huiusmodi esse debet: Christus vbi que figurate ac tropice locutus est, Ac rursus Christus vbi que verbum (est) pro (significat) accepit. Nam si huiusmodi propositiones veræ essent, ipsi contra nos optime sane concluderent. Verum tantum abest, ut enunciationes illæ veræ sint, cum pluraquam mille, in quibus CHRISTVS neque figurate locutus est, neque verbum (est) pro (significat) vsurpauit, occurrant. Quo fit, ut omnia eorum argumenta, quæ ipsi nobis ex huiusmodi scripturis obijciunt, funditus corruant. Ad hæc nihil opus est, ut diu immerer, ut ad ascensionis articulum respondeam. Nam satis per quartam regulam,

gulam, mihi respondisse videor, quæ hæc verba, Hoc est corpus meum, & ista, CHRISTVS ascendit in cœlum, simul credenda proponit. Ita dicimus, Christum in cœlo pariter atque in terra esse, quemadmodum Psalmista ait: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Aliquid tamen præterea, cum sophisticas eorum cauillationes refutabimus, de argumento hoc dicere non grauabimur. Cæterum illa CHRISTI verba, quæ in Euangelio Ioannis discipulis suis scandalizatis dixit, explicare constitui, propterea, quod super eorum prauam intelligentiam, nonnulla aduersarij argumenta, quæ nulla omnino momenti esse, imo contra eos potius, quam contra nos facere monstrabimus, fundare conantur.

*Eorum verborum quæ Christus protulit, scilicet, Equam carnem suam, se hominibus manducandam daturum promiserat, super quorum obscuritatem aduersarij errores suos stabilire volunt, expositio.*

CAPVT CXXVIII.

**A**DVERSARIJ coram discipulis suis de obtenta contra nos victoria gloriantur, nobisque calumniam inferentes, nos nunquam ad explanationem huius sententiæ CHRISTI, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, & cæc. descendere velledicunt. Quod quam falsum sit, ex eo intelligi potest, quod hæc post veteres Ecclesiæ magistros, ita exponimus, ut nulla prorsus inter hæc & ea quæ paulo ante, de reali carnis suæ manducatione CHRISTVS dixerat, repugnantia inueniatur, quemadmodum liquido ex ijs, quæ modo dicturi sumus, perspicuum erit. Cæterum, hic ante omnia ipsius CHRISTI verba subijciemus. Igitur Euangelista Ioannes refert, auditis Christi verbis, quæ de carnis suæ manducatione fecerat, multos ex illius discipulis, ex oratione Domini commotos & offensos fuisse, ita ut

dicerent; durus est hic sermo, quis eum audire potest? Deinde euangelista subiungit: Sciens autem IESVS apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi prius erat? Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed fuit quidam ex vobis qui non credit. Sciebat enim ab initio IESVS, qui essent non credentes, & quis esset traditurus eum. Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum à patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo IESVS ad duodecim, Numquid & vos vultis abire? Respondit ei Symon Petrus, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es CHRISTVS filius Dei. Quid igitur? An hæc à Christo prolata sunt, ut aut ea, quæ ipse de vera carnis suæ manducatione, & de vero sanguinis sui potu ante dixerat, euerteret, aut se de non reali manducatione, quæ fide tantum ageretur, aut de carnis suæ signis, & figuris manducandis locutum esse monstraret? Minime vero, sed ea tanquam responsum discipulorum scandalo ac murmuri opposuit. Est quidem in his CHRISTI verbis aliquid, de quo isti suam perfidiam adiuuari putant, quodque aduersariorum errori patrocinari prima fronte videatur: sed nos, quemadmodum ex illorum verborum literalis sensu, nihil, quod aut istorum erroribus fauceat, aut cum maiorum fide pugnet, vberius ostendemus. Quod ut commodius fiat, hic vtriusque partis, hoc est, nostræ, atque aduersariorum sibi mutuo repugnantes, plane conclusiones in medium adducemus. Nos itaque ex his verbis (Caro mea verè est cibus), Christi carnem in sacramento verè, ac realiter, recipi conclusimus. At vero ipsi ex illis quæ modo recitauimus verbis, Christi carnem non verè cibum: sed fide tantum, & spiritualiter, esse concludunt. Nunc reliquum est, ut quinam melius, ac scripturæ conformius argumentan-

tur, intelligi possit. Nostram conclusionem atque sententiam, ingenti rationum numero veram, ac legitimam esse, superius quidem offendimus: sed nunc ex abundanti eam non modo veram, sed etiam verissimam atque optimam, aduersariorum vero falsam, atque ineptam esse monstrabimus. Nostram itaque rectam esse pronuncio, quia toti simul scripturæ fidem adhibet; illorum vero ineptam ac falsam, quia non toti, sed vni tantum scripturæ parti credit. Firmiter enim credimus, Christum ibi de vera ac reali, pariter ac spirituali manducatione locutum esse, & vtramque necessariam: & vtramque à Christo exigi confitemur. Secundo aduersariorum conclusionem ineptam esse dico; eo quod ex vnius copulatiuæ enunciationis parte, alterius destructionem inferri nos autem pro vtriusque partis veritate concludimus. Hæc enim CHRISTI copulatiua est, Caro mea verè est cibus, & verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt; cuius vtrumque membrum & simul verum esse dicimus, & imple fieri, vt ex vnius veritate, alterius falsitas inferatur. Obserua igitur diligenter, scripturam hanc, enunciationem esse copulatiuam, ad cuius veritatem, vtriusque partis veritas simul requiritur. Quocirca hæc, disunctiuæ propositioni omnino repugnat, disunctiuæ enim, ex partibus contrarijs, ac inter se repugnantibus constat, ita vt ex vnius affirmatione, per bonam consequentiam alterius destructionem inferre liceat: vt cum dicitur. Aut dies est, aut nox est. Si dixeris diem esse, consequens est noctem non esse. Verum si dixeris, Ioannes probus & sapiens est, ex eo, quod probus est, cum sapientem quoque non esse, haud recte intuleris, at contra potius concludendum erit, vt copulatiua vera sit, Ioannem simul & probum & sapientem esse. Arqui huius vtriusque regulæ ratio est, quia nemo prudens, in vna eademque copulatiua propositione, plura quæ aut inter se pugnant, aut quorum vnum alterum euerrat, simul constituet. Nam si quis diceret, Ioannem simul probum, & sapientem, & improbum ac stultum esse, is non solum mentiretur, verum etiã stultus loqueretur. Ita si quis diceret, Christum

huic enunciationi similem fecisse, eum diceret, Panis quem ego dabo, caro mea est, & caro mea verè est cibus, & qui manducat meam carnem, habet vitam æternam, & verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, & caro non prodest quicquam, is (inquam) qui hoc diceret, directè aduersus infinitam Dei sapientiam concluderet. Ex aduersariorum autem argumentatione Christique verborum, quam ipsi effingunt interpretatione, consequens esset, eum ita locutum fuisse, ac si propositionem huic similem fecisset. Panis quem ego dabo vobis, caro mea est, & caro mea verè est cibus, & qui manducat meam carnem habebit vitam æternam, & panis quem ego dabo non est caro mea, & caro mea falso cibus est, & caro mea nihil prodest. Qui igitur ex illis CHRISTI verbis, realis carnis ipsius in hoc sacramento nostro præsentia negationem inferri, idem facit, ac si diceret, Christum huiuscemodi copulatiuam enunciationem, contulisse. Quod quid aliud est, quam ipsum tanquam vanum ac mente captum imple dicere? Quod vero aduersarius illius prioris aduersariatum inferat, hinc sane perspicuum est, quod alioqui fidem nostram impugnare non posset, nisi illi, super quam fidei Maiorum nostrorum fundamentum iecimus, posteriorem istam diceret esse contrariam. Nos vero qui Christum sapientissimum credimus ac fatemur, nobis persuadere non possumus, ipsum tam multa de carne sua manducanda, ac sanguine bibendo verba fecisse, vt quæ prius dixerat, post euertaret, ac sese retractaret. Quo fit vt copulatiua ipsius partes sic exponamus, vt nulla plane in ipsius verbis repugnantia reperiatur. Aduersarius autem ex vnius partis affirmatione, alterius negationem atque euersionem inferre se posse putat. Id quod ineptissime, atque sophisticè fieri dubium non est, cum Christi propositio copulatiua, non disunctiuæ sit. Cæterum aduersarius quamplurimas ex scripturis huiuscemodi consequentias colligit. Veluti cum scriptura ait, fidem, charitatem, bona opera, & id genus alia, ad salutem esse necessaria, statim ex eo quod fides necessaria sit, charitatem ac bona opera minime necessaria esse cõtendit.

Et

Et rursus cum scriptura corporale ieiunium, & ieiunium à peccatis approbat, is ex eo, quod vnum bonum esse dicitur alterum malum esse colligit. Hoc autem tale est, ac si ex eo, quod quis dixisset Ioannem & Petrum esse probos, consequens esse dicas, Si Ioannes probus est, Petrum improbum esse. Ita ex illis Christi verbis, quibus dicit, carnem suam verè esse cibum, & verba sua spiritum & vitam esse, aduersarij paralogizant. Huiusmodi igitur ipsorum conclusiones, sophisticas esse dico, quia ex vnius copulatiuæ enunciationis partis affirmatione, alterius negationem inferunt. Cæterum Maiores nostri longe aliter egerunt. Cui enim recte intelligerent, nullum vnquam prudentem virum illius mentis fuisse, vt duas in vna, eademque oratione propositiones sibi mutuo repugnantes collocaret, se ipsa veritatis vi cogi animaduertebant, vt sic illa CHRISTI verba exponerent, vt nulla penitus inter ipsa contrarietas tandem reperiretur, quantumcunque in superficie magna aliqua fuisse videretur. Vnde huiuscemodi argumentum hic colligo, Christi mens atque sententia non erat, sibi contraria & pugnancia verba proferre, sed si exponeremus hæc posteriora Christi verba, eo modo quo volunt aduersarij, essent contraria prioribus, illaque destruerent: eorum ergo expositio CHRISTI menti sententiaque contraria, ac proinde reijcenda est atque damnanda. Aliter igitur quam illi ea interpretemur necesse est: Quod non erit difficile, si veterum interpretationem sequamur, quorum ne vnus quidem est, qui ea sic exponere conatus non fuerit, vt illa cum prioribus conciliaret, & ne quid contra realem carnem Dominicæ, in sacramento nostro præsentiam diceret. Cæterum regulas illas, de ratione recte interpretandi scripturas diligenter retineamus necesse est. Nihil enim absurdius, quam postquam Christus dixit, Caro mea verè est cibus, sic sequentia eius verba interpretari, vt tandem consequens sit ipsum dicere voluisse, quod caro sua falso cibus esset. Quamquam enim Christus hic de spirituali carnis suæ manducatione locutus sit, facile tamen inter nos conueniret, si ab aduersario extorquere possemus, vt toti scripturæ simul crederet,

hoc est, tam ei, quæ realem præsentiam, quam quæ spiritualem ponit: vel saltem de tali spirituali manducatione locutum dicat, quæ reali contraria non sit. Sed ex eo quod hic de spirituali manducatione agit, ipsum nunquam antea de reali egisse absurdissime dicitur, maxime cum alibi nusquam dixerit, se de spirituali tantum loqui. Iudicet igitur æquus Lector, quantum inde absurditatis, in fide nostra, quæ vniuersam simul scripturam amplectitur, sequeretur. Aduersarius Christum hic, de spirituali manducatione locutum esse dicit, ego vero cum prius, de reali verba fecisse dico, conueniat igitur inter nos. At quomodo conueniet? Dicam vnico verbo. Credamus vtrumque, ac sic inter nos recte conueniet. Nam vnâ scripturæ partem ita recipimus, vt alteram minime repudiemus. Illud autem in aduersarij oratione iure meritoque reprehendimus, quod is vniuersam simul scripturam recipere nolens, per extortam ac prauam vnius interpretationem, alteram conatur euertere. His ita constitutis, iam ad particularem verborum, quæ Christus, circa sexti capitis Ioannis Euangelistæ finem dixit, explicationem veniamus, vt inde posteriora hæc verba prioribus minime contraria esse ostremus. Ego enim vt verum fatear, nihil in illis quod de spirituali tantum manducatione sumi debeat, ex literalis sensu comperio, imo omnia si rectè intelligantur, ad declarandam & astruendam realem facere manducationem. Nos literalem tantum sensum inuestigabimus, eumque à nostra parte contra aduersarios stare monstrabimus.

*Christi verborum, Hoc vos scandalizat,  
Si ergo videritis filium hominis,  
&c. explicatio.*

## CAPVT CXXIX.

**I**N primis igitur notandum est, Christum posteriora hæc verba, ob discipulos peculiariter dixisse, qui ideo scandalizati erant, quod prius dixisset, se panem viuum esse, qui de coelo descendit, & quod hic panis ipsius caro esset, & quod ipse denique caro, verè cibus esset.

effet, in quibus verbis ipsi magnopere scandalizabantur, Hoc est, neque ea vera esse, neque quæ CHRISTVS diceret, ipsum præstare posse credebant. Quamobrem dixit illis, Hoc vos scandalizat. Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi prius erat? Suspensa est hæc nec completa sententia, quemadmodum illorum, qui ex aliquo aut amoris aut indignationis affectu loquuntur. Vt ea igitur compleatur, verbum (Scandalizat) quod in priori eius parte ponitur, repetendum est. Ac sic genuinus eius sensus hic erit. Hoc vos scandalizat, id est, hoc quod de coelesti pane isto, quæ est caro mea dixi, vos scandalizat? Verum quanto magis vos scandalizabimini, cum me in proprio corpore, & carne in coelum ascendere videritis? Ac si diceret, Si nunc verba mea dura vobis videntur, quanto tum vobis duriora videbuntur? et si ea nunc vos scandalizant cum vobiscum adhuc in terris conuerfor, quanto magis vos scandalizabunt, cum me in coelum conscendisse videritis? Vnde si nunc vera ea esse, credere non potestis, multo minus certe tunc credetis. Et si nunc contra illa murmuratis, disputatis, quomodo izatis, id post meam, in coelum ascensionem longe amplius facietis. Tunc siquidem dicetis, quomodo fieri potest, vt realiter in sacramento sit, si ipse in coelum ascendit? Ac sic veram, & realem tunc carnis meæ manducationem, per ascensionis articulum euertere conabimini. His igitur verbis CHRISTVS se nostræ tempestatis hæreticos præuidisse ostendit, qui his verbis. Ascendit in coelum, & sedet ad dexteram patris; illorum ipsius verborum veritatem. Caro mea verè est cibus, totis viribus oppugnant. Qui & dicunt. Si Christus in coelum ascendit, quomodo igitur in sacramento realiter præsens esse potest? Optime proinde Christus nonnullos in Ecclesia sua futuros nouerat, qui in nouissimis temporibus per ascensionis articulum, coenæ fidem conarètur euertere. Optime nouerat hæc ipsius verba omnibus incredulis dura, duræque digestionis fore, ob quæ multi scandalizarentur. Verum beatos illos alibi fore dixerat, qui in ipso minime scandalizarentur. Igitur si hæc verba. Caro mea vere est cibus, dura vobis videntur, longe vobis duriora erunt

illa, quibus dicitur, cum qui non crediderit, esse damnandum. Sed & multo sane vobis verbum illud durius erit, quod incredulis aliquando dicitur. Ite maledicti in ignem æternum. Cæterum fideles, nullum sanè Dei verbum durum existimant, quia fidei eorum ardor, omnem eorum duritiam facile digerit. Durum profecto erat, illud Dei verbum, quo Abraham præceptum erat, vt filium suum Isaac immolaret, nihilominus tamè dulce, & placidum illi fuit, cum magnitudine fidei suæ illud manderet, atque digereret. Durum quoque illud CHRISTI verbum fuit, cum Chananeam canem appellaret, ac ipsam filiorum Dei panem pronunciat indignam, cæterum ingès ipsius fides, & ardès charitatis incendiū, illud emolliuit, atque facilis digestionis effecit. Vnde liquet huiusmodi Christi verba, perfidis tantum, ac incredulis esse dura, & infideles duntaxat, & qui CHRISTVM Dei esse filium non nouerunt, scandalizare. Quocirca Maiores nostri nec ea dura existimauerunt, nec in illis scandalizati sunt, tametsi postquam ea Christus dixisset in coelum ascendit, sed simpliciter illis fidem adlubendam putarunt. Cæterum, vt ad rem redeamus, ista CHRISTI verba. Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis, & c. nullo modo reali præsentia corporis Christi in Eucharistia sacramento repugnāt, sed potius aduersariorum, qui ex verbis ascensionis, coenæ verba expugnare conantur, incredulitatem notant, perfidiamque reprehendunt. Nos interim illa, quoad potuimus, quam maxime conformiter ad textum exposuimus, nulla ad aliorum interpretatione ratione habita. Veterum autem nonnulli, sic ea interpretantur, ac si dicta essent, vt illud scādalum tolleretur, quod inde discipuli conceperant, quod Christus carnem suam, coelestem panem dixerat, id quod ita se habere, nullo sane pacto sibi persuadere poterant. eo quod CHRISTVM in terra natum, in terra existentem in carne cernebant, & ideo non poterant animo concipere, quomodo panis coelestis dici posset, postquam autem in coelum Christi caro ascendit, deinceps negari non potest, quin de coelo descendat, quando nobis in sacramento communicatur. Quare panem coeli, & panem,

& panem angelorum manducare, recte nunc dicimur. Idem ergo erat, atque si dixisset, Si nunc non creditis, at tum saltem, cum in coelum, vbi prius secundum diuinitatem eram, me in proprio corpore ascendere videritis, me panem coelestem esse credetis; & panem hunc quotidie habebitis coelitus, vnde per sacerdotis consecrationem, ipse ad altaris sacramentum, quemadmodum olim māna, in populi Israelitici castra, descendet. Alij vero ad hunc modum, vt ascensionis articulum, velut insignem quandam infinitæ CHRISTI potentia, (de qua discipuli inter se disputabant) approbationem acceperant. Proinde dicebat illis: Hoc vos scandalizat? Credere non vultis, me carnem meam hominibus manducandam exhibere posse? Verum si aliud non minus impossibile, circa eandem hanc carnem facere me videritis, quid tum diceretis? Acquæ enim impossibile est, vt eam in coelum subueham, atque vt ipsam vobis manducandam exhibeam: attamen experientia ipsa discetis, me eam in coelum subuecturum: aduertite igitur, quomodo mihi quoque possibile fuerit, vt illam vobis manducandam subministrem. Ac sic profecto verba hæc, nihil aliud, quam ad Iudæorum murmuratorem, ac disputationem, Christi responsio esset, qua eos, vt rem impossibilem credant, ad aliam non minus impossibilem remittit. In summa, omnes veteres ad hoc semper pro virili elaborarunt, vt ascensionis articulum, coenæ verbis (quæ realem ibi corporis Domini præsentiam, quemadmodum & ascensionis verba, parem in coelo præsentiam constituunt) minime repugnare ostenderent. Sed hæc hæcenus.

*Quenam sit vera huius Christi sententia intelligentia, Caro nihil prodest, Spiritus est qui viuificat.*

## CAPVT CXXX.

CVM Christus discipulorum scandalum amouisset, hanc subiecit sententiam: Caro non prodest quicquam; quibus verbis aduersarij suam perfidiam adumbrare tuerique conantur. Nos autem eam Domini sententiam, nihil minus a-

gere, quam vt Maiorum fidē oppugnet, facile demonstrabimus. In primis ergo videndum est, vtrum ex verbis illis, quicquam recte inferri possit, quod huius sententiæ aduersetur, Caro mea verè est cibus, vel huic, Panis, quem ego dabo, caro mea est. Nam si ex illis nihil contra has sententias recte inferri potest, ea contra fidem nostram minime militant. Videamus igitur, an consequentia hæc recte inferatur. Caro nihil prodest, Christi: igitur corpus non est in Eucharistia sacramento. Hoc argumentum vitiosissimum esse dico. Nec enim consequens est, Hoc aut illud non prodest quicquam, igitur non est hic præsens. Quemadmodum nec sequitur, CHRISTI corpus in cruce nihil Iudæis proderat, realiter igitur in cruce non erat. Pomum quod Adam comedit, nihil ei profuit, realiter ergo illud non comedit. Hæc atque similes consequentiæ omnino sophisticae sunt. Quocirca etiam si ipsis demus, Christum hic de carne sua loqui, non ideo tamen eis eiusdem carnis à sacramento nostra absentiam, hinc recte inferre posse concederemus. Quare hoc ante omnia discutiendum est; an videlicet CHRISTVS, de sua ipsius carne, an vero de alia quapiam hic loqui vellet. Non enim dixit, Caro mea non prodest quicquam, sed Caro non prodest quicquam. Porro si dixisset: Caro mea non prodest quicquam, magnopere profecto huiusmodi verbis attonitos nos reddidisset, maxime cum prius de illa dixisset, quod qui eam reciperet, vitam consequeretur æternam, cumque eius tactu tot mortuos suscitatos, tot infirmos pristinae sanitati restitutos nouerimus, vtpote de qua tanta virtus exibat, vt quotquot eam tangerent, sanarentur, quibuscumque etiam languoribus detinerentur. Adde vero, quod si dicamus, eum hic dicere voluisse, carnem suam nihil prodesse, nec sanguinem proinde suum quicquam prodesse, eadem omnino ratione dicendum est, quo tamen redempti sumus, & de cuius virtute, efficacia, fructu, vtilitate, tam mirifica Diuus Paulus passim prædicat. Cum hæc igitur enunciatio, Caro CHRISTI nihil prodest, simpliciter falsa sit, nec ipse dixerit, Caro mea nihil pro-

prodest, sed in genere, Caro nihil prodest, nullo sane pacto ad sermonis rigorem, verba hæc Christi carne intelligi possent. Si enim de carne sua loqui voluisset, eadem ratione dicturus erat, Sanguis meus nihil prodest. Sicut autem propositio ista falsa est, Sanguis Christi nihil prodest, ita & ista falsa est, Caro Christi nihil prodest. Non itaque de sua carne loquebatur, cum diceret, Caro nõ prodest quicquam. De qua igitur carne dicebat? Ut hæc recte intelligamus, prius consideremus oportet, quo in sensu nomen hoc (caro) CHRISTVS vsurpauerit, cum ipse eo absolute & absque determinatione vlla vsus est. Hoc imprimis nomine, ipsi Nicodemo, de baptis-  
*Ioan. 3.* mi necessitate loquens, vsus est: cum enim Nicodemus ex ipsius verbis, nescio quem, nimium (prohdolor) carnalem sensum concepisset, ipse mox intulit, Quod ex carne (inquit) natum est, caro est, & quod ex spiritu natum est, spiritus est. Quo sane in loco, certissimum est, ipsum de carne sua non loqui, sed de Nicodemi potius carne, quæ cum omnibus suis sensibus naturalibus, nihil ad baptis-  
*Mat. 16.* mi mysterium comprehendendum proderat. Ita & hic, si dicamus, cum ipse discipulis suis, nimium adhuc carnalibus diceret, carnem nihil prodesse, eum hoc non de sua, sed de illorum carne dixisse, verus (meo quidem iudicio) horum verborum sensus erit, ut intelligamus, cum dicere, ipsam incredulorum discipulorum carnem, non magis ad corporis, & sanguinis sui sacramentum intelligendum, idoneam esse, quam ipsius Nicodemi caro erat, ut baptismatis mysteria comprehendere. Sic & apud Matthæum, in eadem omnino significatione, hoc nomine vsus est, cum, posteaquam Petrus gloriosam illam diuinitatis eius confessionem fecisset, ei diceret, quod non caro, & sanguis, sed pater suus coelestis hoc ei reuelasset. Quemadmodum Christi diuinitas ipsius carne tegebatur, ac latebat, quæ nullo tamen carnis sensu percipi, cognoscive poterat: sic & eius corpus, Eucharistiæ sacramento velatur, & tegitur, nec villo tamen sensu externo percipi potest. Recte proinde dicimus, carnem, & sanguinem, hoc est, sensus carnis nihil prodesse, ut de hoc mysterio, seu sacramento recte decernatur. Atqui certe

stulta illa Nicodemi quaestio, qua quærebatur, quinam fieri posset, ut homo iterum in matris vterum introiret, ex carne orta erat. Similiter & Capharnaitarum illud, Quomodo, non ex spiritu, sed ex carne prodibat. Nihil enim de Christi sapientia, atque potentia iudicabant, nisi quod ex carnis sensibus cognoscere, atque iudicare poterant. Quocirca pro certo teneamus, CHRISTVM hic carnem, pro illorum discipulorum carne, qui in ipsius verbis scandalizabantur, accepisse: dicit ergo discipulorum carnem qui sic scandalizabantur, nihil valere, ut huiusmodi mysteria intelligerent, sed ipsorum potius spiritum, qui eorum carnem viuificabat, qui quidem spiritus, fidei lumine illustratus, idoneus redditur, ut huiusmodi verba suscipiat, amplectatur, intelligat. Nihil diui Petri caro, ut magistri sui diuinitatem intelligeret, proderat, sed ipsius spiritus, Dei gratia coelitus illustratus, idoneus redditur, ad se venire posse dicebat, nisi a patre hoc ei datum esset. Sic nec discipulorum ipsius caro, ut hæc sacramenta comprehendere, quicquam proderat, sed ipsorum spiritus, posteaquam gratia spiritus sancti illustrati fuerunt. Atqui hæc sane omnino literalis, ac germana scriptura huius intelligentia mihi videtur. Alioqui nimium profecto crassa, nimiumque absurda hæresis foret, dicere, Christi carnem nihil prodesse, quæ sane hæresis in Concilio Ephesino condemnata est, tanquam quæ verbo Dei omnino repugnet. Nihil tamen hac nostra expositione, veterum interpretationi præiudicare volumus, quorum nonnulli scripturam hanc de Christi carne intellexerunt, ita, ut ipse sentiret, carnem suam solam, mortuam, & absque spiritu hominibus exhibitam, nihil valituram, ut ipsorum & corpora, & animas viuificet. Vnde ipsam illis viuam, spiritu, ac vita plenam, exhibituram se esse, dictum volebat, quem sensum in articulo fidei nostræ, pluribus declarauimus verbis. Cæterum, ego hic, ut iam ante admonui, literalem sensum, quam proxime poterit, sequi constitui; super quem, hanc auitæ fidei defensionem fundare volumus, absque villo tamen aliorum, qui vel aliter sentiunt, vel alio modo scripturam hanc interpretantur, præiudicio.  
 Verum.

Verum hoc vnum hic obseruabis, veteres Ecclesiæ patres, dum hæc CHRISTI verba exponunt, in hoc totos esse, ut, talem illis sensum assignent, qui præcedentibus CHRISTI verbis, quibus carnem suam, verè cibum esse dixit, nullatenus contradicat. Sic facit Diuus Augustinus, qui docet Christum noluisse simpliciter dicere, carnem suam nihil prodesse; sed tantum secundum quid. Hoc est, si sola, sine suo spiritu, nobis in cibum daretur. Eius verba subiungam: Caro non prodest quicquam; sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur; non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est: Caro non prodest quicquam, quomodo dictum est, scientia inflat. Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, scientia inflat? Solà, sine charitate: ideo adiunxit, charitas vero adificat: Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia: non per se, sed per charitatem. Sic etiam caro non prodest quicquam, sed sola caro. Accedit spiritus ad carnem; quomodo accedit Charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Hæc ille. Et nota quomodo ait, Verbum carnem factum ut inhabitaret in nobis, ut scilicet, per carnem suam, in nobis esset, dum illam māducamus, iuxta illud Christi: Qui manducat meam carnem in me manet, & ego in eo. Intellegit ergo, illam et carnem, quam Verbum assumpsit, hic nobis à Christo, in vitam promitti cibum, sed non absque suo spiritu. Nam verbum spiritus est, qui in Christi carne habitat, à quo Christi caro, vim omnem accepit viuificandi, sine quo spiritu, Christi nobis non datur caro, quæ si sine hoc spiritu daretur, profecto illius communio nihil nobis prodesset ad vitam. Subtilia quidem hæc sunt; sed verissima, nos simpliciter & faciliorem sequuti sumus, horum verborum expositionem.

*Quomodo ad suscipiendam, superius à me positam verborum horum, Caro non prodest quicquam, expositionem, quendam Calvinistam coegerim.*

## CAPVT CXXXI.

QVVM in misera nostra Gallia permissum fuit, ut quisque crederet ita atque vellet, eò confusionis rerum deuentum fuit, ut inter ferula & pocula, ab omnibus de altissimis fidei nostræ mysterijs ageretur passim, atque disputaretur, vnoquoque sacrarum scripturarum sibi peritiam arrogante, vendicanteque. Idque tanto cum fastu et supercilio, ut nihil insolentius aut superbius aliquando viderim. Tunc enim licet quod medicorum est, soli promitterent medici, tractarentque fabrilis fabri: sola scripturarum ars erat (ut verbis vtar Hieronymi) quam sibi passim omnes vendicabant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hæc verbosus Sophista, hanc vniuersi præsumebant, lacerebant, docebant antequam didicissent. Alij adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas, de sacris literis philosophabantur. Alij (prò pudor) à foeminis discabant quod viros docerent. Quale quid suo accidisse tempore Diuus conqueritur Hieronymus. Tum in quadam incidisse Calvinistam, cuiusdam nobilis viri nostri amici sanguinem, mihi contigit, quem conuiuio, in sua domo dictus excipiebat amicus, qui de meo aduentu gauisus, vbi inter conuiuas & ego discubuissem, narrare coepit, quanta in nos religiosos conuicia, dictus etiam muerat, me absente, Calvinista. Inter cætera, nos seductores & corruptores verbi Dei & Euangelij vocans, velut qui malitiose veritatem populum simplicem (quæstus causa) coelaremus, neque purum & expressum Dei verbum, sed hominum traditiones & adinventiones, relicto verbo Dei, doceremus: Calvinum autem à Deo missum esse, qui veritatem à nobis oppressam educeret in lucem, & suam verbo Dei auctoritatem assereret, restitueret, & vindicaret. Tuum ergo erit, qui velut  
 Dd luf

lut lupus ad fabulam accessisti, tuas hic tueri partes, teque tuosque à tam graui defendere accusatione, quod te facile sceleriterque facturum confido, siquidem cum te exhibueris, quem sapius in simili te certamine me presente præstitisti. De tuo certe plurimum congratulor aduentu; oprabam enim vestrum superueniret quispiam, qui Calvinista huius verborum, gratiori oratione retunderet. Adeo enim ampullosis de DEI verbo verbis, se iactat, ut iam grauis sit nobis audiendum. Tum ego si mihi certaminis campus liber permittitur, in ipsius accusatoris suorumque capita, quæ nobis obicit rectorum me esse, atque reiecturum crimina, lubens recipio, tantum à conuitijs abstineatur, & solidis rationibus atque testimonijs, suam uterque tueatur causam. Hoc si mihi conceditur, faciam ut ante disputationis huius finem, euidentissime cunctis pateat, quàm falso Calvinus, & reliqui eius farina sacramentarij, de puro aut expresso Dei verbo gloriantur, & quàm iniquè illius nobis obijciant contemptum. Conditionem Calvinista admisit, promissitque modestiam, ingentia se facturum iactans, & quæ dixerat facillime probaturum esse. Dum autem, quo iudice, litigaremus quarerem, ipseque verbum Dei iudicem deligeret, respondi ego fieri non posse, ut res muta & irrationalis, quæ nos audire aut intelligere non potest, neque si audiret aut intelligeret, proferre sententiam linguæ defectu valeret, iudicis partes agat, mirarique me quomodo cum alius sit iudex, alius reus, alius accusator, & aliud res de qua controuertitur, rem tamen de qua disputatur, iudicem esse velit, cum nullas iudicis partes implere, aut exercere queat. Iudex enim non nisi rationalis aliqua substantia dici potest. Hic uter nostrum Dei verbo conformius credat, & doceat, agitur: iudicem opus est homine aliquo, qui vtriusque rationibus auditis, & mature expensis, pro alterutra parte sententiam ferat. Tandem post multas altercationes conuenit inter nos, ut istius disputationis

arbitrator moderatoreque, communis amicus hospes esset, qui cum exacti vir iudicij esset, istud saltem decernere posset, uter nostrum obiecti criminis reus esset, & uter sibi verbum Dei vindicare, meliori iure quiret. Conuenit similiter inter nos, ne plus æquo longior disputatio foret, vnica tantum de re disputaretur, eaque illarum de quibus controuertitur præcipua; in qua qui vicisset rotius causæ victor existimaretur. Et quia inter omnia de quibus lis nobis cum hæreticis intercedit, præcipuum est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum: voluit iudex de reali disputare corpus CHRISTI in dicto sacramento præsentia. Tum demum ventum est ad arma, descendimusque in arenam, atque sic Calvinistam aggressus sum. Quia hæc disputatio nostra, non victoriæ, sed veritatis manifestandæ causa suscipi à nobis debet; certa oportet methodo procedamus. Ideo ab expositione incipimus oportet, ut scilicet exponamus, uterque quid de proposta questione credat, idque simplicibus & manifestis, absque vlla ambiguitate aut obscuritate verbis, quatenus quid oppugnare, quid non oppugnare debeat, uterque sciat; ne Andatarum more pugnantem, in cassum aëra verberemus, tempusque in vanum teramus. Hic iudex æquum me petere dixit, & sic procederemus, Calvinista assensit. Interrogavi ergo cum primo, Quid Dei verbum esse diceret? ille ea tantum habere se pro Dei verbis quæ in veteri vel nouo testamento scripta habentur. Interrogavi deinde, an crederet, quicquid est ad fidem necessarium in scripto Dei verbo, contineri, Respondit ita esse, aded vt nihil credendum sit, esse de fide, quod expresse in scripto DEI verbo non continetur, & quod huic nihil addendum sit, nihil ex eo diminuendum, nihil mutandum; sed purum, putum sit amplectendum, reiectis hominum traditionibus & inuentis: & hominum traditiones dicebat esse, quicquid expresse Dei verbo non contineretur, doceretur. Hic ego interfatus sum, dicēs me

pro

pro DEI verbo agnosceret, non solum quæ in libris veteris & noui testamenti continentur, verum etiam omnia illa quæ nobis Deus per Ecclesiam Catholicam locutus est, aut loquitur, maxime cum constet, librum noui testamenti viua esse fidelium corda, non charitam aliquam mortuam; papyrus. Crederet igitur me, matrem nostram ecclesiam totam legem nouam in penetralibus cordis sui digito Dei, id est, Spiritu sancto operante scriptam seruare, neque ad cognoscendum verum DEI verbum scripturam mortuam sufficere; sed Ecclesiæ magisterium omnino necessarium esse: Verum nolle me hac questione impedimento coeptæ disputationi esse, quare ad effectum tantum huius disputationismittere me dixi, suam de Dei verbo & traditionibus humanis diffinitionem, quandoquidem etiam si tam arctis circumscriberetur Dei verbum limitibus; facile tamen hanc ex scripto Dei verbo, possem euincere litem. Pergeret igitur fidem suam de Eucharistiæ sacramento claris exponere verbis. Dic ergo (dixi ego illi) vt statim ad ipsum controuersiæ caput accedamus. Quid in dicto sacramento, cū ipsis illius symbolis seu signis, exhiberi tibi credis? Scis enim, sacramentum omne, duo habere, visibile scilicet signum, & inuisibile significatum, quod cum ipsis signis nobis inuisibiliter communicatur, quero quid sit illud inuisibile, quod in cœna vestra Caluinica cum ipsis vobis symbolis exhibetur. Non quero, quid tu mente credas, aut putes te habere; sed quid, etiam si non crederes, in ipsis signis, consecratione facta, verè atque realiter contineatur. Quanam est res illa inuisibilis, quam secum visibilia signa verè habere creduntur. Quàm clarissime possum questionem hanc propono, ne tibi vlla verborum obscuritate elabendi aut diffugiendi, occasionem præbeam. Respondet ille, ita se credere atque confessio eorum fidei Christianissimo regi Carolo nono in Possiaca Synodo oblata, & articulus cœnæ, à Beza & reliquis Ecclesiæ Gebennensis ministris, dictæ synodo exhibitis continebant. Subintuli tum ego. Credis

ergo, CHRISTVM in sancta ista cœna tibi offerre, donare, & exhibere, verè substantiam corporis & sanguinis sui, per operationem sancti spiritus? Credo, inquit ille: quia sic in nostro cœnæ articulo supra commemorato continetur. Credis igitur, dixi ego, realem corporis CHRISTI in dicto sacramento præsentiam. Nam verè, idem est ac realiter. Id enim dicitur esse verè, quod ita se habet ex parte rei, atque per propositionem significatur. Respondet ille, non admittere se realem præsentiam, nisi in quantum fides res promissas præsentem reddit. Nam impossibile est, vt Christi corpus sit simul in cœlo, & in terra. Quod facere, ne DEVS quidem potest, ob repugnantiam; quæ est ex parte rei. Ideo rectè dixit Beza noster, tantam esse distantiam inter CHRISTI corpus, & cœnam nostram, quantum est inter cœlum & terram. Sed idem Beza (subintuli ego) asserit, sic fidem CHRISTI corpus præsentem reddere, vt verè & de facto, verum & naturale CHRISTI corpus, in dicto sacramento, à vobis recipiatur, & hoc respectu, dicti corporis fateatur præsentiam, aded quod non discrepamus ab ipso (vt videtur) de præsentia corporis, sed de ipsius præsentia causa. Nos dicimus, per Dei omnipotentiam, hanc fieri præsentiam, ipse verò per fidei vestræ præstantissimam potentiam, præsentiam illam fieri dicit. Quod si in instanti, vel tempore illo, quo fides vestra, CHRISTI corpus verè esse præsentem in vestra cœna facit, est simul in cœlo & in terra (quod fateri tenemini, quandoquidem ad diem vsque iudicij, in cœlo semper futurum esse asseritis, neque ad finem vsque sæculi esse discessurum) profectò fides vestra id efficiet, quod Deo antea impossibile esse dicebatis, atque ex parte rei repugnare, ne fieret. Vnde manifestè fidei vestræ falsitas apparet, in cuius confessione, tam parum vobis constatis, & tam aperte sibi contradicentia sustinetis. Veritas enim semper sibi constat, mendacium vero seipsum semper destruit. Nam (vt verum fatear) nescio ego, quid

Dd 2 106

tot determinationibus in vestro fidei articulo positus, velitis tandem: nisi eandem simul rem & negare & affirmare. Quare vellem simpliciter, & absque vilo verborum furo mihi diceretis, an ipsum naturaliter Christi corpus, realiter cum ipsis sacramenti signis, in eodem loco praesens verè sit, sic quod nullo intellectu cogitante, nihilominus etiam à non credente sumi possit; an verò reuera realiter absens sit. Edicito palam, quid hic credas: Nam in immensum cresceret nostra disputatio, si absurditates omnes & contradictiones prosequi vellem, quae bellus ille coena vestra à Beza, & suis vndecim Apostolis conscriptus articulus habet. Responderet ille; non omnia probare se, quae Beza praedicta synodo dixit aut scripsit, neque se in Beza, sed in Christi verba iurasse: Ideo simpliciter quid credam scire velis, scias (inquit) me atque Bezam quicquid tandem dixerit, & qualecumque respectus habuerit, in nostra coena, non nisi corporis CHRISTI virtutem seu effectum, cum ipsis signis habere, nos credere. Credimus quippe tantam corporis virtutem, efficaciam, atque energiam, nos participare, ac si ipsummet corpus realiter sumeremus: ipso interim corpore in caelo tantum existente. Haec est fides nostra, hanc si velis oppugnato: Tunc petij ab eo, num illa virtus corporis aliquid illis utilitatis afferret. Respondet, permaximam, tantam scilicet, ac si ipsummet corpus manducarem, aut sanguinem realiter biberemus. Memineris (dixi ego illi) omnium quae nunc dicis & fateris, ne forsitan postea, eadem negare, argumentorum vi coactus, velis. Nam si te haec negare coegero, victum te fatearis, oportebit. Conditionem recipio, dixit ille. Tum ego, examinemus igitur nunc quid verbo Dei expresso & scripto pro tua conforme fides haec habeat. Receperas te nihil dicturum quod expresso & scripto Dei verbo probari non posset. Nunc ergo dic quae, quo Dei verbo probare potes, Deum facere non posse, ut idem CHRISTI corpus, in pluribus simul locis sit. Clarissima sunt DEI verba, quibus Angelus à Deo missus omne verbum Deo possibile ef-

se asseruit: David ait, Deum omnia quaecumque voluit in caelo & in terra fecisse. Passim scriptura omnipotentem illum fuisse asserit, estque primus fidei articulus in Apostolorum symbolo, quo nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur. Quo igitur expresso aut scripto Dei verbo, aliquid Deo impossibile esse negatis, & maxime illud, quod fidei vestrae possibile esse dixistis, quae res promissas praesentes reddere (ut ait) potest. Facessat philosophia, facessant naturae rationes, aut hominum sophismata, contra tam clarum Dei verbum. Hic haerere homo coepit, atque ad rationes quasdam naturales confugere, quod cum praescriptae disputationis leges non permitterent, ego expressum aliquod scriptum Dei verbum exhiberet ut verbum, quo expressè & manifestè diceretur, Deum facere non posse, ut idem corpus, in pluribus simul sit locis: ipse autem diffugere conabatur, donec à me interpellatus iudex sententiam dixit, qua cadere illum causa pronunciabat, si verbo aliquo expresso impossibilitatem illam non probaret. Quod facere cum non posset, ad alia examinanda transiremus iudex iussit. Tum ego. Illud quod aduersarius ait, credere scilicet se, tantum corporis CHRISTI virtutem, & non corpus ipsum, in ipso nobis altaribus sacramento exhiberi, facillime quoque eadem ratione reiecero. Non ostendat aduersarius verbum aliquod CHRISTI aut Apostolorum, esse expressum & scriptum, quod virtutem corporis, aut eius effectum, non ipsum corpus CHRISTI in eo nobis dedisse doceat. Et si quodpiam inuenierit, ego causa cecidero, & libenter illi, uti victori manum porrexero. Hic aduersarius responderet: Per corpus, effectum corporis intelligi debere. Petij ego ab eo, quis hoc dicat, Deus, an homo? Nusquam enim scriptum inuenitur verbum Dei, quod dicat, per corpus effectum corporis intelligi hic debere, vel eius virtutem. Ista, tua & Caluini verba sunt, non Dei, vel profer locum ubi effectus corporis, vel virtus corporis, pro corpore CHRISTI positum inueniatur. Fateor dixit ille, haec scripta in Euangelio non inueniri,

niri, sed ea tamen debere subintelligi. Tum ego quid sit expressum Dei verbum, & quid vox expressum significat, ex illo Garmatici verfu, scire poteras, quo ait. *Supprimat orator, quae rusticus edit inepte.*

Supprimere & exprimere opposita sunt, id quod non habetur in scriptura, sed subintelligi debet, non expressum, sed suppressum Dei verbum dici debet: tu autem ex expresso tantum te locuturum esse receperas, & quod est extra vel praeter expressum Dei verbum, traditiones & inuentiones dixisti esse humanas. Tua ergo fides non expressum Dei verbum, sed humanam tantum traditionem & inuentionem, humanum mortalis hominis verbum pro suo fundamento habet. Nonne igitur vides, quam falsè de expresso Dei verbo, tu tuique gloriemini, cum nihil minus quam Dei verbum pro vestris fulcendis opinionibus habeatis, sed miscetis verba vestra cum Dei verbis, Dei autem verba mutatis atque corruptis. Nam ponere effectum pro corpore, est Dei verbum mutare, truncare, corrumpere, vestraque eorum loco ponere verba. Hic iterum haerebat ille, neque quorsum euaderet reperiebat, quippe suis legibus & verbis constrictum illum tenebam, cum illum iudex placidè alloquutus, admonuit ab errore respiceret. quandoquidem tam manifestè ceciderat causa, neque secundum conditas disputationis incundae conditiones aliter facere posset, quam aduersus eum pro mea parte sententiam ferre. Non habuit miser homo, quod aduersus tam iustam sententiam exciperet. Quare licet tunc obstinato perrexerit animo, in suo perseuerare errore: infra viginti tamen quatuor horas, ubi disputationis in eo deservisset calor, errorem agnouit, respuitque. Forsan hic mihi Caluinista quispiam obstrepet, dicetque, illum in quem incideram, non fuisse in eorum theologia fati peritum & eruditum, Cui ego respondero: Si quis reperiat inter omnes totius mundi Caluinistas, qui lege praescripta, ne quid asseri in religionis causa debeat, quod ex scripto & expresso Dei verbo, doceri non possit) in hac de sacramento disputatione, succubi-

turus non sit, si solam virtutem aut effectum carnis suae tantum, & non ipsam veram carnem CHRISTVM in eo nobis exhibere, sustinere perrexerit, paratum me semper fore, qui in eorum statim transcam castra. Quid enim manifestius, quam nullum eos, purum, clarum, aut expressum DEI verbum, pro asserenda illa sua opinione habere? Et quid euentius, quam nos Catholicos, purum, clarum, & expressum Dei verbum sequi, dum CHRISTI corpus pro nobis mortuum, & sanguinem pro nobis effusum, in sanctissimo hoc sacramento habere nos sustinemus? Hoc nempe expressum Dei verbum, manifestè dicit. Sed eo vnde digressa est nostra redeat oratio. Cum praedictus Caluinista suam (non dico fidem) sed opinionem ex expresso Dei verbo sustinere non posset, victusque iam & confusus in seipso contabesceret, ut illius animum aliquantulum sublenarem erigeremque, illum adhortatus sum, simili qua ego suam ratione fidem, meam oppugnaret, examinaretque: me quippe nulla ratione subterfugere velle, quin ad lydiu istum verbi Dei, expressi & puri lapidem, eius probetur veritas examineturve. Tum ille, iam (inquit) meis ipse legibus captum me esse constrictumque video, quandoquidem expressum Dei verbum, carnem & corpus CHRISTI (non illius effectum, virtutem, signum, aut figuram) id quod Christus Apostolis, in coena dabat, manifestè nominet & appellet, quare hoc solum mihi relictum video, aliquo Dei verbo, illam sic oppugnem, ut expressa illa verba, aliter exponi debere euincam, quam eorum naturalis significatus ferat, quem pro te facere, nulla negare ratione possum. Ea ergo (dixi ego) exhibeas te virum, & potentiori quam habeas machina fidei nostrae impugnato arcem; quo enim à te fuerit vehementius & acrius imperita & diuerberata, eo firmiter stabit. Tum ille, verba illa CHRISTI, quibus ait, Caro non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat, manifestè arguunt, Christum de reali carnis suae manducatione non loqui. Cui ego: Ex eo quòd res aliqua non prodest quicquam, inferri non potest,

quod sit realiter absens, aut quod manducari realiter non possit. At huic solutioni nunc non insistam. Hoc solum vigebo, verba ista nihil contra nos facere, nisi Christum ostendere poteris, de sua locutum esse carne, cum carnem diceret non prodesse quicquam. Exclamavit ille, sic se rem habere, & quod de propria carne dixisse intelligendus est, dum ista verba protulit, Caro non prodest quicquam. Ergo in eo ego, idem erit ac si Christus dixisset, Caro mea non prodest quicquam. Vtiq; ait ille. Quomodo igitur dixi ego, verum erit, quod virtus de illa exibat, & sanabat omnes? Quomodo tradita illa est pro mundi vita, & profuit ad vitam & reparationem totius mundi? Vt quid corpus illi coaptatum est, ex quo Deo gratum & acceptum sacrificium pro totius mundi offerretur reconciliatione? Quomodo si caro CHRISTI non prodest quicquam, verum erit, quod qui manducat eius carnem, habebit vitam aeternam? Sed praestat tuis te confodiam verbis. Vetus sententia est, Oportet mendacem esse memorem. A principio admonui te, eorum meminisses, quae tum pro tuae fidei fundamento in medium iaciebas. Et inter cetera dixisti, te carnis & corporis Christi virtutem efficaciamque in Caluinica tua habere coena, nunc autem dicis, carnem Christi virtutem nullam habere, quia ais Christum dixisse, Caro mea non prodest quicquam. Quae nihil prodest, nullam profecto virtutem habet, & vos non nisi carnis Christi virtutem in vestra haberi Caluinica coena, pertinaciter nimium sustinetis. Quid itaque consequitur, nisi nihil omnino praeter merum panem & merum vinum habere vos? Non habetis ipsum corpus, quod ait non posse esse nisi in caelo, non habetis eius virtutem, quia cum nos oppugnatis, inquitis Christum dixisse, carnem suam nullam habere virtutem, nihil prodesse. Annon igitur homines illuditis, eisque imponitis, dum eos ex Ecclesia Catholica ad vestras seducitis partes? Hic te iterum constrictum teneo. Nam nisi recantaueris, quod nunc dixisti (CHRISTVM scilicet cum diceret, Caro non prodest quicquam, id de sua intellexisse carne) totam de tua Caluinica coena disputationem subruis euertisque. Hoc autem si feceris,

iam ego ab omni huius tui argumenti impetu liber ero, quod directe tuam impetit opinionem, atque funditus perfringit, aduersus meam autem de reali carnis praesentia fidem etiam in eo quo tu illud adducis sensu, nihil directe, aut necessario concludit. Si autem hoc recantaueris, iam te victum fatearis oportet, vti ab initio ex praescriptis & receptis conuenerat inter nos legibus. Hic cum index attonitum aduersarium, & velut stupore percitum videret, ad eum conuersus ait, A deo te (cognate) hac disputatione implicium video, vt nulla tibi euadendi via relicta sit, quin te victum fatearis. Nam prius aut abneganda omnino Caluiniana opinio a te est, aut istud Christi verbum, quod contra Catholicorum fidem allegasti, in alio abs te interpretandum est sensu. Nam profecto, dicere, Christi carnem nihil prodesse, intolerabilis blasphemia est. Ad haec Caluinista respondit, non se posse negare, quin victus esset. Non enim (inquietabat) dicere ausim, Christi carnem inutilem esse, magna siquidem blasphemia id esset, & Dei expresso verbo maxime contrarium. Rursum clare nimis, meam a me subuersam fidem video, dum alienam incaute atque inconsiderate oppugno, neque hic quod respondeam occurrit memoriae; quare mihi ipse displicere incipio, & eos odisse qui in hanc me coniecerunt confusionem. Existimabam quippe, quod a quoquam vincerer impossibile esse, tam constanter ministri nostri expressum Dei verbum pro sua stare parte assenerare solent; nunc autem quid consilij capere debeam, deliberaturus sum. Vellem tamen horum Christi verborum, Caro non prodest quicquam, genituum audire sensum. Tum ego, Si pergas plus Caluini tui verbis, quam Christi filij Dei expresso credere verbo, stulte nimis egero arma mihi eripiendo, tibi que tradendo, quibus te oppugnare imo & expugnare possim. Sic nempe ex isto Christi verbo, quod te non intelligere probe scio, vestram opinionem impugnaturus sum. Quod non est, nemini datur. Carnis Christi virtus nulla est, Ergo nemini exhiberi potest. Minorem ex Dei probo verbo, quo ait, Caro non prodest quicquam. Quod enim nihil prodest, nullam virtutem habet. Vides vt contra te faciat, quod contra

me

me allegabas. Recte ait Hieronymus, scripturam non in allegatione, sed in sensu consistere. Nam scripturam allegare etiam diabolus potest. Omnis scriptura interpretatione eget. Te itaque docebo quis sit verus horum Christi verborum sensus, Si tu legem seruasses, quam seruandam esse ad rauim vsque clamatis, nihil scilicet expresso Dei verbo addendum esse, non in hanc in qua te teneo foueam cecidisses. Cum enim Christus tantum dixerit, Caro non prodest quicquam, tu pronomem (mea) addidisti, quod Christus non dixerat, vnde factum est, vt tam prauum ex his verbis conciperes sensum. Non dixit Christus, Caro mea non prodest quicquam, sed absolute de carne locutus est, quo loquendi modo quoties hac voce Caro vititur, vt plurimum in malam illam partem accipit. Verbi gratia. Cum Nicodemo diceret, Quod natum est ex carne, caro est, & Apostolis, Spiritus promptus est, caro autem infirma, Et Petro, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in caelis. Quibus in locis de humanae carnis conditionibus, in genere loquitur. Cum enim de sua carne loquitur, semper addit pronomem possessiuum (mea) vel genituum, (filij hominis), quando autem pro alia re capitur, sine vlla ponitur determinatione; quemadmodum in his Christi verbis, quae exponere cupimus, vox ista posita est. Quare hic idem significat; quod eo loco quo Christus Petro dixit, Caro & sanguis non reuelauit tibi, ibi enim pro sensu carnis accipitur. Nam caro cum omnibus suis sensibus ad Christi diuinitatem corporaliter in Christo (vt Diui Pauli verbis vtatur) inhabitantem pertingere nullo pacto poterat, vel incarnationis Christi intelligere mysterium: Nihil ad tanta rei intelligentiam proderat Caro. Simile quid hic Christus dictum voluit. Videlicet ad capiendum sacramenti carnis Christi mysterium, nihil prorsus prodesse carnem, quin potius plurimum obesse, si secundum illius sensus de tanti mysterij iudicauerimus veritate. Spiritus autem qui carnem vivificat, is est, qui fide illustratus ea capere atque intelligere potest. Hic carnis sensibus renunciare oportet, & spiritu in altum extolli, vt nihil hic carnale cogites, quemadmodum soles, cum de alte-

rius carnis esu sermonem audis. Ad hunc finem a Christo dictum est, caro non prodest quicquam. Sic si interpretatus verba haec fuerit, tua non contradicent opinioni, & Caluinianus adhuc esse posses, si expressum vllum Dei verbum, pro illius stabienda opinione haberes. Vides itaque vti verba ista reali carnis Christi esui nullatenus repugnant. Si quae autem alia verba, quae nobis opponas habes, ea audeat proferto. Hic ille destitutum se omnino a fidei nostrae oppugnatione dixit, quando quidem quod fortissimum arbitrabatur ita facile elisum argumentum suum viderit, & contra se inuersum; timeatque ne idem sibi in reliquis eueniret. Quare finem hic nostra habuit disputatio, ludice dicente illoque fatente, quod mera calumnia erat, qua nos Caluinistarum ministri contemptus vel oppressionis verbi Dei, apud suos accusant, cum ita clarum sit, & manifestum, puro & expresso Dei verbo nos mordicus adherere, illudque venerari, & credere, & in vero suo sensu accipere. Caluinista autem, sumpto ad deliberandum vnius noctis spatio, postridie Caluini sectae nuntium remisit, haeresisque abiurata Catholicus factus est; suam postea caecitatem & admirans & deridens. Hanc hic disputationem inferendam esse existimaui, tum quia ad ea quae tractamus Dei verba intelligenda multum prodesse potest, tum vt exemplum lector habeat, in quo quam facile erroris conuinci aduersarij possunt, & quam in fumum omnis eorum de verbo Dei iactantia, simulatque ad verbi Dei lucem admonetur, subito euascat, perspicere queat. Magna profecto aduersarius fraude atque astutia vititur, vt simplicibus imponat, qui dum illum vociferantem audiunt, solo & expresso Dei verbo credendum esse, non animaduertunt, latere anguem in herba, sed bonum virum illum existimantes, quicquid postea dicit, purum & expressum Dei verbum esse putant, & nimium securi, an ita sit necne, inquirere ulterius non curant. A quo somno & stupore excitatos eos cuperem maxime, cum hic de eorum vita agatur & salute. Nos autem clamamus, illi quae illud Poetae occinim, Frigidus o pueri fugite hinc, latet anguis in herba. Haud dubie enim antiquus ille serpens, qui

Dd 4

quon-



quondam circa cibum mortis, ne Deo crederent primos seduxit homines, hic iterum sub pulchrorum horum verborum herba, Dei puro, expresso, solo verbo credendum est, delitescit, & latet; quo incautos nimium nostri seculi homines circa cibum vitæ seducat, ne quod de eo Deus dixit credant, sed suo nequaquam Dei verbo contrario adhibeant fidem, & adhæreant. Sed beatus qui euaserit, & non fuerit in cibo vitæ scandalizatus. Verum tempus est, ad reliqua Christi verba (quibus erroribus suis verisimilitudinem conciliare aduersarius conatur) exponenda, nostra redeat oratio.

*Quod ex his Christi verbis, Spiritus est qui viuificat, nihil contra fidem nostram recte colligi possit.*

## CAPVT CXXXII.

**N**escio quam equidem occasionem aduersarij nacti sint, vt ad fidem nostram, de carnis Dominicæ in Eucharistiæ sacramento præsentia, oppugnandam, hæc sibi verba, ( Spiritus est, qui viuificat ) vendicare voluerint. Neque enim quicquam ad hoc, quemadmodum nec alia iam dicta conferunt. Quæ enim isthæc fuerit consequentia, Spiritus est qui viuificat, Christi igitur caro non est præsens in sacramento? Nam etiam si illis concedamus, Christum de propria carne, ac spiritu suo loqui: non tamen, quia spiritus est, qui carnem viuificat, inde sequitur, ipsam carnem non esse præsentem. Imo verò contrarium sequi videtur, nimirum si spiritus est, qui viuificat, ibi carnem adesse, vbi spiritus viuificat. Viuificans enim sine viuificato esse non potest, quare vbi est viuificans, viuificatum quoque esse oportet. Quo fit, vt nullum ex his verbis, nisi sophisticum argumentum colligi possit. Cæterum si Christum hic de sua carne, ac spiritu suo loqui intelligamus, sensus huiuscemodi erit: Ne existimetis o Iudæi, carnem meam, ex seipsa huiuscemodi viuificandi vim ac potentiam habere: ex spiritu enim diuinitatis, cui ipsa coniuncta est, hanc viuificandi vim, atque energiam hausit. Ipse enim diuinitatis meæ spiritus est, qui eam viuificat. Deinde verò ea viuificata, alios quoque ipsa sanctissimi

mo suo attractu, & communione viuificat. Si verò eum de nostra carne ac spiritu loqui intelligamus, sic accipiendum erit, ac si dixisset, spiritum nostrum esse, qui carnem viuificat, & quod ipse solus huiuscemodi verba sua intelligere, ac carnis sensum corrigere possit. Cæterum Diuus Cyrillus aliam his verbis interpretationem assignat, qua Christi carnem, non carnem solummodò, verum etiam spiritum appellat. Consule eundem in sextimo Ioannis caput.

*Quis sit verus horum Christi verborum sensus, Verba que ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt.*

## CAPVT CXXXIII.

**A**dversarij hæc Christi verba semper in ore habere soliti, ea sic accipienda esse contendunt, ac si Dominus, quicquid toto hoc capite, de carne & sanguine suo dixerat, spiritualiter intelligi velit. Id quod lubenter haud dubie illis concederemus, si sic (spiritualiter) quemadmodum & nos in fidei nostræ articulo, illi accipere vellent, vt nimium voci (carnaliter) non autem voci (realiter) opponatur. Aut si aduerbium illud (tantummodo) quod sua inuentione verbo Dei adijciunt, tollere vellent. Nos enim Christum tam de reali, quam de spiritali mædicatione hic locutum fuisse credimus, quemadmodum iam antea latius ostendimus. Cæterum nos hæc verba ad literæ rigorem exponemus, vt sic nullum eis locum relinquamus, quòd his verbis, ad oppugnandam fidem nostram vti possint, quandoquidem literalis eorum sensus, pro nobis, ac contra aduersarios facere videatur. Principio igitur, vt verum eorum sensum consequamur, notandum est, qua occasione, quæ de causa Christus ea protulerit. At certum est, ipsum contra discipulorum murmur, atque disceptationem, quam inter se habebant, cum dicerent, Durus est hic sermo, ea pronunciaffe. Quocirca hic non de Christi carne, sed de verborum ipsius natura, & qualitate agitur, de quibus tria hoc capite dicuntur. Discipuli siquidem increduli ea dura esse dicebant, Christus contra, spiritus, & vita sunt, (inquit) Diuus autem Petrus verba

verba vitæ æternæ ea congruè appellat. Proinde neque carnem suam, spiritum, neque ea, quæ dixerat, spiritualiter intelligenda esse dicit, sed de verborum suorum conditione tantummodò, & de eo, in quo ipsa ab hominum verbis differat, loquitur, asserens ea vitam, & spiritum esse, id est, plena spiritu & vita. Atqui hoc sane est, quod alibi scriptura dicit, Verbum Dei esse viuum, & efficax. Dicitur enim viuū, & efficax, quia efficit, quicquid dicit. Id quod nullo sane pacto, hominum verbis conuenit, nam quatumuis homines coruum album esse dicant, nihil tamen propterea mutatur in coruum. Dicant insuper mortuo, & tumulo surgat, nihil tamè propter ipsorum verba fiet. Cæterum Dei verbum, longè alterius energiam, virtutis, efficaciam est, quia omnibus inanimatis, ac mortuis rebus vitam supeditat. Quod vt ita esse intelligas, animaduerte, quid Lazaro acciderit. Is siquidem, cum quatruiduanus in sepulchro iaceret, spiritu, & vita carebat. Verum simulatque hoc DEI verbum (Lazare veni foras) super miserum hunc mortuum, prolatum fuit, illum spiritu & vita repleuit. Imo omnis, quæ in hoc mundo vita est, à Dei verbo, tanquam à suo fonte manat & profluit. Nulla adhuc anima viuens in terris erat, cum Deus diceret, Producat terra animam viuentem, & statim in hoc verbo terra iumentis, reptilibus, volatilibus, &c. cooperta fuit. Imo & immensum illud cælum hoc verbo suum esse accepit. Vnde regius Propheta canebat, Verbo Domini cæli firmati, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Spiritus oris Dei, sunt verba, quæ procedunt de ore Dei, & ideo verba Dei spirantur, & quia spiritum vitam dant cunctis viuentibus. Sic itaque verba Dei adinuicem conferendo, verum ac genuinum horum Christi verborum sensum consecuti sumus. Iudæi etenim argutijs suis illa impugnabant. Discipuli verò dura esse dicebant. Christus autem, vt errorem hunc eis adimeret, neutros eorum, energiam, atque virtutem verborum ipsius intelligere dixit, eo quòd illa planè viuata sint. Cumque talia sint, (inquit) pani mortuo, quem in manibus accepturus sum, vitam cõferre possunt, illum in viuam carnem meam substantiam

conuertendo. Ea proinde dura non sunt, nisi ijs, qui obstinatæ, atque duræ cervicis sunt, qui secundum carnem sapiunt, qui que de ijs iudicare volunt secundum carnem, & non secundum spiritum illum, quem dum ab ore filij Dei procedunt, accipiunt. Vnde & alibi de verbi sui virtute, atque efficacia sic ait. Nunc venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Hinc & Petrus merito, ipsius verba, vitæ æternæ verba nuncupat. Hic itaque verus, atque germanus horum Christi verborum est sensus. Ex quo sanè liquet, ea nihil pro fidei nostræ aduersarijs facere, vt nos oppugnent; sed pro nobis potius, vt eorum argutijs respondeamus, cum à nobis quarunt, quinam fieri possit, vt panis in Christi carnem cõuertatur? Nam hoc infinita verbi ipsius (quo prolato, omnis statim natura immutatur, vt ei obediat) virtute, ac potentia fieri dicimus. Vnde nulla profectò ratione sequitur, Verba Christi, spiritus & vita sunt, igitur Christi corpus in sacrosancto Eucharistiæ sacramento esse non potest. At è contrario potius inferendum est, ex eo nempe, quòd Christi verba vita, & spiritu plena sunt, consequi, panem in corpus suum conuersum fuisse, cum diceret, Hoc est corpus meum, quemadmodum olim hæc Dei verba, fiat firmamentum in medio aquarum, statim vastissima cæli machina, cū omni ornatu suo ex nihilo consecuta est. Cæterum minime ignoro, ea Christi verba aliter accipi posse, sed hic mihi omnino literalis sensus esse videtur. Quamquam enim Christi caro spiritus rectè dici potest (quemadmodum hoc loco Diuus Cyrillus docet ex eo, quòd Christus alibi dicat, quod natum est ex spiritu, spiritus est, & quòd ipsius Christi caro spiritus sancti operatione concepta sit) attamen pro genuina, ac literalis interpretatione per vocem illam (verba) carnem accipere non ausim, dicendo, Verba sunt spiritus, id est, Caro Christi est spiritus. Huiuscemodi enim interpretatio, nimium procul à textu recedit. Dicere etiam ex eo, quòd Christus verba sua spiritum esse dicat, inde sequi, quod ea spiritualiter intelligi debeant, nullum penitus in tota hac sententia verbum comperio, ex quo hu-

iufce-

Ioan. 11.

Gen. 1.

Psal. 32.

iuscemodi commentarius necessario cōsequatur. Nam quod hic ait Christus, affirmatio quaedam est, quam discipulorum, qui illius verba dura esse dicebant, causationi opponit. Ipse enim illis respondet, ea non dura, sed spiritu, & vita plena esse. Quemadmodum hæc igitur discipulorum verba (Durus est hic sermo) non significant, ea Christi verba dure exponenda esse, sic & cum verba sua spiritū esse dicit, id nequaquam perinde est, ac si diceret, illa spiritualiter exponenda esse, non secus, atq; cum illa vitam appellat, non ideo sequitur, ea vitaliter interpretari oportere. Nos interim minime eos condemnamus, qui illa spiritualiter exponunt, modò vocem illam (spiritualiter) quæadmodum & nos accipiant. Cæterum nos, qui capitalem causam agim⁹, non alio, quam literali sensu, eoque ex nativa ipsorum verborum significatione deprompto, hic vti possumus. Quæ cum ita sint, dicimus, Christum hic non vocem illam (exponere) sed verbū substantiuū (sunt) usurpasse; quod sane verbum, denominatiuam prædicationē efficit, in qua duæ istæ voces (spiritus) & (vita) in abstracto, per hyperbolem, aut prædicationem causalem, de ipsius verbis enunciatur. Quo loquendi genere, & ipse aliàs vsus est, cum se resurrectionem, vitam, veritatem, & viam esse diceret. Quæ loquendi ratio tantumdem valet, ac si se resurrectionis, & vitæ causam esse diceret. Ita & hic, cum verba sua, spiritum, & vitam esse dicit, perinde est, ac si ea, causam esse dixisset, quæ rebus mortuis, ac vita carentibus, super quas prolata esset, spiritum, & vitam tribuerent. Atqui hæc de vera horum verborum expositione, absq; aliorum tamen, qui ea aliter exponunt, præiudicio, nunc dicta sufficiant. Certè præscriptas ab hæreticis disputationis huius leges seruando, soli scilicet literæ inharendo, hæc illis manifestè eripimus verba.

*Quædam pro Maiorum nostrorum fide argumenta, ex reliquis, quæ apud Ioannem sexto capite restant, verbis sumpta.*

## CAPVT CXXXIII.

**R**eliquū est, vt pauca Christi verba, quæ ex sexto Ioannis capite decla-

randa supersunt, prosecquamur. Ex quibus nonnulla argumenta colligentes, sic illa exponemus, vt quis eorum verus, ac literalis sit sensus, facile intelligi possit. Primum itaque argumentum, ex his verbis ducitur. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt: hoc est, sunt quidam ex vobis, qui non credunt, ea nimirū, quæ vobis de carne mea manducanda, & sanguine meo bibendo promissi. Sunt quidam ex vobis, qui ea non credunt, quæ de verborū meorū virtute, & efficacia, de mea in cœlum ascensione, & de scandalo, quod ex verbis meis accepturi sunt, dixit. Non est igitur dubium, quin quicquid de carne, & sanguine suo, de eorum tam receptione, quàm virtute, deq; verborū suorum excellentia dixerat, fidei materiam esse, satis manifeste declararet. Credere aut quod solū signa carnis suæ daturus esset, aut per solam imaginationē nostrā, & non realiter eam acciperemus; fidei materia nō est, sicut creditu difficilia nō sunt. Intelligendo autem verba eius, de reali manducatione, vti & sonant siue significant; nō nisi fide percipi possunt, & magnæ fidei condigna materia sunt. Ex quo sequitur, vt quicquid hic dixit, ad literam exponi debeat, quemadmodū & maiores nostri ea semper exposuerunt. Ad hæc quandoquidem ista, materia sint fidei solius, cōsequitur, ipsum nihil adhuc hæcē dixisse, quod materiā hæc immutet, vt ex fidei materia, philosophiæ, aut sciētiæ materia fiat. Fidei autem solius materia, ea est, quæ nec demōstratione, nec visu, nec experientia, nec vlla deniq; alia naturæ via, medio, aut ratione, cognosci credi vepōt. Quo fit, vt illa credendi magna difficultas sit. Quæ sane difficultas non solū meriti nostri, verumetiam, cur Deo grati, & accepti simus, causa est. Alioqui si ijs tantummodo, quæ leuia, ac creditu facilia sunt, fidē adhibuerimus, quid (quæso) apud Deum promerebimur? Christus igitur cum in fine sermonis sui, quæ de carne sua manducanda, & sanguine bibendo pluribus verbis fecerat, hinc fide opus esse ostenderet, vt illa quæ dixerat, crederetur, inde propter fidei indigentiam fieri, vt discipuli in eius verbis scandalizarentur, hoc (inquam) cum diceret, satis etiam intelligi dabat, se cū eis responderet, nihil dixisse, quod aut reali corporis sui manducationi

aducationi aduerfaretur, aut aliquo modo se de corporis, & sanguinis sui signis, & figuris tantummodo māducadis, loqui demōstraret; ut deniq; illud corp⁹ suū, solo spiritu, ac fide manducari præciperet. Omnia. n. ista absq; vllō penit⁹ negotio, facile credi possunt, ita vt nullus plane, neq; Iudæus, neq; philosophus sit, q non statim hæc nō modo possibilia, verū etiā facilia esse fateatur. Quis est. n. qui panē comedēdo, aut vinū bibēdo, nō facile amici sui meminerit? Quis est præterea, q p fidē, aut imaginationē, nō facile quodlibet cibi genus, quod ipse appetere possit, etiā si ipsas quoq; cœli stellas desideret, nō facile comedat? Proinde cōsequēs est, Christū nihil intellectu, aut creditu difficile, in toto hoc euāgelio de corpore, & sanguine suo dixisse, nisi de vera, ac reali carnis suæ māducatione, ac sanguinis sui potu locutus sit. Hæc. n. realis māducatio erat, cōtra quā Iudæi p sua (Quomodo) disputabant. Illa verba erant, quæ discipuli dura esse dicebāt, q manducationē hanc præciperent. Hoc deniq; erat, ob quod Christ⁹ de quibusdā, qui nō credebāt, cōquererentur, cū diceret, (Sed sūt inter vos, qui nō credūt). Hoc itaq; argumentū valde accōmodū est, vt pro maiori fide cōcludamus. Alterū argumentū ex illis euāgelistæ verbis, quibus ipse rationē reddit, cur Christus, quosdā esse dixerat, qui in ipsum nō crederēt, sumitur. Sciebat enim inquit ab initio Iesus, qui essent nō credentes, & quis esset traditurus eū. Ex quibus verbis argumentū huiusmodi colligo: Si Christus priusquā de reali carnis suæ manducatione, ac reali sanguinis sui potu loqueretur, futurū nouerat, nōnullos ex suis discipulis minime credituros, cur igitur eodē modo de carnis suæ māducatione, & sanguinis sui potu, quo hodie Caluinus, Berēgari⁹, Occolapadius, cæterique sacramentarij, locutus nō est? Hoc est, (vt clarius dicā) si ipse mens erat atq; sententiā, nō de propria carne, nec sanguine suo, sed de eorū figuris tantummodo, aut signis comedendis, vel bibēdis loqui: cur ergo clare, ac diferte de illis locutus nō est, vt ita discipuli verbis ipsi⁹ fidē adhiberēt, maxime vero cū statim ab initio satis nosceret, eorū nōnullos fore, qui nō crederēt, si sic loqueretur, quæadmodū ipse locutus est? Argumēti huius ratio est, qd discipulos

ipse sibi assumpserat, vt veritatē eos doceret, illiq; ideo ipsum secuti fuerant, vt eā ab ipso & audirēt, & discerent. Vnde nullam ipsis ita loquendo, quemadmodum ipse locutus est, perditionis occasionem dare debuerat, si absque vlla ipsius veritatis iactura, aliter ipse loqui potuisset. Hoc est, si absq; ipsius (vt modo dixi) veritatis detrimento, conformiter ad eū sensum, quē ipsius verbis aduertarij tribuit, loqui potuit. Tū enim absque vlla aut difficultate, aut cōtradictione, oēs tā eius discipuli, quā Capharnaitē illi facile credidissent, & adhaerissent. Tunc nullo (quomodo), nulla disputatione molesti illi fuissent, nullā in verbis eius duritiem comperissent. Euāgelista igitur sententia est, Christum tametsi nonnullos, qui verbis suis non crederent, futuros intellexeret, tamen ob eorum incredulitatem temperare noluisse, quo minus illa ipsis diceret. Temperasset autem, nisi sic omnino, quemadmodum modo diximus, verba sua voluisset intelligi. Præterea hæc ideo euāgelista commemorat, ne fideles, si nōnullos subinde ob huiuscemodi verba scandalizari, nec illis fidem adhibere, sed eorū occasione, Christum abiurare viderint, magno opere mirentur. Nā hæc, atque alia id genus in finem vsq; sæculi eū: ita esse, Christus multo antè præcinerat. Et hoc ideo, quia Christi odor, (vt ait Apostolus) alijs est odor vitæ, in vitam, alijs odor mortis, in mortem. Non igitur mirum, si nostro quoque infœlici tempore nonnulli cum non possunt credere, quæ CHRISTVS de carnis suæ manducatione dixit, cum deserant, ab eiusque fide deficiant.

Tertium argumentum ex illa ratione ducitur, quam Christus reddit, cur nonnulli ipsius discipuli ei non crediderint, quam euāgelista refert, dicens: Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre. Quibus sane verbis innuit, causam, cur discipuli non crederent, esse, quod patris sui gratiam non haberēt, sine qua nemo plane tanta mysteria recte credere potest. Eam porro gratiam sua ipsorum culpa non acceperant, quia nec ad eam suscipiendam, se præparauerant, nec deuote illam à patre suo postulauerant. Ea siquidem, vt impeteretur opportunè, importuneque petenda

petenda est, & cordis nostri vascula, vt digne suscipiatur, diligenter, cum ipsius Dei adiutorio disponenda sunt. Nemo enim ea priuatur, nisi qui illam petere aut negligit, aut contemnit. Vnde Christus in euangelio, Petite (inquit) & accipietis, quærite & inuenietis, & c.

*Ibidem.*

Dei igitur gratia opus est, vt tantis mysterijs per fidem propinquetur. Illud autem est, quod superius dixerat. Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum. Vbi tractionis nomine, singulari ac vehementi quadam Dei gratia opus esse, vt huiuscemodi sacramentum credatur, atque intelligatur, satis ostendit. Non enim generalis Dei gratia ad hoc præstandum sufficiens est. Ex his igitur Christi verbis, huiuscemodi argumentum elicio. Vt credamus, CHRISTVM, corporis, & sanguinis sui signa, & figuras tantummodo nobis exhibuisse, vel vt credamus, ei impossibile esse; vt carnem suam verè, ac realiter hominibus manducandam præbeat; vel vt credamus, ipsum efficere nõ posse, vt corpus suum, pariter in cælo sit, & in terra; vel vt credamus denique, corp<sup>9</sup> illud non nisi fide, cogitatione, aut spiritualiter haberi posse; vt hæc (inquam) aut his similia credam<sup>9</sup>, nulla singulari Dei gratia, nulloque singulari eius auxilio opus est: Non opus est (inquam) vt Deus pater erga nos manum suam adiutricem, qua nos ad hæc, aut alia istiusmodi credenda trahamur, extendat. Ipsi namque Gentiles, Pagani, hæretici Deo inimici, hæc atque alia id genus facile credunt. Porro, vt id, de quo hic agebat Christus, religiose credatur, singulari (vt modo ostendimus) Dei gratia, atque adiutorio opus est. Non igitur de istis rebus, Christus agebat; sed de reali corporis sui manducatione, quæ absque singulari adiutorio gratiæ Dei non potest credi. Hic rationes quamplurimæ explicari possent, cur hoc infelicissimo sæculo, tam multi, istorum Capharnaitarum, atque falso- rum CHRISTI discipulorum imitatores passim occurrant, qui Christum efficere non posse, vt carnem suam hominibus manducandam, in Euchariæ sacramento subministraret, impiè, nepharièque contendunt. Sed quoniam alibi eas rationes copiose tractauimus, nihil aliud hoc loco dicendum putamus, ni-

si quod propriè pertinet ad hanc sententiam, quæ absque peculiari cœlestis patris gratia, & adiutorio, nullo modo fieri posse, vt tantæ sublimitatis mysteria (vt oportet) credantur, luculèter ostendit. Quocirca duas potissimè huius rei causas esse dico. Prior est, hominum sæculi nostri teporis, seu permaxima circa pias orationes oscitantia, quia Deum vt illos in fide conseruet atque corroboret, feruenter orare negligunt, tanta est in plebisque suæ salutis obliuio. Altera vero, eaque potissima est, incredibilis quædam erga hoc sacramentum irreuerentia. Quam haud difficulter intelliges, si paululum tecum expenderis, quàm parua cum deuotione ac pietate, ij qui nunc sacramenti huius fidem abiurarunt, olim missæ sacrificio interessent. Quis referat, quæ pridiè sacrilegia in ipsius templis dum hæc tremenda mysteria celebrarentur, ab istis iuuenibus, principibus, ducebus, nobilibus, militibus, viris, mulieribus perpetrabantur? Qui furtiui nutus oculorum? Quæ prophana, impia, in cœca colloquia? Qui risus, ineptiæ, cachinni? Quæ obambulationes, vt in porticu, aut campo? Quoties de stupris & adulterijs in ipsius templorum penetralibus conditum est? Hæc (inquam) atque his similia, si tecum diligenter expenderis, mirum tibi non videbitur, si huiuscemodi homines Deus in absurdissimos istiusmodi errores labi permiserit, si tam impijs, ac profanis hominibus gratiam, quæ ad tanta mysteria recte credenda, in primis est necessaria, non contulerit. Nos igitur timeamus, ne quid simile vnquam nobis contingat, scientesque nos absque speciali Dei gratia, in vera fide perseuerare non posse. Deo Opt. Max. vt eam in nobis sic plantet, conseruet, augeat, ne vnquam tremendo hoc mysterio, ad salutem nostram tam necessario spoliemur, atque prinemur, quotidianis precibus supplicemus. Sic enim Diuus faciebat Augustinus, qui in lib. de speculo sic Deum orat, vt in fide Trinitatis, & huius sacramenti Dei gratia, conseruetur & stabilietur. Reliqua (inquit) sacramenta quæ tenentur in Ecclesia tua Domine stupenda sunt & veneranda.

Quartum argumentum, ex discipulorum scandalo sumitur, quod Christus ipsi non ademit, sed eos in verbis suis,

quæ

quæ de tantis mysterijs dixerat, omnino scandalizatos abire permisit. At si panem, & vinum tantummodo, pro corporis, & sanguinis sui signo, & figura, aut spiritualiter, ac per fidem solum, corpus suum, se eis daturum esse dixisset, nequaquam sane in eo scandalizati fuissent, neque ita ab eo recessissent. Sequitur proinde, nihil eum hic dicere, quod aut ad tollendum illud scandalum, aut ad ista aduersariorum signa, & figuras designandas faciat. Alioqui discipuli nullo pacto ad finem vsque sermonis eius, in scandalo suo perseuerassent. Si Christus dicendo, verba quæ locutus sum spiritus & vita sunt, dictum voluisset, se non loqui de reali carnis suæ esu, certe illi sui discipuli à scandalo seruari fuisset, & non abiissent retro, quare cum abierint retro scandalizati, nullo eiusmodi verbo præsentiam realem abstulit. Hinc ista CHRISTI sententiam, verba quæ ego locutus sum vobis, &c. falso aduersariorum errori minime patrocinari, sed cõformiter ad eam, quam superius posuimus, expositionem interpretandam esse, perspicuum est. Ita nihil contra realem CHRISTI corporis in Euchariæ sacramento præsentiam, sed pro ipsa potius facere, clarum est. Arqui hæc ratio magis elucere potest, si paulisper cõsideremus, quàm graue peccatum sit, proximos, atque infirmos, & pusillanimes scandalizare. Væ illi (inquit Christus) qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt. Et alibi iterum: Væ homini illi, per quem scandalum venit. Cum igitur ipse scandalum tantopere fugiendum esse moneat: ipsum nemini vnquam, præsertim verò discipulis, iustam scandali occasionem dedisse, perspicuum est. Facile autem scandali occasione submota, illos apud se retinuisset, si in corporis, & sanguinis sui figuram, ac memoriam, de pane tantum comedendo, & vino bibendo, aut de illis spiritualiter fide edendis, & bibendis locutus fuisset. Hoc proinde si absque veritatis, fideique detrimèto fieri vlla ratione potuisset, ipse vtique cum eorum salutem curare deberet, ita plane fecisset. Quod cum non fecerit, clarum profectò indicium est, ipsius doctrinæ veritatem non permisisset, vt aliter doceret. Illarum enim rerum,

quæ ad animarum salutem pertinent, doctrina & veritas semper, non obstantè impiorum scandalo, constanter ac libere prædicanda est. Vnde Christus Pharisæorum scandalum non curauit, sed eos cum suo scandalo etiam cæcitatibus accusans, abire facile passus est. Certissimum itaque argumentum est, quod veritatis fideique doctrina, quam illis verbis Christus suis inculcabat, sic omnino vera erat, quemadmodum ipse eos docebat. Alioqui vt tantum scandalum cuitaret, verba mutasset, & vt Berengarij, Caluinique verbis suum loquendi genus accommodaret, se de carnis suæ signis, & figuris comedendis intelligendum esse dixisset. Quocirca nullum e- quidem, quod hoc argumento efficacius concludat, excogitari posse existimo.

Quintum argumentum, ex illis Euangelistæ verbis deprometur, vbi ait: Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant. Quibus ex verbis intelligitur, illos Christi verbis offensos, quicquid tandem ijs postea dictum à CHRISTO sit, ita nihilominus in suo scandalo perseuerasse, vt ipsum etiam penitus relinquerent, ab eoque discederent. Quare ipsius verba, quibus ad eorum obmurmurationes respondit, perspicuum est, nõ sic ab eo dicta fuisse, vt illam intelligentiam, quæ ex eius verbis ante conceperant, cum eum de vera, ac reali corporis sui manducatione loqui intelligerent, illis demeret & auferret, id quod eos, vt ab ipso recederent, incitabat. Quod si de corporis sui signis tantummodo se locutum esse dixisset, nullus sane eorum ipsum reliquisset: Non eò igitur illa responsionis Dominicæ verba dicta fuere, vt huiuscemodi intelligentiam eis adimeret, sed vt in ea illos magis confirmaret.

Sextum argumentum, ex illa discipulorum, aliorumque CHRISTI auditorum diuisione sumetur, quæ ex promissorijs Christi verbis facta est, eò quod quidam verbis illis crediderint, quidam verò non crediderint. Hinc enim solidum, atque euidentis argumentum sumetur, si diligenter consideremus, quid illi crediderint, & quid isti non crediderint, & cur aliqui credentes, alij verò nõ cre-

Ec den.

dentes dicti sint. An quia Christo impossibile esse crediderint, vt carnem suam, quemadmodum ipse pollicebatur, eis realiter manducandam exhiberet, quod & Capharnaitæ quoque credebant. An vero, quod crediderint, hoc prestare, ei facillimum esse. Id quod Capharnaitæ negabant: Diligenter enim hic discquirendum est, quemadmodum circa hæc promissoria CHRISTI verba sese habuerint Apostoli, & quemadmodum Iudæi, ceterique eius increduli discipuli. Atqui profecto tota rei huius differentia, in eo mihi consistere videtur, quod Iudæi Christo impossibile esse crederent, efficere quod promittebat, ac ideo increduli eius discipuli verba ipsius nimis ardua, atque dura dicebant, Apostoli autem hoc nedum possibile, verum etiam facile ei esse credebant, vnde & ipsius verba, dulcia, amabilia, vera, ac celestis doctrina plena iudicabant. Ex quibus constat, ideo discipulos illos infideles, & incredulos nuncupari, quod ea quæ Christus diceret, ipsum prestare posse non crederent. Apostoli autem, fideles, ac creduli appellati sunt, quod ipsum ea prestare posse, firmiter crederent; & hoc ideo credebant, quia ipsum verum quoque Dei filium esse, & nouerant, & tota mente credebant, quemadmodum ex Diui Petri verbis manifeste satis ostenditur. Nam cum Christus ex eis quaesisset, num & ipsi quoque abire vellet, Petrus tam pro se, quam pro omnibus condiscipulis respondit, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei: Quibus vtrique verbis, clare satis dat intelligi, tam Iudæos, quam infideles eius discipulos, imò & omnes illos, qui credere noluerint, ipsum, corpus suum verè, ac realiter hominibus manducandum dare posse; nec illos proinde credere, ipsum verè, ac naturalem Dei filium esse. Quæ cum ita sint, nemini profecto mirum videri debet, si peruersissimo hoc sæculo nostro, variæ de sacramento hoc diuisiones, sectæ ac scismata inter Christianos exorta sint, & multi tremenda illa mysteria credere nolint, sed à Petri potius, ac condiscipulorum eius societate se separent. Quippe cum idem inter Domini discipulos, tunc etiam acciderit, cum

Christus in terris adhuc visibiliter cū eis ageret, ac stupenda inter eos miracula operaretur: Apud quos tamen nec vllis miraculis, nec suauissimis verbis suis tantum efficere potuit, vt illi incredulitatem suam deponerent, ac Dei filio hac in re, fidem adhiberent. Proinde si tum vitæ eius voci non credebatur, sed ob eam ipse potius deserebatur; mirum sane non est, si nunc scripto eius verbo fides non adhibeatnr, sed propter illud Petri potius societas (quæ Romana est Ecclesia) hodie derelinquatur; quoniam ipsa videlicet, Christo possibile esse credit, hominibus exhibere id, quod ipse huiusmodi verbis pollicebatur. Quæ tamē in re, ipsa idem plane credit, quod & olim Petrus, ceteriq; Apostoli crediderunt. Aduersarij vero hoc omnino, quod olim Capharnaitæ, alijq; rebelles Christi discipuli, credunt, ceterum maiores nostri q; Ecclesiæ Petri fidē semper sequuti sunt, idem quoq; quod Petrus, ac eius cōdiscipuli, credere: Ita singulas verborū illorum circumstantias diligenter discutendo, quæ aduersarij contra fidem nostram facere putabant: ex ijs plurima, pro ipsius cōfirmatione, argumenta, colligimus, verumque, ac genuinum ipsorum sensum breuiter, ac dilucide explicuimus.

*Responsio ad alia quadam scripturæ loca, quibus aduersarij fidem nostram oppugnant.*

## CAPVT CXXXIII.

EX ijs, quæ hinc, atq; inde roto hoc libro diximus, facile omnibus aduersarij obiectiōibus respondere fuerit, maxime verò si iuxta Regulas superioris à nobis expositas, eorū argumenta diligenter examinētur. Verū si hoc vnū ab ipsis extorquere possemus, vt totam scripturam reciperent, ac singulis eius locis simul crederent, (quæ admodum superius diximus) inter nos facile cōueniret. Nam præter nescio quas additiones, atq; sophisticas illariones, quas illi ex certis quibusdā scripturæ locis perperam colligunt, vt inde ad amplectenda ipsorum sophismata, bonam scripturam partem negemus, nihil inter nos controuersia est. Quod vt demonstrē, ac eos hoc ipsum

sum confiteri cogam; artem satis (ni vehementer fallor) accommodam, mihi excogitasse videor, quæ est huiusmodi. Cum scripturæ locum aliquem, quo sentiri volunt, in medium protulerint, alius illis opponendus est, qui non illi quidem loco, quem ipsi citant, re vera contrarius sit, (nihil enim in scripturis secū pugnat, nihil contrarium est) sed qui illi sensui, quem huiusmodi scripturæ aduersarij attribuant, repugnet. Ex quo vtrique loco, non minus recte sententiam illam, (quam ipsi huiusmodi scripturæ addunt) euertere possumus, quam eam ipsi astruere volebant. Ceterum vt hæc ratio dilucidior euadat, exemplis eam illustremus. Ipsi igitur ea scripturæ loca nobis opponunt, quæ Christum, in cœlum ascendisse referunt, vt inde ipsum, in altaris sacramento non esse inferant. At nos contra, ea hic scripturæ loca opponemus, quæ ipsum, & in sacramento esse, & nobiscum ad consummationem vsque sæculi permanens esse pronunciant; atque eundem argumentandi quo illi viuunt modum seruando ex ijs contrarium plane, scripturæ illi, quam ipsi citant, hoc modo inferemus. CHRISTVS scilicet nobiscum ad cōsummationem vsq; sæculi futurum esse promisit, ipse igitur in cœlum non ascendit. Rursum, Christus corpus suum verè in cibum se daturum esse promisit, igitur verè non ascendit in cœlum. En consequentiæ istæ eadem plane forma constant, sicque concludunt, vt sibi mutuo repugnent; earum nihilominus antecedentia omnino vera sunt, eò quod ipsissima Dei verba sint. Vnde sequitur, eas plane sophisticas esse. Quod si dixerint, ea quæ in mediū produxi loca, de spirituali presentia exponenda esse, ego pari ratione, ea, quæ ipsi citant, spiritualiter, hoc est, de spirituali, & non reali ascensione exponenda esse contendam. Si dixerint, ipsum promississe, in cœlum se ascendurum, ipsum quoque, carnem suam hominibus manducandam promississe dicam: si eum in cœlum verè ascendisse dixerint, ego eum, corp⁹ suum sub sacramento nobis verè reliquisse dicam. Si dixerint, scriptum esse, ipsum ad extremum vsque iudicij diem in cœlo residere, & ego scriptum esse dicam, ipsum ad cōsummationem vsque

sæculi, nobiscum fore. Si scriptum esse dicant, Ego vado, & ego quoque scriptum esse dicam, vado, & venio ad vos. Quod si contenderint, illud (vado) realem absentiam designare, & ego quoque, illud (venio) realem presentiam, ac reditum significare contendam. Porro si clamauerint, ex ijs, quæ ipsi citant, omnino sequi, ipsum in sacramento realiter non existere, quia omnino fieri nequit, vt ipse simul & in cœlo sit, & in terra; & ego quoque vociferabor, ex ijs, quæ in mediū adfero, plane sequi, ipsum in cœlos non cōscendisse, & quod simul & in sacramento; & in cœlo esse non possit. Quod si literalē carum scripturarum, quas ipsi adferunt, sensum, omnino clarum esse contēderint, vt ascensionis articulum astruant; & ego ea, quæ citauit scripturæ loca, in literali sensu suo, pro reali corporis Domini in sacramento nostro presentia, omnino clara esse asseram: Quod si denique mea scripturæ loca non ad literam, sed figuram exponi oportere contenderint; ego ipsorum potius & non mea spiritualiter interpretanda esse dicam. Nec enim minus urgentes rationes habeo, vt hanc meam sententiam asseram, quam illi, vt suam opinionem probent. Eadē quippe ratione per cœnæ articulum, ascensionis fidē euertere possum, quæ ipsi per ascensionis articulum, cœnæ fidem euacuare conatur. Et quemadmodum ipsi nulla, quæ pro ascensione faciunt, verba, figurate exponi patiuntur, sic nec ego vlla, quæ realem corporis Domini in sacramento nostro presentiam astruunt, verba figurate vllō modo exponi posse cōcedam. Cur enim hæc potius, quam illa figurate exponerentur? Aut quid causæ fuerit, quò min⁹ ego mea literaliter, quæ admodum illi sua, interpreter? Ita cōtentiosum funem cum hinc inde trahamus, vides (cādidè Lector) huiusmodi illationes omnino pares esse, atque sibi mutuo plane contraria cōcludere. Quid igitur restat, nisi vt tu, & nostras, & ipsorum huiusmodi conclusiones tanquam vitiosas condemnes? Nam si tu illorū tanquam legitimas recipere, nostras autē tanquā vitiosas rejicere volueris, ego à tuo, tanquā peruerso iudicio, iuste appellare poterō. Nā si aliquantū Rhetoricæ peritus esses haud difficulter profecto eorū argumenta vitiosa esse animaduerteres;

Ecce a quando

quandoquidem vtrique parti æqualiter inferuiant. Rhetores, pro rei huius elucidatione, huiuscemodi exemplum assignare solent: Rhetor quidam discipulū, arte Rhetorica hac conditione imbuedum susceperat, vt statim discipulus præceptorī 50. aureos numeraret, ac postea totidem, si primam, quā discipulus ageret, causam vinceret. Accidit autem, vt cum hic artem eam didicisset, præceptorī non faceret satis. Vnde præceptor discipulum in ius vocauit. Cū vterque ergo coram Iudicibus assisteret, hunc in modum præceptor discipulum aggressus est: Nullo pacto fieri potest, quin hac in causa succumbas, quia si pro te iudices sententiam tulerint, tu ex pacti nostri conditionibus soluere teneberis: sin autem pro me iudicauerint, tu ex illorum sententia mihi satisfacere compelleris. Hoc autem argumentum discipulus in Magistri sui caput sic retoruit: Imo tu præceptor (inquit) nulla via effugere potes, quin hic causa cadas, sine pro me, sine contra me iudicatum fuerit. Nam si contra me sententia feratur, ex pacti inter nos initi conditionibus nihil tibi adnumerare tenebor eo, quod prima, quā ago, causa cado. Porro si pro me iudicatum fuerit, Iudicum sententia absolutus, nihil debeo. Hic vides, tam præceptorem, quā discipulum, paribus omnino argumentis, ac rationibus vti. Vnde Rhetores huiuscemodi argumenta vitiosa esse pronunciant, eo quod eorum vterque illis vti, & in aduersarium retorquere potest. Sic & in præsentī negotio, idem plane iudicium, de argumētis illis esse dico, quæ hodie aduersarij ex verbis ascensionis, contra realem corporis Dominici in Eucharistiæ sacramento præsentiam colligunt. Nam ex Christi verbis, in quibus de Eucharistiæ sacramento agitur, eadem omnino, ad euerendam ascensionem, argumenta elicere possum, quæ non minus recte, quā aduersariorum argumenta concludent. Quocirca si eorum argumenta tanquā legitima recipiantur, facile nouam eundem hæresim condam, quam omnino similibus, quibus ipsi suam, argumētis atque responsionibus propugnabo, atque defendam. Ego enim sacramenti verba literaliter, & ascensionis spiritualiter, ac figurate exponi debere conten-

dam, & ad rauim vsque vociferabor, CHRISTVM esse non posse, vt corpus suum pariter in celo sit, & in terra; ac ideo verum esse non posse, vt ipse in celum ascenderit, aut ad patris dexteram sedeat, maxime cum Dei verbum expresse dicat, Hoc est corpus meum, Panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est. Caro mea verè est cibus. Adhæc, ego philosophicis sophismatibus, quibus ipsi nos oppugnant, hunc in modum argumentando, vtar: Christi corpus naturale erat simile nostro, at nostrum in celum ascendere non potest, nec illius igitur in celum ascendit. Argumentum hoc, illi plane simile est, quod Beza Possiaci cōtra realem corporis Christi in Eucharistiæ sacramento præsentiam vomuit. Quod sane argumentum, non minus ad probandum, Christum non ascendisse in celum, quā ipsum in Eucharistiā non existeret, indifferenter militare potest.

Quid hic igitur æquus Iudex faciet? quomodo se vertet? Measne tanquam falsas rationes rejiciet, vt aduersariorum, tanquam veras probet? Verum si ita fecerit, non iustus, sed personarum acceptor erit. Quid igitur faciet? Vtrasque profecto, si sit prudens fuerit, tanquam sophisticas, & vitiosas rejiciet, nosque ambos, tanquam qui ex vtraque parte errauerimus, ac perperam, ad eum, quem tendere volebamus scopum, concluderimus, condemnabit. Neque enim vnus potius, quam alterius rationes, argumenta velle approbari possunt. Facile igitur animadvertis (candide lector) verissimam esse, quod paulò ante dicebam, omnia aduersariorum argumenta, quæ ipsi ex ascensionis Dominicæ verbis contra fidem nostram colligunt, sophistica esse, nec quicquam proinde necessariò contra nos concludere, maxime cum ad ascensionem subruendam, similia omnino, ex eorum verbis elicere possimus. Cæterū ista diffusius pertractare, operæ precium esse iudicavi, vt ij, qui aduersariorum strophas, ac dolos deprehendere nondum recte sciunt, & vt hi, qui Diaboli non callent, vt ad eam, tanquā ad lydium lapidem, ipsorum sophisticata examinent, vel si illam nouerint, ipsi tamen vsum non habent, quo eam ad huiuscemodi Theologicas quæstiones appli-

applicent, ea deinceps vti nouerint, ac de tota hac causa rectius iudicent. Huc accedit, quod ea solutio, quæ ex ipsius indagandæ veritatis arte procedit, probò cuique ingenio magis satisfaciatur, illudque expeditius reddat, quo pedicas, & retia sophisticorum argumentorum euadat, quibus tam in hac, quā in alijs controuersis quæstionibus (quas aduersus Maiorum nostrorum fidem excitarunt) aduersarij vtuntur, quemadmodum in primo defensionis fidei nostræ, & in eo, qui de libero arbitrio inscribitur, libro, copiose declarauimus. Tædet enim me, tam multos ob id potissimum deceptos cernere, quod de huiuscemodi argumētis, recte iudicandi artem non calleant, vnde eam quoad possumus, ijs maxime inculcare studemus, qui hos libros nostros lecturi sunt, utpote quos in simplicium, atque imperitorum gratiam præcipue conscripsimus. Quamquam autem hi tales sint, doctioribus tamen nō parum vtilitatis adferre possunt; propterea quod inter eos nonnulli quandoque reperiantur, qui inter disputandum sua eruditione atque doctrina, quod artis huius vsu, & praxi careant, recte vti nesciant. Quibus idem vsu venit, quod ei, qui optimus quibusque instructus armis, quoniam artem gladiatoriam non tenet, ijs cum opus est, vti non nouit. Non igitur satis est, armis, scientijs, artibusque muniti, si ijs tempore, & loco vti non possumus. Ratio cur & tantam imperitiæ plebis multitudinem aduersarij post se trahant, & eorum argumentis tantopere vulgus applaudat, ea mihi esse videtur, quod neque hac arte certa & methodo subruantur, nec illi, qui ab istis circumuenti sunt, quemadmodum eorum technas, dolos, & sophisticata cognoscere debant, doceantur. Ego proinde omnia, quæ isti contra Maiorum nostrorum fidem colligunt argumenta, sophistica esse monstrabo, ita vt nullū penit, quod aduersus nos faciat, necessariò inferre possint. Id quod ex ijs etiam, quæ hæcenus diximus, facile studiosus Lector intelliget. Nam validissima fere sunt ea, quæ ex ascensionis articulo fabricantur, quæ tamen plane sophistica esse monstrauimus. Ad hæc præclarum sane argumentum à se excogitatum putant, cum duo, triaue scripturæ loca, in

quibus verbum (est) pro (significat) accipiatur, adferant, nimirum vt inde concludant, in verbis quoque Cœnæ eodē modo accipiendum esse. Verum etsi ducenta huiuscemodi loca producant, nulla tamen præterquam sophistica inde argumenta colligere possunt. Quippe cum plus mille haud difficulter inuenias, vbi aliter accipiatur, vt ex simili, quā ipsi formant, cōsequencia, plane oppositum illi inferas, quod ipsi contra nos inferre volunt, quæ admodum superius ostendim⁹. Adhæc isti figurata passim scripturæ loca querūt, vt hinc cœnæ verba figurate etiā exponenda esse doceant. Verū & tu ex aduerso, alia quere loca, in quibus scriptura nullā prorsus figurā admittat, inde si quidem argumentis non minus validis, quā illi, verba Christi nullo modo figurate explicari posse concludes. Deniq; vt ea figurate interpretanda esse doceant, ea sic accipi posse dicunt, quod sane argumentum sophisticum quoque est; quia à posse, ad esse, non valet consequentia. Non enim sequitur, Possum esse rex, igitur rex sum. Sed quid opus est multis? Nōne & præcipuus eorum antesignanus Beza, in prima sua, quam Possiaci habuit, oratione, huiuscemodi sophisticatibus vsus est? Potissimum si quidem argumentum, quod ibi fidei nostræ opposuit, quā maxime sophisticum erat, quemadmodum in priori libro nostro copiosius declarauimus. Cæterum quia plures fortasse eum librum nostrum minime viderunt, operæ precium fuerit, illud ipsius argumentum hic repetere; & quā sophisticum sit, ostendere. Neque vero abs re hoc fecerim, quia iste Beza, ipsorum etiam iudicio, robustissimus totius ipsorum exercitus Achilles est; vnde & eo prostrato, reliquum agmen haud difficile fundetur.

Ipsius itaque argumentum, remoto eloquentiæ fūco, veluti veste detracta, huiuscemodi erat. Christus (aiebat ipse) suscepit corpus nostro simile, nostrum autem corpus, pluribus in locis, eodē momento temporis esse non potest; nec Christi igitur; ac sic proinde fides nostra, de realis corporis Christi in Eucharistiæ sacramento præsentia, falsa est. Argumentationis huius duæ priores propositiones, Maior, & Minor, veræ quidē sunt, sed cōclusio falsa est; & hoc ideo, quod tam

Maiores, quam Minor propositio particularis est. Vnde hoc argumentandi genus sophisticum esse, hinc apparet, quod alia prorsus similia conficere possumus, que omnino falsum concludant. Quemadmodum, exempli causa, simili plane argumento, CHRISTVM, in caelum corporaliter non ascendisse comprobando, ad imitationem Bezae sic argumentando. CHRISTVS, corpus simile nostro habuit, nostrum autem in caelum ascendere non potest: Christi igitur corpus in caelum non ascendit. Sic nec ipsum à mortuis resurrexisse, eodem plane argumento, ad hunc modum inferam. CHRISTI corpus, nostro simile erat; nostrum autem secundum naturam suam vires à mortuis excitari non potest, & c. Sic nec ipsum super aquas ambulasse ostendam, hoc modo. CHRISTI corpus, nostro simile erat, nostrum autem super undas maris ambulare non potest; igitur nec Christi corpus ambulavit. Proinde falsum est euangelium, in quo id factum esse, memoria proditum est. Postremo, contra nostri corporis naturam est, de virgine nasci; igitur Domini corpus ex virgine natum non fuit. Omnes has illationes longe falsissimas esse, luce meridiana clarius est, omnia igitur haec argumenta vitiosa, ac plane sophistica sunt, tametsi Bezae interim argumentis omnino similia sint. Ipsorum autem vitium in hoc consistit, quod minor propositio nunquam vniuersalis est, quae si talis efficiatur, iam falsa erit. Nam si ita dixerimus: corpus autem nostrum, nulla ratione, virtute, aut potentia super undas maris ambulare, à mortuis resurgere, in caelum ascendere potest: & c. splendide mentemur. Nam corpus nostrum, virtute, potentiaque diuina, non solum ea, quae diximus, verum etiam longe maiora efficere posset. Sic itaque CHRISTI corpus, suapte natura, nec super undas maris ambulare, nec in caelum ascendere, nec in pluribus locis, eodem temporis momento esse posse confitemur; verum quod omnia illa, atque alia multo plura, virtute, potentiaque diuina efficere non possit, omnino negamus. Nunc enim cum corpus illud sub omnipotentis verbi, cui realiter vnitur, potestate sit, in tot locis simul existit, in quot verbis illud, quod omnia quaecumque vult, siue

in caelo, siue in terra facit, ipsum esse voluerit. Vnde quia ipse manifeste dixit, se in hoc sacramento non spiritualiter tantum, verum etiam realiter, ad consummationem vsque saeculi, nobiscum esse vellet: in tot simul locis, corpus suum existere facit, in quot ipsius praesentia necessaria est, vt sacrosancta ipsius communio fiat, sine qua nemo ad ultimum aeternam salutem consequi potest. Ex his itaque liquidò intelligitur, Bezae argumenta tam in materia, quam in forma peccare. Quocirca magnopere illorum vicem doleo, qui huius impostoris, ac sophisticae calliditatem, atque malitiam non intelligentes, tanta auaritate ipsius libros legunt, vel eius conciones audiunt, vt ab eo, velut rustica vnus, aut alterius sophismatis subtilitate, in retia inducunt, captique, veritati statim renunciant, ac inter tot doctissimos (quod magis est) viros, qui in Possiaca illa Synodo, vt de tam sublimi mysterio tractarent, conuenerat, eosque iudices se esse praesumant. In hunc igitur impostorem humanaeque salutis inimicum, velut è sublimi specula quantum equidem possum, vociferor, lectoremque praemoneo, & vt ab ipsius laqueis, ac retibus caueat, eius astutias, dolos, strophas detego, ac in lucem profero. Sed o ingentem hominum caecitatem, atque dementiam, cum omnia eius argumenta non nisi mera sophismata sint; tanta nihilominus falsitatis hodie cupiditas est, tantus erroris amor, vt insignem hunc animarum impostorem, velut nescio, quem semideum mundus verborum eius dulcedine inescatus suspiciat, veneretur, adoret. Quocirca pium lectorem, per cruenta illa CHRISTI vulnera, eiusque passionem acerbissimam, obsecro, vt ex animo secum expendat, quae hic dicimus, atque aduersariorum malitiam sedulo consideret, qui in causa tam graui, tantique ponderis, istiusmodi captiosis, atque sophisticis argumentis vtuntur, diligenterque animaduertat, quam multas, quamque efficaces, ac solidas pro Maiorum nostrorum fide stabilienda, probationes in medium protulerimus. Ita caueat ne eorum qui ob vnus, aut alterius sophismatis subtilitatem, quam dissoluere non potuerunt, ita leuiter ipsam statim veritatem abinrarunt, leuitatem ac stultitiam imitentur. Nos etenim

fatis,

fatis, superque eorum argutias malitiamque deteximus; atque artem qua refelli possint, declarauimus, ea proinde vtatur quisquis voluerit. Id enim si fecerit, facile quod dicimus, ita esse cognoscet. Quid enim amplius in hac causa, nobis obijcere possunt, quod non sit mere sophisticum? Illud certe rursus nobis obijciunt, quod CHRISTVS ait. Ego sum vitis vera, vbi quoniam Christus per similitudinem loquitur, inde ipsum in verbis quoque coenae per similitudinem locutum fuisse contendunt. Ceterum vt ego oppositum plane ipsis comprobem, haec Dei verba, ex diametro proferam. Verè filius Dei erat iste, in quibus sane verbis, nulla omnino figura est. Rursum, vt ipsum in sacramento altaris realiter non esse ostendat, illud, quod Christus Mariae Magdalenae post resurrectionem suam ait, obijciunt. Noli me (inquit) tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Verum quid hac obiectione absurdus? Quae enim harum propositionum connexio, Nondum ascendi ad patrem meum, igitur CHRISTI corpus realiter in Eucharistiae sacramento non adest? Verum si ex illis Christi, ad Magdalenam verbis realem corporis ipsius à sacramento nostro absentiam inferre velint, certe ex ipsius verbis ad Apostolos, cum eos ad manuum, pedum, ac lateris sui contactum inuitaret, realem ipsius praesentiam inferam: Aut certe velint, nolint, argumentum suum sophisticum esse (vti reuera est) consueant, necesse est. Ceterum si id quod apud beatum Matthaeum scriptum est, vbi quemadmodum Christus sanctas illas mulieres salutauerit, dicens. Auete, & quemadmodum illae tunc beatorum eius pedes tenuerint, ac adorauerint, refertur, inter quas & Maria Magdalenae erat, quid tunc (quae so) de argumento suo dicturi sunt? Magnopere profecto eos pudere deberet, in tam sublimibus mysterijs, huiusmodi sophisticis, atque fallacijs ludere. Adde quod & hinc, quam minime ipsi scripturam intelligant, satis ostendunt. Nam cum Christus Magdalenae diceret, noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum, non sic eam prohibere volebat, ne ipsum omnino tangeret, sed ne id temporis hoc faceret, eo quod omnium cum diligentia eam à se recedere vel-

Ioan. 20.

let, vt suam resurrectionem Apostolis dubitantibus nunciaret; quemadmodum ipsius, quae subsequuntur verba, clare satis innuunt, cum ait. Vade ad fratres meos, & dic eis, quia Vado ad patrem meum. Illud igitur praecipit Christus, ne illa tunc temporis ei blandiens sicuti solita erat, occuparetur, quia postmodum, vt eius pedes oscularetur, satis ocij esset habitura, quandoquidem in caelum necdum ascendisset; nec ante quadraginta dies eò conscensurus esset. Vnde ipse cupiebat, vt his omnibus praetermissis, illa ad Apostolos curreret, eisque festina resurrectionis suae gaudia nunciaret: En genuinum, atque literalem horum verborum sensum tenes, ex quo nihil plane aduersus realem ipsius in sacramento nostro praesentiam, necessariò inferri potest. Sed molestum est, in huiusmodi nullius momenti argumentis refellendis, ita bonas horas non collocare, sed perdere. Prudens itaque Lector, eam, quam ei haecenus proposuimus, artem, diligenter imitando, cetera eiusdem farinae argumenta, per se ipsum dissoluere poterit, modo tamen quid, necessariò ex ipsorum obiectionibus sequi possit, attente semper consideret: Illis proinde relictis, redeamus ad id quod huius capituli initio dicebamus, nos cum aduersarijs facile consentire posse, si illi toti scripturae crederent, nec vnam eius partem ita defenderent, vt alteram euerteret. Agat igitur aequus lector, vt nos reconciliet, quod sui est officij. Id enim si fecerit, diligenterque secum expendit, nos aequè solidis argumentis, ex verbis coenae sumptis, Dominicam ascensionem eueruisse, atque illi ex ascensionis verbis, coenam conantur euertere, id (inquam) cum diligenter animaduertit, non dubito, quin vtriusque nostrum argumenta omnino vitiosa, ac plane sophistica esse iudicaturus, ac proinde à nobis relinquenda esse pronunciaturus sit: Deinde vero animaduertet, propositiones illas, super quas vterque nostrum argumenta sua stabiliabat, Dei verba esse, sed conclusiones, quas ex eis inferabamus, nostra esse verba, Vnde contra nos sententiam feret, vt nostris verbis additionibusque reiectis atque damnatis, purum Dei verbum ambabus manibus amplectamur. Verbi gratia, Istud Christus in altaris sacramento, nobis ve-

Mat. 28.

ram carnem suam exhibet) verbum Dei est, aut eius saltem sensus, cui ego adieceram, igitur in cœlum non ascendit. Adversarius autem istud citabat, Christus ascendit in cœlum, id quod verum quoque Dei verbum est, huic autem ex suo addebat. Ipse igitur non est in sacramento. Duæ igitur istę enunciationes, Ipse non est in sacramento, Ipse non ascendit in cœlum, hominum verba sunt, quæ diuini literis minime continentur. Vnde æquus iudex, vt nos mutuo reconciliet, verbis vestris (inquit) quæ ex proprio vterque vestrum, scripturæ sacræ addidit, renunciate, atque istud purum Dei verbum, Ascendit in cœlum, estque in Eucharistiæ sacramento, recipite, ac vtrumque eodem temporis momento verum esse credite. Ita inter vos optime conueniet. Hanc equidem sententiam amplector, neq; illi spõte submitto, æquū tamē est, vt idem aduersarius faciat. Quod si ille reclamet, & quasi grauetur, appellat, fieriq; non posse contendat, vt eodē tēporis momēto, Christus & in cœlo sit, & in terra; ego ad primam defensionem meam confugiam, & huiuscemodi argumenta non minus mihi, quàm illi, vt eum in cœlum non ascendisse probem; inferuire contendam. Cœnæ igitur verba mordicus tenebo, & ex ijs, ipsum in cœna tantum esse posse, pugnaciter afferuerabo. Ita fiet, vt in cœlo esse negetur. Proinde illius argumentum sophistici erit, quippe quod non minus mihi, quàm illi conueniat. Quocirca sapientem iudicem moneo, vt non minus aduersarium, quàm me, ad omnes prædictas scripturæ sententias amplectendas, credendasque condemnet, tantumque infinite Dei potentia deferat, ne propter quamcumque naturæ repugnantiam, ipsius verbo renunciet. Nam si nos Christiani, ijs scripturæ locis, quæ iuxta naturæ ordinē atque rationem alijs quibusdam aduersari videntur, renunciamus, bonam scripturæ sacræ, atque articulorum fidei nostræ partem rejiciamus, necesse est. Verbi gratia, Optime iuxta naturæ ordinem sequitur. Si beata Maria, Christi mater est, virgo non est. Naturæ siquidem repugnat, vt vlla mulier simul & mater & virgo sit. Ad eundem modum, si Christus mortuus est, eum à mortuis non surrexisset consequens est. Si verum cor-

pus habuit, non ascendit in cœlum, hæc enim iuxta naturæ ordinem omnino contraria, ac plane incompatibilia sunt, quæ admodum iuxta naturæ ordinem fieri non potest, vt illud idem corpus eodem temporis momento, in pluribus locis existat: Verum si singula Religionis nostræ mysteria sic tractare, imò lacerare voluerimus, quid tandem aliud erit fides nostra, nisi mera quædam philosophia? Quæ cum ita sint, iure postulo, vt ad istiusmodi etiam scripturæ loca, naturæ repugnantia, firmiter credenda, aduersarius condemnetur, eò quod infinita Dei potentia hanc naturæ contrarietatem, atque repugnantiam, e medio sustulit. Id si aduersarius fecerit, inter nos facile conueniet. Ego verò quamquam id facere non teneor, paratus sum tamē, iam iam ostendere, CHRISTVM efficere posse, vt corpus suum eodem temporis momento pariter in cœlo sit, & in terra.

*Deum efficere posse, vt vnum, atque idem corpus, eodem temporis momento, in cœlo sit, & in terra.*

## CAPVT CXXXV.

**C**VM aduersarius sapius protestetur, nihil se credere velle, nisi quod expresso Dei verbo consonet, neque quam aut docere, aut tueri, nisi quod ex illo colligatur, satis equidem demirari nequeo, quemadmodum posteaquam huiuscemodi protestationem fecerit; defendere audeat, Deum efficere nō posse, vt vnum, atque idem corpus, eodem temporis momento in pluribus locis existat, præsertim cum scriptura & sapientissime, & apertissime, Deum omnipotentē esse, illi omnia possibilia, illum omnia quæcumque vult, tam in cœlo, quàm in terra facere pronunciet, imò verò, cum quotidie in symbolo Apostolico, se in Deum patrem omnipotentem credere confiteatur. Nam omnibus his nihil obstantibus, pro nouellæ Religionis suæ fundamento, maxime quod ad cœnam Domini attrinet, contra manifestam Dei omnipotentiam, nouū hoc paradoxon statuit, quod neque in vllis scripturæ sacrę loco, neque in vllis sanctorū, veterumque patrum scriptis posset ostendere; sed ex foetentibus philosophorum nō fontibus

sed

sed lacunis haustam, ad fidei Christianæ perniciem labemque conuertit. Philosophi namque (de infidelibus loquor Philosophis, non Christianis) non solū verbi Dei, verumetiam totius fidei nostræ hostes coniuurati sunt. Neque enim fides hæc nostra, qua CHRISTI corpus verè in sacramento præsens esse confitemur, rebus per philosophiam apparentibus nititur, sed illis potius omnino contraria est. Igitur si aduersarij hæc in re, verbum DEI rejicere velint, difficile fuerit, cōtrarium eis persuadere: verum si illud receperint, facile ipsis, per Theologicam demonstrationem (quæ propositioni maiori vniuersaliter verè innititur) hoc Deo; possibile esse ostendā. Erit autem demonstratio nostra huiusmodi: Omnis potestas penes Deum est. Inter ceteras autē diuinæ potestatis species, ea vna est, simul in pluribus locis esse posse; igitur efficere potest, vt vna eademque res, eodem momento temporis, pluribus in locis existat. Huius syllogismi maior propositio, certissima est, quia est verbum Dei, articulusque fidei: Minor quoque vera est, nam inter cetera quæ de Deo credimus, nos ipsum vbi que esse credimus. Is igitur qui vbi que locorum est, etiam alicubi potest esse. Aliquid igitur simul in pluribus locis potest esse. Si enim vbi que esse contradictionem non implicet, igitur nec in pluribus locis esse eam implicabit. Ceterum aduersariorum rationes intelligamus, necesse est, curid Deo possibile esse negent. Illi itaque hæc potissimum philosophicæ rationi inmittuntur. Si vna (inquiunt) eademque res simul in pluribus locis esset, ipsa in substantia sua, iuxta locorum numerum, multiplicaretur, ita vt si CHRISTI corpus, eodem momento temporis in pluribus locis esset, sequeretur (inquiunt) Christum plura simul corpora, quæ substantia differant, habere. Quibus breuiter respondeo, hæc ipsorum propositionem esse falsam, eorumque argumentum esse sophisticum, quemadmodum ex alijs, his omnino similibus, liquidò constare potest. Ego enim (exempli causa) simili plane argumento, plures Deos esse docere possum. Nam vna res (inquiunt) in substantia sua, secundum locorum numerum multiplicatur: Deus autem eodem temporis

momento, pluribus in locis est, plures igitur Deos habemus. Rursus. Deus pater, ipso Dominicæ transfigurationis die, simul, & in cœlo, & in nube, supra montem Thabor erat; Christus ergo tum temporis duos patres habuit. Accipe & aliud: Spiritus sanctus realiter in specie columbæ in Christi baptismo, ac nihilominus in cœlo præsens erat, tum igitur duo erant Spiritus sancti. Aliud. Ille idē spiritus sanctus in die pentecostes, super discipulos pariter congregatos, qui numero centum viginti erant, in linguis igneis descendit, seditque (vt ait Lucas) supra singulos, ergo ibi secundum istos, centum viginti spiritus sancti erant. Aliud. Christus Dei filius, eodem momento temporis sursum, in sinu Dei patris, ac hic deorsum in utero matris erat: tū itaque (iuxta istorum Dialecticam) Deus pater duos filios habuit. Imò nos credimus secundum philosophicam doctrinam, quod anima rationalis, & indiuisibilis, tota in toto corpore sit, & tota nihilominus in qualibet eius parte, nō tamen inde plures in eodem corpore animas esse consequitur. Hinc itaque liquido animaduertere licet, eorum argumenta plane sophistica esse: multa que & falsissima, & absurdissima concludere, quæ nō solum verbo Dei, verumetiam naturali philosophiæ repugnant. Illorum igitur fundamentum, quo Dei omnipotentiam subruere conantur, plane ruinofum est.

Ceterum ad aliam ipsorum imposturam veniamus, qua ipsi nouum paradoxon suum, impie vel defendere vel adūbrare conātur. Cum igitur expresso Dei verbo, quod Dei potentiam infinitam esse, clarissime ostendit, virgētur: tum sane Dei potentiam voluntati suæ parem esse respondent: ita vt Deus nihil efficere possit, nisi quod ipse velit, aut aliquādo voluerit. Sed ipse (inquiunt) efficere non vult, vt Christi corpus simul in pluribus locis existat, ergo ipse illud efficere non potest. En habes aliud grande ipsorum sophisticum. In primis siquidem, argumentationis huius propositio Maior, omnino falsa est, ac infinite Dei potentie ex diametro opposita. Id quod ad hunc modum comprobo: Quicquid Deus vnquam facere voluit, aut facere vult, finitum est. Nihil autem (secundū illos)

illos) facere potest, nisi quod ipse vult. Igitur Dei potentia finita est. Ea siquidem potentia, quæ secundum res finitas metitur, & ipsa quoque finita sit, necesse est. Omnia autem quæcumque vel facta, vel facienda sunt, finita sunt; Dei ergo potentia finita est. At contra, Deus aliam mundum; & multa alia efficere potuit; quæ facere noluit. Nisi forte CHRISTVM cum diceret, Nonne possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum? mentitum esse dicamus. CHRISTVS ergo patrem suum, duodecim legiones angelorum in suam defensionem, ne à Iudæis caperetur, sibi mittere potuisset, testatur, id quod tamen facere noluit. Dei igitur potentia, ipsius volitionem longe excedit, ac superat; Nam ipse multa potest, quæ non vult: Exempli gratia, Potest facere aëni, aut statuam salis, & tamē id non vult: atque vitam vellet, (si ab errore te videt non esse recessurum) quo animas Christi sanguine redemptas amplius seducere, diaboloque tradere non possis.

Iam quod ad Minorem propositionem attinet, ipsam quoque falsam esse dico. Nam Christum velle, corpus suum in pluribus locis, eodem momento temporis existere, hoc expresso Dei verbo, sic ostendo. Quicumque corpus suum, pluribus Christianis, in diuersis locis, & temporibus separatis, se verè in cibum daturum esse promittit, ipse illud simul in pluribus locis esse vult: CHRISTVS autem corpus suum, omnibus Christianis toto terrarum orbe diffusis, ad finem vsque sæculi realiter in cibum, se administraturum pollicitus est: ipsius igitur voluntas est, ut illud in pluribus simul locis existat. Accipe & aliud. Quicumque corpus suum pluribus porrigit, ac distribuit, illud eodem temporis momento, in diuersis locis esse vult; sed Christus in cœna corpus suum omnibus Apostolis realiter exhibuit: illud ergo tum pluribus in locis erat. Id quod aperte D. Augustinus in Psalmum 33. contestatur, qui CHRISTVM corpus suum, suis manibus ibi gestasse refert, ut illa nimirum Davidis figura impleretur, qui coram Rege Achis stultitiam simulans, seipsum in manibus suis portare velle fingebat. Quo sanc designabatur, quod CHRISTVS

seipsum proprijs manibus tum portaretur esset, cum in cœna corpus suum Apostolis porrigeret: quod cum faceret, Rex Achis, id est, heretici, ceterique infideles, non modo ipsum, verumetiam omnes illos, qui cum, hoc fecisse crederent, stultos atque amentes putant. Vide Augustinum in dicti Psalm. 33. præfationem, ubi Christum absque vlla à loco suo motione, sub panis ac vini speciebus, suis manibus corpus suum, dum illud Apostolis distribueret, portasse commemorat. Proinde si aduersarij credant, Christum ea omnia quæ vult efficere posse, credat & ipsum efficere posse, ut corpus suum in pluribus simul locis existat, quandoquidem hanc ipsius voluntatem esse, verbis tuis, tum promissorijs, tum exhibitorijs, ab eodem satis declarauerit. Ita posterius istorum sophisma corrui.

*Multis adhuc alijs rationibus, vnum, ac idem corpus, simul varijs in locis esse posse ostendatur.*

## CAPVT CXXXVII.

Multa sunt alia, quibus Dei potentiam quod superius diximus, efficere posse, clarissime demonstratur. In primis non minus possibile Deo fuerit efficere, ut vnum, atque idem corpus simul in varijs sit locis, quam ut plura simul corpora in eodem loco sint; maxime, cum idem iuxta philosophiam, inconueniens sequatur. CHRISTVS autem sapiens effecit, ut duo corpora pariter in eodem loco essent, ut post resurrectionem, cum ad discipulos suos clausis ingressus est ianuis. Non est igitur dubium, quin & alterum ipse præstare possit. Aduersarij validum argumēti huius robur secum pressius considerantes, ut illud euaderent, expressum Dei verbum, quod Christum absque vlla ostiorum apertura, ad discipulos introisse, expresse pronunciat, negare non dubitant. Cum fores essent clausæ (inquit Evangelista) propter metum Iudæorum. Id quod omnes quoque veteres Ecclesiæ patres clarissime testificati sunt, quemadmodum copiose satis intelligere poterunt ij, qui diligenter legerint epistolam 40. Leonis Papæ, Hieronymum ad Eustochium, Theophylactum in Lucam cap. 24. Cyrillum

rillum in Ioannem libr. 12. cap. 53. 58. 59. Ambrosium libr. 10. in Lucam cap. 24. Hilarium lib. 3. de Trinitate, & in Psalm. 134. Epiphanium aduersus Ariomanitas libro secundo cap. 69. Item contra Offensianos. Chrysostomum in Symbolum Apostol. Homilia 2. Augustinum denique plurimis in locis, cuius hic verba ponemus: Ipsa virtus (inquit) nimirum Dei, per inuiolatæ matris virgine viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra iuuenis introduxit. Hic si ratio quaritur, non erit mirabile: si exemplum ponitur, non erit singulare. Denus cum aliquid posse, quod nos fateamur, inuestigare non posse. Hactenus Augustinus Cuius testimonium si plura desideras, lege eius sermonem 17. de sanctis, & 56. 59. 60. de tempore. Item cap. 24. de agone Christi, ubi rationem reddit, quemadmodum corpus illud, Dei omnipotentia, ianuas penetraverit obseratas. Vnde inferimus, Christi corpus, ita ianuas traicisse, ut illius ac ostij corpus, in eodem simul loco essent. Quod si vsque adeo pertinaces fuerint aduersarij, ut hoc neque propter scripturam, neque propter orthodoxorum patrum auctoritatem credere velint, certe concedent (quandoquidem perpetuam beatæ Mariæ virginitatem continentur) illud corpus, cum de vero virgineo, egrederetur, simul cum partibus virginei corporis fuisse, sine cuius vlla omnino apertura, illud egressum est. Ita sane argumentum nostrum, quo duo pariter, corpora vno in loco esse posse, demonstrare volumus, vigorem suum retinebit. Quod si ita est, vnum atque idem corpus, pluribus quoque in locis simul esse poterit.

*Christus ut homo, pluribus in locis, etiam secundum scripturam simul potest esse.*

## CAPVT CXXXVIII.

Mat. 28. Christus aliquando discipulis suis, omnem, tam in cœlo, quam in terra, potestatem sibi donatam esse testatus est. Data est mihi (inquit) omnis potestas, in cœlo, & in terra. Id autem de ipso in quantum homo est, debet intelligi, nam in quantum filius Dei erat, omnem ab æ-

terno potestatem habuit, utpote eiusdem cum patre potestatis, ac illi per omnia æqualis. Vnde ex hoc, argumentum huiusmodi colligo. Christus ut homo omnem habet potestatem, at posse simul in pluribus esse locis, quædam potestatis est species, CHRISTVS igitur ut homo, pluribus in locis, eodem temporis momento potest esse. Syllogismi huius maior, verbum Dei est: Minorem autem veram esse, superius probatum est, nam inter varias Dei potentias, ipsum eodem temporis momento, pluribus in locis, absque substantiæ suæ multiplicatione esse posse monstrauimus. Ipsa proinde cōsequencia legitima quoque erit. Aliud. Homo velle potest, frequenterque desiderat, simul pluribus in locis esse. At Deus hominem in potentia longe debet excedere, ipse igitur non solum voluntatem, verumetiam eius executionem simul habere poterit, ut sic secundum ea negotia quæ per corpus exequi debet, in tot locis esse possit, in quot eius præsentia necessaria est. Ita autem se res habet, ut realis corporis ipsius præsentia, hic in terris, pluribus in locis necessaria sit, ab eo præsertim tempore, quo legem illam promulgauit, qua neminem vitam æternam cōsecuturum iureiurando statuit, atque asseruit, nisi corpus, & sanguinem suum in verum cibum, ac potum sumperit. Quocirca nimum (proh dolor) hominum conditio misera foret, si post legis huius promulgationem, ipsius corpus non nisi in cœlo esse posset, maxime verò cum illuc conscendere non possimus, ut illud ibi recipiamus.

Tertia probatio nostra omnino irrefragabilis est, quia procedit ab esse ad posse; ex quo loco, necessario semper concluditur. Semper enim necessariò sequitur, si res est, ea potest esse. Ex scriptura autem probabim⁹, CHRISTVM post Ascensionem suam, factò ipso, non inuisibiliter tantum, verumetiam visibiliter in cœlo, pariter ac in terra fuisse. Refert enim Diuus Lucas, quemadmodum CHRISTVS Paulo in Damascum, ut ibi Christianos persequeretur, cuncti, in via apparuit. Id quod secundo, post Christi Ascensionem anno contingit, quo iuxta communem Doctorum opinionem, Paulus ad fidem conuersus est.

Cæterum



Ceterum vtrū sit, negari tamen nō pōt, hanc Christi apparitionem, post ipsius in cœlum ascensionem cōtigisse. Quod autem ipsemet Christus re vera apparuerit, ex sua ipsius respōsione satis liquet, qua Paulo quærenti, Quis es Domine? respondit, Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Eodem enim hic locutionis genere vsus est, quo iam antea Iudæis in orto ipsum capere volentibus, ac dicentibus, Iesum quærimus Nazarenum, respondit, dicens, Ego sum. Illis proinde verbis, se ipsum in propria persona esse, significabat, qui Paulo apparebat. Quid Ananias? Nōne Saulo ait? Dominus Iesus me misit, qui apparuit tibi in via, qua veniebas. Hic audis Ananiam dicentem, CHRISTVM Paulo apparuisse, nō in cœlo, sed in via, qua veniebat. Idem testatur, & Barnabas, qui cū Paulus Hierosolymam venisset, apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit eis, quomodo Dominum in via vidisset. Quid multis? Nam & ipsemet Paulus Iudæis de sua conuersione loquens, idem plane testificatur, ac inter cætera commemorat, quemadmodum Ananias ei dixerit: Dens patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius. Vnde idē Apostolus, ad Corint. scribens, ac de rebus Dominicæ resurrectionis, qui eū corporaliter, post resurrectionem suam viderant, agēs, se inter alios connumerat, dicens, Tradidi enim vobis, quod & accepi, quoniam Christus resurrexit tertia die secundum scripturas, & quia visus est Cepha, & post hoc vndecim. Deinde visus est plus, quàm quingentis fratribus simul; ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiā Dei. Diuus Paulus hic de simili apparitione loquitur, qualis erat illa, qua Christus Apostolis suis, post resurrectionem suā apparuerat, quæ profecto realis, atq; corporea erat, vti omnino requirebatur, vt illi fidele resurrectionis testimoniū red-

derent. Ipse igitur post ascensionem suā re vera Paulo apparuit. Quod si quæras, vbi hoc factum sit, ipse cum D. Luca, Barnaba, atque Anania, tibi respondebit, in via, qua Damascum ibat, hoc gestum esse. Istud autem post eius ascensionem contigit; sequitur, proinde ipsum, post illam, in cœlo; pariter ac in terra extitisse. Quapropter cum ab esse ad posse, necessaria semper inferatur consequentia, plane cōsequitur, ipsum efficere posse, vt corpus suum, in cœlo pariter sit, & in terra: Neque vero hic de imaginaria, aut spiritali visione sermo est, quia omnino necessarium erat, vt eo in corpore Christus Paulo appareret, in quo mortem pro nobis pertulerat, quo sic nimirum securus, atque confidentius, ipse Paulus Dominicæ resurrectionis testimonium perhiberet. At qui hoc sane argumentum, vniuersum totius doctrinæ aduersariorum fundamentum subruit, quod & mox alia non minus etiam efficaci ratione perfundabimus.

*Paulus credidit, Deum efficere posse, vt humanum corpus simul pluribus in locis esset.*

## CAPVT CXXXIX.

**D**iuus profecto Paulus, (qui in tertium cœlum raptus,) Dei arcana contēplatus fuerat, cui & proinde quilibet Christianus longe magis credere debet, (quam vni Caluino, aut Beza, qui ad huiusmodi arcana nūquam admitti fuerunt, neque vnquam admitti poterunt; nisi erroris ipsos peniteat) hic (inquam) Paulus Deum efficere posse credebat, vt corpus humanum eodem temporis momento varijs in locis esset. Ipse enim ad Corint. de suo in tertium cœlum raptu scribens, dicebat, se omnino nescire, vtrum in corpore, & anima, an vero in anima tantum, in tertio illo cœlo fuisset. Siue in corpore (inquit) siue extra corpus, nescio, Deus scit. Quod autē ad corpus attinet, probe nouerat, illud toto triduo illo, quo in cœlum raptus fuerat, Damasci fuisset, quo per comites suos ipse deductus fuerat, ita vt toto illo triduo nihil omnino biberit, comederit, viderit, quæadmodum in Apostolorum A-

ctibus

*Act. 20.* etibus ipse testatur. Recte igitur nouerat, toto illo raptus fui triduo, corpus suum in terris fuisse, interea tamen ingenue se nescire protestatur, vtrum etiam corporaliter, tum tēporis in cœlo fuerit, necne? Quod si hoc aut omnino impossibile esset, aut contradictionem vllam implicaret, vt corpus aliquod pariter & in cœlo sit, & in terra, illius rei Paulus neq; ignarus fuisset, neq; Corinthijs scripsisset, se nescisse, vtrum corpus suum (quod toto illo raptus fui triduo hic in terris fuisse, satis intelligebat) tum temporis, in cœlo quoq; fuisset, necne? Ex quo perspicuum est, D. Paulum magni nouellæ istius Religionis fundamenti ignarū omnino fuisse. Ipse (inquam) eius rei plane ignarus erat, quam ipso, ac omnibus Maioribus nostris, longe melius Caluinus, atque Beza se nosse profitentur: O præclara igitur istorum ingenia. O mirificos atque subtiles nouellæ huius religionis Doctores, qui beatum Paulū doctrina, atque eruditione præcellūt? Beatus enim Paulus se nescire confitetur, vtrum corpus suum, eodem momento tēporis in cœlo, atq; in terra fuerit: isti autē audacter, id omnino impossibile fuisse pronunciant. Nōne igitur Paulo lōge doctiores sunt, si tamen id scire, scientia aliqua dici debeat. Profecto, si Caluini, aut Beza spiritus, beato Paulo astitisset, cū ipse, rei huius se ignarum esse scriberet, multo aliter ipsum loqui docuisset. Ei enim in aurem in stillasset, Deū nullatenus efficere potuisse, vt corpus suum in cœlo, pariter ac in terra fuisset, ac propterea eū audacter scribere, ac libere confiteri docuisset, se quoad animam solūmodo, & non quoad corpus, in cœlo fuisse. Nam aliter fieri nō potuisse, optime nouerat Caluinus. Sed quomodo (tu Paule) rei huius ita inscius fuisti, quā nouelli isti doctores, se tam explore scire gloriantur? Ecquid tibi profuit, quod in tertium vsque cœlum raptus fueris, cū isti te multo doctiores sint? Vides igitur Christiane Lector quæadmodum Caluinus, Beza, ceterique, qui eorum sectā amplectuntur, se indubitanter scire confirment, quod D. Paulus ingenue se ignorare confitetur. Imo (quod peius est) pro nouellæ religionis suæ fundamento cōstituūt, quod Paulus plane nesciuit. Quo fit, vt nos asininos, atque sophistas vocet

quia id quod vas electionis beatus Paulus in tertium cœlum raptus, discere nō potuit, ignoramus. Si ad salutem necessariū est, vt credam, Deū efficere nō posse, vt humanum corpus, in cœlo pariter sit, & in terra, si huiusmodi ignorantia damnabilis est: qui sit, vt D. Paulum æternæ damnationi, quemadmodum & Maiores suos, non adiudicent, præsertim cū magnum hoc fidei Caluinianæ fundamentum, sibi prorsus incognitum fuisse, etiam publice confiteri non dubitet? Nā si id quod isti credunt, Apostolus credidisset, nunquā profecto se nescire dixisset, vtrum in corpore, in cœlum raptus fuisset. Attamen in illa ignorantia (si tamen Caluini deliramenta nescire, ignorantia dicenda est) saluus est Paulus, iamque cum Christo feliciter regnat. Quomodo igitur (o boni viri/patres vestros, tanquā qui à fide aberrauerint, condemnatis, quia hoc ignorarunt, quod & beatus Paulus se ignorasse ingenue confitetur? Sed vnde tanta vobis scientia, vt id sciat, quod Apostolus ignorauit? Nōne ille absque grandi hac scientia vestra, abunde satis in Christianismo institutus fuit? Imò sane. Cur igitur vniuersum mundum turbatis, vt id Christianos recipere cogatis, quod ad salutem minime sit necessarium? Cur confratres vestros precioso illo Christi sanguine tinctos occiditis, interficitis, trucidatis, quod erroneas opiniones vestras, tanquā expressum Dei verbum recipere nolint? Neq; enim verbum Dei est, ipsum efficere nō posse, vt vnum atque idē corpus eodem temporis momento pluribus in locis esse possit. Illud (inquam) vestrum, & non Dei verbum est. Nā si id Dei verbum esset, beatus profecto Paulus, qui & spiritum Dei habebat, & arcana ei probe nouerat, hoc etiā pcul dubio recte cognouisset. Quo .n. pacto fieri possit, vt vos beato Paulo peritiores sitis, qui nunquā (sicuti ille) ad profunda illa Dei mysteria contēplanda admissi fuistis? Mira res profecto. Si enim à Paulo quæras, vtrū corpus suum, in cœlo pariter & in terra fuerit, cōtinuo se id nescire respōdebit. Verum si à Caluinista quopiā id quæras, statim nō ita fuisse, cōstanter affirmabit. Id enim optime se nosse dicit, quia hoc Caluinus dixit: Verum vnde tanta Caluino scientia, vt id scierit, quod Paulus igno-

Ff rauc-

rauerit? At bene habet interim tam pro nobis, quam p. Maioribus nostris, quod D. Paulus nihilo amplius, q̄ ipsi, Caluinista fuit. Nā ipse vt corpus suum, in coelo, pariter & in terra esset, Deū efficere posse, certo credit, tantū abest, vt hoc de Christi corpore vlla ratione dubitaret. Hinc itaq; liquet, quā ruinosum sit religionis Caluinianæ fundamentū, quod scripturæ sacræ, Paulinæq; doctrinæ repugnat, estq; contrarium, quemadmodū iam copiose satis ostendimus.

*Argumenti quod ex ea sententia, qua Christus se de hoc mundo ad patrem trānsire dicit, aduersarij obijciunt, refutatio.*

## CAPVT CXXXX.

**H**ic operi finē imponere statuerā, cū mihi nonnullæ ex scripturis obiectiones in mentē venire, quas aduersarij saepenumero vsurpare solent, cum inter simplices, & idiotas, quos mendacio fallente circumuenire conātur, assistūt. Hi siquidē non secus, quā ex copiosissimo quodā catalogo, omnia illa scripturæ loca in medium proferunt, in quibus Christus se de hoc mundo ad patrē trānsire pronunciat. Quibus sane obiectionibus et si generaliter responderimus, cum quemadmodū argumentis, quæ isti aduersus Ascensionis articulū opponunt, respondendū esset, doceremus, rogatus tamē à quodam, vt aduersariorū cauillationes Euāgelica veritate contererē, breuiter hic ad singula respondebo. Idq; sic faciemus, vt omnibus interim simplicioribus, atq; imperitis, rationē, ac viam ostendamus, qua aduersarios huiusmodi obiectionibus superfedere, aut nostram certe solutionē, tanquam legitimam approbare cōpellant. In primis itaq; notādū est, superflue aduersarios huiuscemodi scripturæ loca nobis obijcere, quibus Christus de hoc mundo, in coelum, ad patrem, se redire profitetur. Hoc. n. quotidie in Synibolo Apostolico cōfitemur, dicentes. Ascēdit ad cœlos, sedet ad dexteram patris. Verum sicuti ipsum de coelo, in hanc miseriam vallē, vt hominis formā indueret, sic descēdisse credimus, vt reali interim præsentiā sua, cœlū nō destitueret, sic & eū quoq; in quantū homo est, in cœlū ascēdisse cōfitemur, vt interim mūdū, reali præsentiā sua nō priuaret.

Ceterum vt cœlitus in terrā descēderet, ipse statū, cōditionemq; mutauit, quæ seruile formā suscipiens, seipsum gloria sua euacuauit, ita & cū de hoc mūdō migraret, corruptibile statū ac sortē, in incorruptibilem, mortale, in immortalē, humilē, & abiectam, in sublimem, & gloriosam mutauit: sicq; saccum seruitutis nostræ exuens, beata sempiternæ gloriæ stola decoratus est. Quemadmodū igitur ex eo, quod ipse descendit de coelo, personę ipsius de coelo absentia recte inferri nō pōt, ita nec ex eo, quod mūdum dicitur, reliquisse, personalis ipsius absentia, sed visibilis tantummodo, atq; multo alia cōditionis, statusq; sui mutatio, qua nūc lōge aliter, q̄ antea nobiscum exiit, colligi pōt. Hoc igitur orationis genus, quo Christum, mūdū reliquisse dicimus, illi plane simile est, quo & ipsum etiā cœlū deseruisse, vt in mūdū veniret, prohibemus. Exiui (inquit) a patre, & veni in mūdum. Ceterum, quod istiusmodi ab eo facta mundi desertio, nō de personali ipsius absentia, sed de illa, quam modo diximus, conditionis, statusq; immutatione intelligi debeat, ex his ipsius, ad Apostolos verbis liquidō cōstat. Ego vobiscum sum (inquit) omnibus diebus, vsque ad consummationē sæculi. Id quod de personali ipsius præsentiā intelligendū esse, hinc satis liquet, quod hoc pronome (ego) quod eius, qui loquitur, personam designat, vsus sit. Hæc autem ipsius præsentiā certo sic tēporis spacio limitata, alia, præter realē, sacramentalēque præsentiā, esse nō pōt. Nam quod ad eius præsentiā, quæ charitate cōstat attinet, ipse semper, in perpetua aternitate, cū dilecta sponsa sua, Ecclesia erit. Vnde beatū Paulum, ad hæc Christi verba alludere, imo ea poti⁹ interpretari, facile intelliget, qui quis eius verba pressius discutere voluerit, vbi cū de reali Domini corporis in Eucharistiæ sacramento præsentiā mentionē fecisset, cōtinuē subiūxit, nos sacramētū illud, in Christi mortis memoriā donec veniat, hoc est, vsq; ad cōsummationē sæculi, frequērare. Quæ si aduersarius hūc scripturæ locū, de spiritali Christi præsentiā intelligere voluerit, in primis respōdeo, ipsum cōtra sacrā scripturā, spiritualem hanc præsentiā, tēporariā, atque transitoriā cōstituire. Deinde sic locū hunc explicando, Christiū nihil

nihil noui Apostolis, aut Ecclesiæ suæ, verbis illis promississe dico. Antē siquidē spiritali huiusmodi diuinitatis suæ præsentiā Apostolis suis, imō & Synagogæ aderat. Quod si pertinaciter aduersarius opinionem suā tueri voluerit, ea quæ ille mihi citat loca, & nō nostra de absentia recessusq; spiritali intelligenda esse contendā. Eodem. n. iure sic loca ab eo citata exponere possū, quo ipse mea, pro suo arbitratu interpretatur. Ad hæc vtrūque pariter credēdū esse, contendā, Christū mūdū reliquisse, quo ad cōuersationē humanā, q̄ cū hominib⁹ bibēdo, & comedēdo, seq; eis visibilē exhibēdo fiebat, ac ipsum nihilomin⁹ nobiscū inuisibiliter esse in mysterio, id est, modo quodā secrete, ac ab intellectu nostro plane incōprehensibili. Quod hic autē ipse a mūdō recessus, cū reali personæ eius præsentiā cōstitat, nō nostris, sed ipsius verbis comprobabimus. Siquidem in oratione illa, quā tani pro se, q̄ pro discipulis suis, in vltima coena, ad patrē suū fudit, inter alia dicebat: Pater sancte (inquit) serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Jam nō sum in mūdō, & hi in mūdō sunt. Cū essem cū eis, ego seruabā eos, in nomine tuo. En vides quæ admodum, cū ipse adhuc personaliter in mūdō cum ipsis esset, etiam nec in mūdō, nec cum ipsis esse dicat. Vnde & paulo antē dicebat, Hæc autē vobis ab initio nō dixi, quia vobiscū eram. Deinde verō, ipso resurrectionis die, cū Thoma absente, ceteris discipulis apparuisset, Hæc sunt verba (inquit) quæ locutus sum vobis, cū adhuc essem vobiscum. Sed quorsum ista? Nōnne Christus corporaliter, atq; realiter cū Apostolis suis præsens erat, cū hæc eis loqueretur? Ita sane. Attamen sic loquitur, ac si cum illis præsens omnino nō esset. Hæc sunt verba (inquit) quæ locutus sum vobis, cū adhuc essem vobiscum. Hæc itaque, de qua ipse hic Apostolis loquitur, realis absentia nō erat, sed p. hanc, melioris cuiusdā status, atq; conditionis, ad quā gloriosa iā resurrectione peruenerat, cōmutationē tantummodo designabat. Quo locutionis genere, hominē, qui vitam monasticā professus est, mūdū reliquisse dicimus, tametsi interim & quo ad locū, & quo ad personam suā, in mundo adhuc sit, & viuat. En habes igitur, quæ admodū Dei verba ad in-

uicē conciliemus, vnū, per aliud exponēdo, nō autē vnū per aliud euertendo, quemadmodū facere moliantur aduersarij, qui toti simul scripturæ, nobiscum credere nolunt. Nos proinde (vt vnde digressi sum⁹ nostra redeat oratio) Christū, sic mūdū deseruisse credimus, quæ admodum & ipse cœlum aliquando deseruisse dicitur, vt in hunc mūdū veniret, per status, conditionisq; suæ mutationē, non quod cœlū interim præsentiā sua vnquā spoliauerit. Vnde de suo hoc in mūdū descensu sic loquebatur, Nemō (inquit) ascendit in cœlū, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in sinu patris. Vidē sive quæ admodum dicat hic, se de cœlo descēdisse, ac se nihilomin⁹ ibi in sinu patris existerē? Proinde si tā pertinaces Caluinistę fuissent, cū Christus visibiliter, in terris, cum hominibus cōuersaretur, atq; nūc sunt: nōnne nouā ipsi hæresim excitassent, dicentes, illum realiter in cœlis tum non fuisse, cum in terris esset? Nōnne quemadmodū nunc vociferantur, dicentes, quomodo potest in terris esse, cū ipse in cœlū ascēderit? sic quoque clamitassent, quomodo realiter in cœlo esset, cū in mūdū descēderit? Quapropter si aduersarij, qui ex ascensionis articulo, realem à sacramento nostro, Christi absentiam inferre conātur, huiuscemodi argumentū, tanquā legitimum concederetur, eadem pfecto ratione & illis, qui Christi tempore fuissent, argumentū quod ex illo fidei articulo (descendit de cœlis, sumpsissent vt realē ipse ad cœlo absentiam probarēt, tanquā efficax, & validum, admittendū fuisset. At res salua est. Jam. n. satis superque ipsum in vtroq; simul loco esse posse monstrauimus. Quocirca, cum ipsius verbū, nobis vtrumq; proponat, vtrumq; pariter, quemadmodū & Maiores nostri fecere, credamus, necesse est. Fremit igitur aduersarij, vt videbitur, nos læti cū Regio Propheta canamus: Dominus in tēplo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Ipsi pfecto angeli summo opere de hac mirifica Dei cū hominibus præsentiā admirantur, obstupescunt, exhilarantur. Vnde D. Ioannes in Apocal. se vocē audiuisse cōmemorat, q̄ de throno, præ earum rerum, quas Deus nouæ suæ Hierusalē fecerat, admiratione clamabat, dicens: Ecce tabernaculū Dei cum homi-

Psalm. 137.

nibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. En vides, quam clare, quam expresse, quam diserte, de Dei in illa Hierusalem, quam verus noster Daud, atque Messias extruxit, presentia, spiritus sanctus hic loquitur. Ipse Deus (inquit) cum ipsis, erit eorum Deus. Illud nomen (ipse) non spirituales tantummodo, verum etiam realem, atque personalem presentiam denotat. Quid vero tabernaculum istud Dei, cum hominibus, aliud, quam Augustissimum sacramentum nostrum esse potest, in quo longe profecto excellentiori, quam vnquam olim, in Mosaico tabernaculo presentia, Deus nobiscum habitabit? Vnde Ecclesia pre huius rei gaudio exultans festiue canit. Quoniam elegit Dominus Syon, elegit eam in habitationem sibi. Hanc requies mea, in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, & pauperes eius saturabo panibus. Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultabunt, &c. Et ne multis, totus iste Psalmus de nostro Messia, de eius in Ecclesia presentia, atque residentia, quae per sacramentum fit; de sacerdotum nouae legis gloria, ad literam intelligitur. Vt igitur tandem finiam, dico, sacram scripturam plurimis abundare locis, quae personalis ipsius in Ecclesia residentiae, quae admodum Ascensionis, atque in coelo residentiae, mentionem faciant. Proinde quisquis verè perfectus Christianus esse gestit, vtrumque credat necesse est. Vnde omnis qui inter nos & aduersarios controuersiae cardo voluitur, in eo consistit, quod ipsi nolunt quemadmodum volumus nos, toti simul scripturae credere. Quocirca Deum optimum Max. precor, atque per sacratissimas dilectissimi filij sui plagas obsecro: vt hoc eis pro ipsorum

salute, pro totius reipublicae Christianae pace, atque tranquillitate, inspirare dignetur, Amen. Caterum ne pluribus his immorer, facile quilibet, etiam illiteratus & idiota, omnibus illis, quae ex ascensionis articulo obijciunt aduersarij, poterit respondere, si dixerit, se omnia illa, quae ipsi ad hoc citant, scripturae loca, vera esse credere, eo quod Dei verba sint sique vicissim ab illis exigat, vt his & ipsi Dei verbis credat, Hoc est corpus meum, Caro mea verè est cibus, Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem saeculi, atque alijs id genus. Quae non minus atque illa quae ipsi citant, Dei verba sunt. Cum autem illi ad Philosophiam, tanquam ad inexpugnabile asylum suum refugere voluerint, vt naturalibus inde argumentis huiusmodi verba Domini, simul cum verbis Ascensionis, vera esse non posse doceant, quod nimirum natura ex diametro repugnet, tum se non Philosophum, sed Christianum esse respondeat, seque propterea naturae renuicasse, vt deo crederet, quem ex primo fidei suae articulo, omnipotentem esse, firmissimè & didicit & confitetur: sique ab illis consequenter exigat, vt omnibus simul Dei verbis, cum ipso fidem adhibeant: quemadmodum & omnes ipsorum maiores iam multo antea crediderunt. Hic proinde, respondendi modus, simpliciori cuiuslibet suffecerit. Ita enim fiet, vt nullo pacto per sophistorum naturaliumve vt apparere potest argumentorum campos, aduersarij spatium di frena laxentur. Caterum posteaquam aduersariorum rationes nihil omnino efficaciter concludere, haecenus copiose satis ostenderimus: tempus nunc postulare videtur, vt & nostras ex aduerso in medium proferamus.

FINIS ACTIONIS SEPTIMAE.

## ACTIO

## ACTIO OCTAVA

IN SACRAMENTARIOS  
HAERETICOS,

IN HAC ACTIONE VELVT IN EPILOGO  
omnia argumenta colliguntur, quae pro reali corporis Christi  
in Eucharistia sacramento presentia in praecedentibus actionibus  
in spersa cernuntur: quibus & alia quadam addidimus, quae praesius  
considerata, attentum lectorem in Maiorum nostrorum  
sententiam totum rapiant: & vt pro eorum  
fide pronunciet persuadebunt.

*Epitome, ac veluti omnium rationum, atque argumentorum haecenus ex Dei verbo, ac eius circumstantijs desumptorum ἀνακεφαλαιωσις, quibus auctor (iuxta Maiorum nostrorum fidem) realem Dominici corporis, in Eucharistia sacramento presentiam, manifeste comprobatur. Quarum rationum maior pars in libri huius capitulis inferius citatis copiosius declaratur, vnde eò, vt melius intelligantur, recurrendum erit.*

CAPVT CXXXI.



**P**LVRIMA adhuc in hac confutatione nostra, contra aduersariorum argumenta, nobis tractanda superesse videbantur, sed quoniam librum hunc, nimium inter manus nostras excrefcere animaduertebamus, ea in alterum Tomum consulto reijcenda iudicauimus. In eo siquidem amplè adhuc, per extrema controuersiae huius determinatione, materiam explicandam habemus: Omnia quidem hoc in libro, nos comprehensuros putabamus; sed tam multa, in meis restant codicillis, vt pro altero Tomo abunde sufficere videantur. In quo sane Tomo, haec ex ordine tractabimus.

Primo de vera, ac genuina antiquorum Ecclesiae Doctorum, quod ad hunc arti-

culum attinet, fide agemus, vbi & aduersariorum subinde obiectiones, prout res postulauerit, confutabimus. Secundo de Christi, in hoc sacramento adoratione. Tertio de communionem tum sub vna, tum sub vtraque specie. Tum varias Epistolas, Annotationes, Sermones, & responsa, quae differis hominibus atque temporibus prout res ipsa exigebat, fecimus, tamquam miscellanea quadam subiiciemus. Postremo, Commentaria, quae in coenam siue Bebianam, siue Caluinianam scripsimus, tanquam illius libri coronidem subnectemus. Caterum in hoc libro, nobis abunde suffecerit, quod praecipuum totius rei caput, ex quo caetera pendunt, euicerimus. Quod sane caput erat, realem Dominici corporis, in Eucharistia sacramento presentiam, ex ipso expresso Dei verbo comprobare. Eo siquidem euicto, caetera veluti accessoria quadam facile consequuntur. Verum quia tantam argumentorum copiam, toto passim hoc libro conspersimus, vt Lectori partim attento, non parum confusionem merito gignere possit, ad eius memoriam subleuandam, & vt tanquam in acie bene instructa, dictas rationes, atque argumenta, non secus, atque expeditos quosdam milites contra fidei Maiorum nostrorum aduersarios, in praedium descendere conspiciat, qualiter ea hic recognoscere, ac veluti in breuem quendam catalogum redigere, singulaque recensere, adhuc capita illorum, quae iam superius tractata atque declarata sunt,

Ff 3 sunt,

sunt, ad notare, & ea, quæ necdum attigimus, quod melius intelligantur, fusius explicare decreuimus. Ceterum hic prætereundum non est, istarum rationum quasdam, veras Theologicas demonstrationes esse. Eas demonstrationes hic appello, quæ ex ipso expresso Dei verbo, aliquid necessarîo concludunt. Aliæ autem sunt probabiles, & persuasivæ tantum, quæ nimirum alijs coniunctæ, probabiliter aliquid inferunt, quas Considerationes subinde appellamus: Quicquid autem hic probandum suscepimus, in duobus potissimum capitibus consistit, quæ ad unum etiã redigi possunt. Hoc est, omnia argumenta nostra, cõ tendunt, ut, aut realè corporis Christi in sacramento præsentia inferant, aut ut cœnæ verba, literaliter exponenda esse cõprobent. Quæ duo capita, in unum redeunt. Nam si realis Dominici corporis in sacramento præsentia est: Hæc verba, Hoc est corpus meum, literaliter procul dubio explicanda erunt. Contrã, si verba ista literaliter exponenda sunt, realem dei corporis præsentiam, necessarîo inferunt. Quod fit, ut alterum ex altero semper, ac necessarîo inferatur & p̄deat. Ut vtrûq; igitur cõprobemus, varias atq; vrgentes rationes habemus, quas hic subiiciemus.

Primò in genere. Ideo firmiter hoc credere tenemur, quod Dei verbum expressè, ac manifestè dicat, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Panis, quem ego dabo, caro mea est, quibus Dei verbis omnino credere tenemur.

2. Nullum Dei verbum est, quod expressè, ac clare oppositum dicat, nepe hoc non esse corpus Christi.

3. Nulla ex Dei parte impossibilitas est, quin hoc ipse efficere possit quæadmodum diffusus suo loco comprobatur est.

Ex cap. 1.

4. Si Christum de corpore, & sanguine suo locutum fuisse, non credimus, cum diceret, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, nihilo amplius igitur quam Iudæi, & Gentes verbis illis credimus. Siquidem illi, aut eum de corpore, & sanguine suo locutum non fuisse credunt, aut si de eis locutus est, tanquam de rebus sibi omnino impossibilibus locutum fuisse existimant. Id quod & Caluinista quoque asserunt, quod ei impossibile esse dicunt, corpus suum, quod in celo est, hominibus, qui in terra sunt, in cibum dare posse.

5. Quemadmodum nulla difficultas est, ea quæ fidei nostræ repugnant, credere; sic nec vllum meritum esset, illa credere.

6. Si illorum Christi verborum literalè sensum rejiciamus, hinc fidei nostræ articulum, ipsi quoque philosophis credibile reddimus.

7. Nemo a postolis restitisset, nemo eos seductores, aut impostores esse dixisset, si huiusmodi fidem, quam hodie defendunt Calvinista, ipsi prædicassent, utpote, quæ creditu facilissima sit.

8. Si Deus ipse huiusmodi, quæ nobis de hoc sacramento credenda proponuntur, non dixisset, nemo unquam mortalium ea aut excogitare, aut dicere præsumpsisset.

9. Nemo penitus, qui fidei huius (quæ realè corporis Christi, in sacramento nostro præsentia ponit) primus auctor fuerit, præter unum Deum inveniri potest. At è diversis, clare liquet, quis realè eius absentiam primus excogitauerit: Hæc igitur fides non ab villo mortalium, sed à Deo solo perfecta est: Ratio hæc admodum valida est. Legit enim aduersarij, ac relegant Ecclesiasticas historias, quantum voluerint, nusquam tamè reperiet, quod tali, aut tali tempore, talis, aut talis auctor realè corporis Dominici in sacramento nostro præsentia docere coeperit, quæadmodum illi, qui realè eius absentiam primus in medio obrutere coeperit, inuenire est. Unde hoc nobis magno iudicio est, eam ipsam esse fidem nostram, quam ab Apostolis antiquitus Ecclesia recepit.

10. Cum nemo plane eorum, qui ab Ecclesiæ nascētis exordio scripserint, inueniatur, qui in eos, qui huiusmodi fidem tenebant, prædicabant, docebant, vllum librum scripserit, eorum inter hæreticos recensuerit, quæadmodum de ijs, qui huic oppositum sustinerent, inuenitur, certissimum argumentum est, huiusmodi fidem non adulterinam, sed legitimam esse. Si enim hæreticorum catalogi sedulo reuoluantur, nullus omnino scriptorū reperietur, qui illos, quod de hoc sacramento sic crediderint, aut eo modo se ergo illud habuerint, quæadmodum Maiores nostri se habuerunt, ac crediderunt, aut hæreticos aut Idololatrias fuisse pronunciet.

11. Idem colligitur ex eo, quod, qui oppositum defendere voluerunt, semper ab vniuersali Ecclesia tanquam heretici cõdemnati reiecti; sint; quæadmodum de Berengario, ac eius socijs liquet.

12. Idem ex eo etiã inferre possumus, quod eum, qui primus doctrinæ aduersariorum auctor fuerit, ostendere possumus, ipsi autem, quis fidem nostram, præter ipsum Christum, ac eius Apostolos, nobis tradiderit, demonstrare non possunt.

13. Diffi-

13. Difficultas illa, qua fit, ut aduersarium sententia, nec Maioribus nostris, nec nobis persuaderi queat, Christum ita plane, quemadmodum credimus, locutum fuisse arguit.

14. Quod si Deus his verbis, Hoc est corpus meum, oppositum dixisset, tunc totus mundus procul dubio eiusdem cum aduersarijs sententiæ fuisset.

15. Quod si illa Christi verba villo modo immutare licuisset, Apostoli, qui doctrinam suam irridere, cõtemni, atque calcari, quod istiusmodi prædicaret, animaduertebant; illa procul dubio, quemadmodum & facere tenebantur, immutassent, atque emendassent.

16. Quod ad tollendum scandalum, quod huiusmodi doctrina Iudæis, ac Philosophis tam Græcis, quam Latinis pariebat; merito cõmoueri debuissent. Apostoli, ut istiusmodi verba, si id, absque ipsius veritatis præiudicio vllatenus fieri potuisset, immutaret: Id quod sic ostendo: Plures tunc temporis Iudæi, pariter ac Philosophi erant, qui militia Christianæ libenter adscribi voluissent, nisi Apostoli Christi, verum corpus, & sanguinem suum, in cœna eis verè manducandum, & bibendum porrigere, prædicassent. Quæ sane res, vltimo ad eum illis videbatur absurda, ut vel ex ea sola omnino præpediret, ne Christiani fieret, imò tanto opere in ea scandalizabantur, ut in sua incredulitate, atque perditionis via potius remaneret. Cum autem Apostoli humane salutis sitientissimi essent, si absque ipsius veritatis præiudicio aliter aut loqui, aut scribere potuissent, ab istiusmodi sane locutionis genere temperassent, neque eum de sublimibus istis mysterijs agerent, vocibus illis (caro, sanguis, corpus,) vni fuissent, sed eorum loco signa, & figuras, quæ scandalum non perissent, collocassent. Imò vero id facere tenebantur, si ita credendum fuisset: Id quod sic probatur: Ut proximi scandalum euerterent, quicquid doctrinæ veritatis, aut recte vitæ non aduersatur, omittendum est. Res enim per se alioqui licitæ, propter scandalum illicitæ sunt. Unde Paulus dicebat, Si frater meus scandalizatur, non manducabo carnes in æternum. Ita & hic quoque Paulus dixisset, Si de Christi corpore manducando, aut eius sanguine bibendo loquens, fratrem meum scandalizo, non loquar ea de re in ceterum: Ac propterea Apostoli, qui tantum ex sua prædicatione scandalum cõsequi animaduertebant, quod nimirum, Christi carnem,

atque eius sanguinem realiter manducandum, ac bibendum dicerent, cum istiusmodi scandalum, ijs verbis vtendo, quibus nunc Maiorum nostrorum aduersarij vtuntur, facile euitare potuissent: illis profecto, ut tantum scandalum, quo tam multorum hominum salus præpediebatur, è medio tolleretur, vti debuissent; si id absque ipsius Dei, atque veritatis iniuria villo modo fieri potuisset. Unde veritatem ipsam, talè, qualè eam ipsi prædicabant, & non aliam, esse concludo. Ipsa est enim propter quam scandalum timeri non debet. Ac propterea D. Paulus; cum alioqui omnibus modis scandalum euitare studeret, videns Iudæos, atque Græcos, verbis suis scandalizatis, atque stultitiâ reputantes, quicquid ipse de Christi cruce, ac morte prædicaret, non ideo tamè ab huiusmodi prædicatione abstinere, quia in ipsa veritas consistebat: Unde hæc ratio pro nobis necessarîo concludit.

*Rationes, quæ sequuntur, iuxta eorum capitulorum ordinem ponuntur, in quibus antea declarata sunt, unde hic ordo tam pro tabula, quam pro Maiori earum elucidatione inseruire poterit.*

17. Antequam Maiores nostri, erroris re- Ex ca. 2.  
cte condènari possit, literalis quæ ipsi sensus, isque clarus admodum, atque perspicuus, proferendus esset, ex quo fidei ipsorum oppositum manifeste sequeretur.

18. Quod priusquam istiusmodi Maiorum nostrorum fidem abiurare cogamur, aliquis scripturæ locus nobis ostendendus esset, in quo Christus seipsum retraheret, dicens se nullo pacto, de corpore, aut sanguine suo loqui voluisse, neque ipsius verba sic intelligenda esse. Istiusmodi (inquam) verborum ipsius interpretatio, non ab alio, nisi ab ipso Christo proficisci deberet.

19. Cum nullum omnino expressum Dei verbum habeamus, quod signa, figuras, aut effectum tantummodo corporis Christi, in sacramento nostro esse dicat, magna profecto leuitas esset, hoc ita esse, absque villo penitus Dei verbo, tam facile credere.

20. Ruinosum nimis fidei nostræ fundamentum foret, si super hæreticorum, aut incredulorum hominum cõiecturas extrueretur. Aduersarij autem dicentes, nos signa, & figuras tantummodo in sacramento nostro habere, non aliunde, quam ex cõiecturis, ac diuinationibus suis id cõprobant, ergo &c.

Ff 4 21. Nullus

Rom. 14.

*Ex cap. 3.* 21. Nullus fidei nostræ articulus super alio, quam super literali verbi Dei sensu fundari potest, sed nullus est literalis verbi Dei sensus, qui (est) pro (significat) aut (corpus) pro (figura) vel effectu corporis accipiendum esse dicat, ergo: Propositio maior, suo loco, & capite pluribus testimonijs, ac rationibus comprobata est.

22. Omnia Dei verba, quibus aliquis fidei articulus, aut ea, quæ ad sacramenta spectant, publicantur, ac promulgantur, literaliter intelligenda sunt, ita ut nullum ad figuras, aut spiritualitatē, refugium haberi debeat, &c.

23. Ecclesia Manichæos, & Marcionistas recte condemnauit, quod in hoc fidei verbo (Verbum caro factum est) vocem carnis, per figuram exposuerint, eadem igitur ratione Berengarium ut hæreticum iure condemnat, quod in hoc quoque fidei verbo, Caro mea verè est cibus, &c. vocem carnis, & sanguinis, pro illorum signo, & figura exponit.

*Ex ca. 4.* 24. Attente considerandum est, controuersiam nostram, non in ipsa scriptura, sed in eius sensu consistere. Hoc est, cum Christus diceret, Hoc est corpus meum, num id affirmare an negare, seu an oppositum eius, quod ipsius verba sonabant, nempe, Hoc non est corpus meum, dicere vellet?

25. Considerandum est, aduersarium, propositionem negatiuam, ac verbo DEI directe oppositam defendere, nos autem affirmatiuam. Siquidem si ille paulo fortius vrgatur, ut alterutram contradictoriarum eligat, negatiuam haud dubie eliget, quæ id quod Christus discipulis, in cœna exhibuit, corpus suum non fuisse dicit.

*Ex ca. 5.*

26. Quod absurdissimum est, ut per (Hoc est) intelligatur, Hoc non est, quo fit, ut aduersarius, Hoc est Christi, per Hoc non est hominis interpretetur.

27. Meridiana luce clarius est, Christum nunquam dixisse, Hoc non est corpus meum, sed è diuerso potius, Hoc est corpus meum, Ingens proinde temeritas fuerit, oppositum eius, quod ipse dixit, pro Dei verbo suscipere.

28. Inaudita quædam, ac omnium longe impudentissima arrogancia est, ut pro noua aliqua religione erigenda, quæ dicit, Hoc non est Domini corpus, propo-

sitio affirmatiua ei directe opposita assumatur, quæ dicit, Hoc est eius corpus, Nā cum nullum Dei verbum dicat, Hoc non est corpus meum, oportet, ut aduersarius nouellam doctrinam suam, super hoc Dei verbo stabiliat, Hoc est corpus meum, Atqui hæc sane consideratio tantum apud me valet, ut aduersariorum temeritatem satis demirari nequeam.

*Rationes, quæ sequuntur, promissoria sacramenti nostri verba literaliter, absque tropo, aut figura vlla, de vero Christi corpore, ac vero eius sanguine exponi debere comprobant.*

*Ex ca. 6.*

29. Ad istud comprobandum, efficax argumentum inde colligitur, quod ex Euangelio Ioannis liquido constat, totum CHRISTI studium, atque eius mentem fuisse, cum carnem suam, in cibum polliceretur, ut ostenderet, cibum illum, quem promittebat, omnibus alijs, quos vnquam antea homines à Deo, siue per Moysen, siue immediate per seipsum accepissent, multo excellentiorem esse. Ex quo plane necessariò colligitur, ipsum, neque de signis, aut figuris (quæ vetus ille populus, per Moysen acceperat) neque de pane, aut vino communi, quorum neutrum Mosaisco manna comparari potest, sed de suo corpore, ac sanguine locutum fuisse.

*Ex ca. 7.*

30. Considerandum esse, Christum hic de re creditu, atque intellectu admodum difficili loqui voluisse, quando quidem priusquam de ea loqueretur, stupèdum quoddam miraculum facere voluerit, per quod auditores suos prepararet, ac idoneos redderet, ut miranda illa mysteria, quæ de hac re, quam eis dicturus erat, & digne audirent, & pie crederent, tum vero ut infinitæ potentia suæ experimentum aliquod eis praberet. Sic est autem, ut si de pane, vino, umbris, aut figuris, sermo habeatur, nullo opus sit miraculo, ad confirmandam de huiuscemodi rebus, doctrinam, &c.

31. Quemadmodum in miraculo quinque panum, posteaquam quinque milia hominum satiati fuerint, plus duodecies panum, quàm antea erat, superfuit, ita postquam omnes fideles toto terrarum orbe diffusi, precioso CHRISTI corpore, & sanguine, miraculose satiati fuerint, tantum semper remanet, quantum vnquam

vnquam fuit, quia corpus illud nunquam consumitur.

*Ex ca. 8.*

32. Ex eo, quod hæc Christi verba promissoria sint, euident argumentum colligitur, ipsum neque de signis, neque de figuris corporis sui locutum fuisse. Nunquam enim Deus ea, tãquam noua promittit, quæ antea habebantur. Sed iam olim multa corporis, ac sanguinis Christi signa, figuræ, fides, & alia id genus habebantur. Sequitur proinde, ipsum nunc illorum veritatem promittere.

33. Deus nunquam rem aliquam, longo ante tempore, quam illam exhibeat, promittere consuevit, nisi tum demum, cum excellens, atque magnum aliquod donum hominibus pollicetur: signa autem & figuræ, huiusmodi dona non sunt, ut ad ea digne suscipienda homines multo ante tempore, promissionibus præparandi esse videantur. Ipse igitur alia quæpiam de re loquitur.

*Ex ca. 9.*

34. CHRISTVS octo quædam magni ponderis, cibi huius Epitheta, ac veluti dignitates enumerat, quæ nobis totidem argumenta suppeditant: Primò enim ait, cibum hunc coelestem esse, atque coelitus descendere, at vero neque cibus cœmunis, neque Domini corporis signa, aut figuræ, coelestia sunt, sed terrestria; ergo &c.

35. Deinde vero cibus iste, quem pollicetur, viuus est, aut viuens, Ego sum (inquit) panis, viuus, signa autem, figuræ, & panis communis res mortua, vitæque expertes sunt.

36. Ad hæc, cibus iste viuificans est, ac effectu ipso vitam æternam conferens, signa autem figuræ, & panis terrenus tam nobilem effectum non habent, utpote quæ nec temporalem quidem vitam conferre possint.

37. Præterea, cibus hic à Deo patre hominibus preparatus est, caterum à tam eximio, atque præclaro artifice, cum ipse aliquid peculiariter operatur, non nisi magnum quiddam expectari debet, verum signa, & figuræ ex Moyse officina, & panis communis ab ipso pistore prodierunt: Non igitur de istis sermonem hic haberi credendum est.

38. Adde, quod & panis iste, secum vitæ æternæ, ac gloriosæ corporum resurrectionis illorum, qui digne illum susceperint, promissionem adnexam

habeat, huiusmodi autem promissio nunquam signis, figuris, pani, aut vino communi connexa fuit.

39. Insuper mors æterna eis intètatur, qui cibum hunc coelestem non comederint, at de nullo alio cibo huiusmodi comminatio facta vnquam fuisse legitur.

40. Denique cibus iste, manna longe excellentior est, nullus est autem purus panis, nullaque signa, aut figuræ sunt, quæ manna dignitate superent.

41. Postremo, cibus iste realiter nos Christo, & Christum nobis vnit, & copulat, id autem neque signa, neque figuræ vllæ, neque purus denique panis efficere possunt.

42. Hæc, atque alia huiusmodi Epitheta, circumstantiæ, prærogatiuæ, quas Christus, de pane, ac cibo illo, quem pollicebatur, dixit, tanti ponderis, tantæque persuasionis hætenus apud omnes fuerunt, ut per mille annorum spatia nullus hæreticus ad eò audax, temerarius, impudens fuerit, qui ipsum de alio aliquo cibo, nisi de proprio corpore & sanguine suo, quibus solis proprietates iste optime contueniant, locutum fuisse, affirmare ausus fuerit. Nam discrimen illud, quod ipse inter signa, figuras, panem communem, & cibum hunc, quem pollicetur, ad eò magnum, atque perspicuum est, ut ad Berengarij vsque tempora nemo prorsus, ipsum de signis, aut pane terreno locutum fuisse, dicere ausus sit.

43. Quod diligens earum rerum, quæ de cibo isto tam sublimiter dicuntur, consideratio, præsertim, quod æterna hominū mors, aut vita, ex eius, aut sumptione aut fastidio pendeat, vnumquæque monere debeat, ut nemini, præterquam ei soli, qui illum promissit, quidnā hoc sit, facile credat.

44. Quod Christus nunquam illa voce (ego) vltus sit, nisi ut suam ipsius personam, (quæ est vocis huius genuina significatio) designaret. Proinde cum diceret, Ego sum panis viuus, non sui aliquam partem, sed seipsum ex integro, ac in propria persona dicere volebat, qui coelestis ille cibus esset.

45. Quod Christus, ne quisquam putaret, eum de sola diuinitate, aut spiritu suo loqui, cum diceret, Ego sum panis viuus, postea

postea etiam de propria carne sua loqui voluerit, ut sic certo nobis persuaderet, non solum ipsius spiritum, sed & suam quoque carnem in cibum nobis esse sumendam.

Ex ca. 13.

46. Quoties Christus voce hac (panis) in ista promissione sua usus est, semper Epitheton illud (vini) subaudiendum est. Ac propterea, cum diceret, Et panis vini, quem ego dabo, caro mea est, prepediuit, quo minus ista verba, de vlla alia re, nisi de propria carne sua intelligi valeant. Neque enim illa verba, vlllo pacto perverti possent, dicendo: Et panis, vini significat, vel signum, aut figura carnis meae est.

Ex ca. 14.

47. Quoniam Iudaei auditis illis verbis non disputarunt, an de carne sua locutus fuisset necne, sed tatummodo, an posset carnem suam hominibus manducandam dare, haud difficulter intelligi potest, literalem illorum verborum sensum esse de reali corporis sui manducatione, &c.

Ex ca. 16.

48. Cum nec ipse quidem angelus, rationem aliam, ad illud quomodo, quod beata virgo, Dei verbo opposuit, quam ipsius Dei omnipotentiam adsignare ausus fuerit, nec proinde homines aliam meliorem se adsignare posse, existimare debent.

Ex ca. 17.

49. Si errori deputandum fuisset, credere, ipsum de carne, & sanguine suo fuisse locutum, istiusmodi intelligentiam Iudaeis ademisset, ne tempus suum, ea in re, de qua ipse locutus non fuisset, diu multumque disputando contererent.

50. Quod scriptura nunquam voce illa (caro filij hominis) nisi ad Christi carnem significandam, vtratur.

51. Quod res absurdissima fuerit, ut voce (carnis) CHRISTI spiritus aut aliquid huiusmodi designetur, praesertim cum scriptura, duo illa, tanquam inter se maxime repugnantia, semper opponat.

Ex ca. 18.

52. CHRISTVS carnem suam nobis manducandam pollicens, atq; Iudaeorum altercationibus respondens, iureiurando usus est: Caterum omne Iureiurandum ideo fit (teste Paulo) ut dubijs, altercationibus, controuersijs, finis vltimus imponatur. Proinde cum Deus de carne sua manducanda, & sanguine bibendo cum Iureiurando locutus sit, homines

de corporis, & sanguinis sui, in Eucharistia sacramento, veritate disputare, aut dubitare turpe est.

53. Quod cuiuslibet iuramenti verba literaliter absq; sensu vlllo mystico, aut figurato exponenda sunt. Alioqui nullus vnquam controuersiarum inter homines per huiusmodi Iureiurandū, quod ambigui sensus foret, finis adhiberi posset.

54. Quod Iureiurandū ideo fiat, ut maior de rebus promissis securitas capiatur, sed ex verbis ambigui, atque mystici sensus, nulla maior securitas accipi potest, ea igitur literaliter exponenda sunt.

55. Iureiurandum illud, quod fit de rebus vilibus, nullius ponderis, aut facile credibilibus, inutile, ac vanum est, Christi igitur Iureiurandum inane, ac vanum fuisset, si non nisi de corporis, & sanguinis sui figuris, & signis, aut de pane, ac vino communi nobis exhibendis locutus fuisset, quandoquidem ea nullo sane pacto tam digna sunt, neque quod ijs vti oporteat, tam difficile est creditu, ut ea cum iureiurando promittenda videantur.

56. Illa iuramenti verba, quae non propter nostram, sed propter proximi securitatem dicuntur, conformiter ad id de quo proximus noster dubitat, interpretari debent, sicuti iura docent. Iudaei autem non de spiritali carnis CHRISTI manducatione, neque de eius signis, aut figuris sumendis, (hanc hac de re nulla apud eos fuisset fidei difficultas) sed de reali carnis suae manducatione haesitabant, disputabant, altercabantur. De hac igitur, & non de alia, Christi verba intelligi debent. Ista autem quae ex iuramenti usu accipiuntur, rationes admodum validae sunt.

57. Quod terribilis illa sempiternae mortis comminatio, quam Christus ijs, qui corpus, & sanguinem suum accipere recusauerint, comminatur, ipsius verba literaliter, absq; vlla omnino figurarum ambiguitate exponenda esse, necessario concludat, ut sic nimirum quisq; facile atque certo intelligat, quidnam agendo, tam grāde periculum euitare debeat. Alioqui enim ingens molestia, magnūque tedium ijs ingereretur, qui donum illud consequi cuperēt, si medium, quo illud acquiri valeat, ex quorundam figuratorum verborum ambiguitatibus excogitandum foret.

58. Quod

58. Quod quemadmodum verba illa, quibus Deus sub mortis comminatione, primo parenti Adae prohibuerat, ne de fructu ligni vetiti comederet, literaliter, exponi debent, sic & ea, quibus ijs comminatur, qui de fructu vitae, quem ipse in alterius remedium instituit, manducare noluerint, literaliter quoque interpretanda sunt.

59. Quod quemadmodum illa verba, quae mortiferi pomi comestionem prohibebant, de reali pariter, ac spiritali manducatione intelligenda sunt, sic & illa, quae vitae fructum, in pomi illius antidotum manducare praecipiant, de reali quoque manducatione intelligi debeant.

60. Quemadmodum si Adam spiritaliter tantummodo, ac per fidem fructum illum comidisset, non fuisset corporaliter mortuus, sic nec eius filij vitam recuperabunt, si spiritaliter solummodo, & per fidem CHRISTI corpus acceperint.

61. Quemadmodum Adam fructum illum realiter, atque spiritaliter comedendo duplicem mortem incurrit, ita ut & nos duplicem vitam beatam recuperemus, corporaliter, atque spiritaliter, vitae fructum recipiamus, necesse est.

62. Quemadmodum illa minae, quibus CHRISTVS in eos qui baptismum non receperint, usus est, non de spiritali tantummodo, verum etiam de reali, & corporco baptismo intelligenda sunt, ita & minae hic factae de reali manducatione accipi debent.

Ex ca. 20.

63. Cum singulare aliquod hominibus donum ea conditione promittitur, ut aliquid agant, quo illud obtineant, si is, qui loquitur, illud dare cupiat, atque clare de medio ipso, quo illud acquiri potest, atq; de doni illius precio ac magnitudine loquitur; Hic autem Christus clare, ac discrete de vita aeterna loquitur, ac medium quo illa recuperari possit, corpus tuum manducare, esse dicit, sequitur proinde eius verba absq; vlla figurarum, aut sensus mystici ambiguitate intelligi oportere. Alioqui enim ingens molestia, magnūque tedium ijs ingereretur, qui donum illud consequi cuperēt, si medium, quo illud acquiri valeat, ex quorundam figuratorum verborum ambiguitatibus excogitandum foret.

Ex ca. 21.

64. Quod vox illa (verè) qua Christus

usus est, de ea re dici non potest, quae alicubi per fidem, per signum, per figuram, aut per similitudinem tantum existit; sed de ea solū, quae realiter, ac de facto est, & quod nusquam in tota scriptura dictio ista (verè) aliter, quam pro realiter, & pro contrario ei, quod est ficte, aut per fidem, aut per figuram usurpatur.

65. Quod si Christus, se verè vineam Noc, aut solem hunc, qui caelo fixus est, esse dixisset, ipsum non immerito forsitan verè vineam esse credi potuisset; & quod non idem sit dicere: Ego sum vitis vera, & Ego verè sum vitis: Nam si ipse dixisset, Ego verè sum vitis, perinde esset, ac si realiter se vitè esse pronūciasset.

Ex ca. 22.

66. Quod ex dictione (enim) quae aut coniunctio causalis, aut affirmadi aduerbium est, infallibile quoddam argumentum colligi possit. Nam si prius dictorum rationem reddat, eorum quaedam expositio, atque illius mortis aeternae comminationis aetologia est: Si vero affirmandi aduerbium fuerit, idem valet, ac verè, ita realem eius, quod dictum est, veritatem magis affirmat.

67. Ipse quoque modus, quo Christus sententiarum vnā, alteri scire connectit, certissimū veritatis fidei nostrae argumentū suppeditat: Nam videns Iudaeos, atque discipulos suos, verba sua, de reali manducatione intellexisse, huiusmodi intelligentiam eis non adimit, sed in ea ipsos magis confirmat, mortem sempiternam eis comminando, si cibum, quē ipse eis pollicebatur, accipere recusauerint, vitamque aeternam eis pollicendo; si illum sumere voluerint, dicens, carnem suam verè cibum, & sanguinem suū verè potum esse.

Ex ca. 23.

67. Quisquis eximiam Christi pietatē, ac singularem zelum quo omnes ad veritatis cognitionē, ac salutis portum peruenire cupiebat, diligenter secum expēderit, facile etiā credet, ipsum noluisse, Iudaeos illos, neque discipulos suos clarius, quam à principio, de carne sua manducanda loquendo, in maiorem errorem praecipitare, si error, aut haeresis fuisset; credere, ipsum tunc de carne sua locutum fuisse.

68. Quēadmodū Christus animaduertens, Nicodemum, stultam primorum verborum suorum, quae ipse ei de baptismi regeneratione dixerat, intelligentiam, atque

atque errorem concepisse, cōtinuē cum reprehendit, ac ei exponens, quemadmodum huiusmodi regeneratio fieri debebat, errorem illum ei ademit, sic & in hac materia, quæ nō minoris ponderis, quā illa est fecisset, si errori deputandum fuisset, credere, quod ipse de carne, & sanguine suo loqueretur: Id quod minime tamen fecit, tametsi vnam, ac eandem rem sæpenumero replicauerit. Ex quibus infero, ipsum non de vlla alia re, nisi de propria carne, proprioque sanguine suo, se loqui voluisse intelligi.

*Exca. 24.* 69. Quod nullus penitus scripturæ locus absque corruptiōe, aduersariorum manus effugere poterit, si ita eis permittatur, vt qui pro quod, est, pro non est, vel significat, aut corpus pro vmbra, figura pro veritate, signum pro re significata, spiritus pro carne, hoc est, mus pro monte, aut culex pro elephante accipiantur.

70. Quod habita tali licentia, qua sic Dei verbum immutari posset, vt erroribus nostris cōformetur, tot errores, qui nullo modo p scripturam reuinci queant, quod quisque excogitare vellet defendi possunt.

*Exca. 25.* 71. Quod incredibilis illa amoris magnitudo, qua CHRISTVS homines complectitur, eum desiderare faciat, vt quàm perfectissima fieri possit, vnione, quæ profecto realis, pariter ac spiritualis est, eis vniantur.

72. Quod veri ipsius CHRISTI amici, spirituali ipsius præsentia, nisi & corporalem quoque habeant, contenti nō sint, quemadmodum de Symeone patet, qui Christum priusquam moreretur, inter brachia complecti, magnopere optabat, sic sane & pius quisque Christianus, priusquam moriatur, corpoream CHRISTI præsentiam sub Eucharistiæ sacramento habere desiderat.

*Exca. 26.* 73. Quod absurdissima, ac valde extorta sit illa interpretatio, qua dicitur, CHRISTVM ijs verbis, quibus carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum dicit, nihil aliud, quam vt homines in se crederent, incitare voluisse.

74. Quemadmodum verba illa, quibus Moyses agni paschalis carnes comedi præcipiebat, ad literam, & absque figura vlla exponi debet, ita & secundi Moysis

verba, quibus noui agni manducatione instituit, simili vtique modo interpretanda sunt.

75. Quod nunquam CHRISTVS, vocibus illis, bibere, & manducare, in sensu figurato, aut mystico vsus sit, quin aut ipse, aut Euangelistarum quispiam, quo in sensu ipse illas acciperet, exposuerit. Idem igitur etiam hic fecisset, si eas aliter, quàm in natia significatione accepisset.

*Exca. 27.* 76. Cùm voces istæ, manducare, & credere, non nisi ad vnam rem proprie significandam destinatae sint, neque etiam æquinoca nisi per Analogiam tantum esse possint, semper ad rigorem, pro significata principali, qui actionem realem, & non spiritualement denotat, accipi debent.

77. Quod nemo efficaci vlla ratione docere posset, nos voces illas, aliter, quàm iuxta literam interpretari debere.

78. Quemadmodum illius, qui mille coronatos se habere credit, falsa est fides, nisi eos realiter habeat, sic & ille, qui rem aliquam realiter absentem, se verè manducare credit, falsam fidem habet.

79. Quod illud Augustini verbum: Crede & manducaisti, sic intelligi debeat, vt realis Domini corporis in Eucharistiæ sacramento præsentia credatur. Alioquin enim Axioma quàm maxime inopinabile esset, dicere, CHRISTI corpus verè comedi, credendo ipsum vera in sacramento non esse.

*Exca. 28.* 80. Quemadmodum Apostoli de reali corporis CHRISTI præsentia dubitarunt, cum ad eos clausis ianuis intraret, sed cùm ipsam dicentem audirent, Ego sum, de rei veritate confirmati fuerunt: sic & illi, qui de reali eius in hoc sacramento præsentia hæsitant, eo quod ipsum non videant, per id de rei veritate confirmari debent, quod ipsum dicentē audiant, Hoc est corpus meum, & Ego sum panis viuus qui de celo, &c.

*Exca. 29.* 81. Cùm sacramentum istud nō parum ab alijs disceperet, singulare aliquid in eo circa CHRISTI corpus, quod in alijs non fiat, omnino fieri necesse est, quicquid autem in isto spiritualiter fit, in alijs quoque peragitur, vt pote in quibus, non secus atque in isto, corporis Christi effectus recipiantur, ipse igitur in hoc realiter præsens est.

82. Cùm

*Exca. 32.* 82. Cum nulla comparatio inter ea, quæ omnino eadem sunt, fieri possit, cūque CHRISTVS id quod Iudæi olim habuere, cum solo cibo conferat, quem nobis promittit, consequens est, nullo pacto idem esse posse, quod illi iam olim in manna suo habuerunt, & quod nobis sub Eucharistiæ sacramento, administratur.

*Exca. 34.* 83. Christus modum illum, quoad corporis sui immortalitatem peruenit, per illam scilicet vnionem, quam cum diuinitate sortitus est, cum illo modo conferens, quo & nos ad similem immortalitatem pertingere possumus, per eam nempe vnionem, quam cum carne sua, in hoc sacramento consequimur, abunde satis ostendit, se de reali vnione locutum fuisse. Perlege integrum illud caput.

*Exca. 35.* 84. Christus istis verbis. Non sicut manducauerunt patres vestri manna & car. discrimen constituit, non solum inter cibum illum, quem Iudæi quondam in Mosaisco manna habuerant, & inter eum, quem ipse eis pollicebatur, verum etiam inter varios vtriusque cibi huius effectus, ac diuersum manducandi modum: Vnde necessariò concluditur, Iudæos neque idem Domini corpus, neque pares eius effectus, neque eandem, quam nos, manducationem habuisse.

*Exca. 36.* 85. Illa frequens de carne sua manducanda repetitio, absque vlla penitus signorum, aut figurarum mentione satis euident testimonium est, CHRISTVM de reali manducatione, intelligendum esse.

86. Frequens eiusdem rei repetitio, inutilis, ac vana est, nisi de re quæ creditu admodum difficilis sit: difficile autem credere non fuerit. Christum nobis, carnis suæ signa, & figuras manducandas exhibere.

87. Repetitio, ardens, eius quod loquitur desiderium ostendit, quo nimirum sic plane intelligi atque etiam credi cupit, quemadmodum loquitur; serid igitur ponderet, studiosus Lector, Christum non semel, sed sæpius de carne sua manducanda repetuisse sermonem, vt cùm diceret, Panis, quæ ego dabo caromea est, & nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Item. Qui manducat carnem meam, ha-

bet vitam æternam, & Caro mea verè est cibus. Qui manducat carnem meam, in memanet, & ego in eo. En quoties de carne sua continue locutus est. Putasne eum toties de carne sua manducanda loquuturum fuisse, nisi de ea realiter omnino locutus voluisset intelligi.

88. Quod hæc repetitio non modò vana, inutilis, ac otiosa fuisset, verum etiam perniciose admodum esset, quippe quæ tam multis eximia pietatis viris, erroris fomitem subministrasset, nisi eo plane modo, quo ipsius verba toties repetita significabant, voluisset intelligi. Argumenta hæc admodum valida sunt, ac talia plane, vt cuiilibet, qui dictas repetitiones diligenter secum expendit, vt quemadmodum patres nostri, credat, facile persuadeant.

*Exca. 37.* 89. Qui Christo toties eadem verba reperenti, fidem adhibere nolunt, nullam peccati sui excusationem iustam habere possunt, quòd sit, vt sic magno se periculo exponunt.

90. Quod illi, qui huiusmodi DEI verbis toties repetitis simpliciter credunt extra omne reprehensionis, ac punitionis periculum existant, tametsi etiam sic eos errare contingeret, eo, quod Deus ipsos propter bonam, atque promptam credendi, obediendique voluntatem excusatos haberet.

91. Existimandum non esse, filium Dei ita nominatim cælitus descendisse, vt huiusmodi mysteria nobis exponeret, nisi cognouisset, sic de ipsis & loquendum, & credendum fuisse. Peregrinatio siquidem tam longa atque diuturna non ideo suscepta est, vt vna, atque eadem res toties in vanum, contra ipsius loquentis mentem repeteretur.

*Solida ratio.* 92. Axioma valde paradoxum esse, quod filius DEI sex aut septem enunciationibus, mundo promulgare voluisset, cibum illum, quem promittebat, carnem suam non esse, quibus tamen propositionibus, carnem suam, quam pollicebatur, in rei veritate esse asseuerabat. Hoc vsque adeo absurdum mihi videtur, vt in mentem inducere, nullo modo possim.

93. Quod contra omnem plane rationem sit, dicere nos debere credere Christi

G g car-





onc? Ratio hæc abüde in textu declarata est.

130. Diligenter animaduertendum est, Christū, de priori calice nō dixisse, quē admodum de posteriori, sanguinem suū esse, id quod non recte profecto fecisset, si quemadmodū in priori, sic nec in posteriori sanguis non fuisset.

131. Quod protestatio illa, quam fecit Christus, posteaquam ex priori calice bibisset, dicens se nō amplius vinū bibiturum, ac postea tamen de posteriori calice bibit, satis denotet, in posteriori hoc calice, non vinum, sed sanguinem tantum fuisse. Quod sane argumentum, ad transsubstantiationem comprobendam valet plurimum.

132. Quod dicens se nouum, in regno Dei bibiturum, id quod in posteriori calice biberat, satis insinuet, nihil in eo, præter sanguinem suum fuisse: Neque enim vinum, post resurrectionem suam renouauit, vt illud nouum, cum discipulis biberet, sed suum tantummodo sanguinem, qui post suam resurrectionem omnino innouatum fuit.

133. Quod Dei verbum, Deique affirmatio, rerum naturas transmutet, vt omnipotenti ipsius verbo obediant: Hinc itaque consequens est, cum CHR ISTVS diceret, Hoc est corpus meum, panis naturam in ipsius corpus esse conuersam, vt sic ipsius verbi veritas constaret.

*Exca. 49* 134. Quod nunquam Christus vllum alium panem nisi istum, corpus suū esse pronunciauerit.

135. Quod in quinque panum miraculo, tametsi cum gratiarum actione eos panes benedixerit, nunquam tamen idcirco illos corpus suum appellauerit.

136. Quod tametsi singulis annis, azy-mos panes, atque agnum paschalē (quæ corporis sui signa ac typi erant) comederet, numquam tamen ea corpus suum esse dixerit.

137. Quod neque Moyses, neque vlli vnquam Prophetæ, veteris legis signa, umbras, & figuras, Christi corpus appellauerint.

138. Si Christus Apostolis corpus suū dare non intendisset, illis dicere suffecerat, Accipite & manducate, non addendo, Hoc est corpus meum.

139. Quod hoc rationi omnino consonum sit, vt tantum Deo nostro hono-

ris deferamus, vt hac saltem vice ei fidem adhibeam⁹, cum nec ante, nec post vnquam, de villo pane dixerit, esse corpus suum.

140. Quod ex Pronominis illius de- *Exca. 51* monstratiui, Hoc, vsu, admodum vrgēs pro fide nostra confirmanda argumentum colligatur, euolue totum caput.

141. Cum Paulus asserat, Dei (est) semper, pro est, & nunquam pro non est debere accipi, nam in Deo (inquit) non est (est) & (non est) sed est tantum, hinc fit, vt in istis, Hoc est corpus meum, illud (est) non nisi pro esse accipi debeat. Quō fit, vt Berengarij interpretatio, qui exponit, Hoc est, per Hoc non est, sed significat corpus meum, merito rejiciatur. Argumentum hoc optimum est.

142. Quod C H R I S T V S corporis *Exca. 53* nomine, nunquam pro signo corporis *Coll. 1.* vsus sit, nec illud vnquam Apostoli in sensu mystico vsurparūt, quin illud statim exponerent, quemadmodum egit Paulus, cum illud pro Ecclesia sumeret.

143. Quēadmodū Moysis verba, quibus *Exca. 50.* Iudæis quæ rentibus, Quid est hoc, respondit, cibum esse, quem eis Dominus mitterebat, literaliter, & absque figura vlla accipi debent, sic & Moysis nostri verba, quibus nobis explicat, Quid est hoc, dicens, Hoc est corpus meum, literaliter quoque exponenda sunt.

144. Quemadmodum vetus ille Israeliticus populus, simpliciter Moyti suo, quisnam ille cibus esset declaranti credidit, ita & nouus Israel Redēptori suo simpliciter fidem adhibere debet, eam ei explicat, quisnam sit ille cibus, quem nobis manducandum porrigit.

145. Cum mortalium quisquā mēsa allicuius p̄diuitis accubuerit, si cibus quispiā sibi ignotus offeratur, & is à quo inuitatus est, vir probus fuerit, ac talem, aut talem cibum illū esse dixerit, statim simpliciter ei crederet: Quāto igitur magis, cū Domini Dominorum mensæ accumbimus, hoc idē facere debemus? Imò quāto maiorem ei honorē, fidē, reuerentiā, quam vlli mortalium Regum deferre debemus? At qui hæc sane ratio D. Augusti ni auctoritate solide munitur, cū huic, proposito, illud, quod Pro. 23. scriptū est, applicat: Quādo sederis (inquit Sapiēs) vt comedas cum principe, diligenter attēde, q̄

*Tract. 84*  
*in Ioannē*  
posita

posita sunt ante faciem tuam. Quæ est hæc (inquit ille) Principis mensa, nisi illa, vnde eius corpus, & sanguis sumitur, qui animā suam, pro nobis posuit? *Exca. 54* 146. In hoc capite valida admodum ratio ponitur, ex vsu pronominis meū desumpta.

*Exca. 55* 147. Hoc etiam capite, ex vsu relatiui (quod) efficacissimum pro Maiorum nostrorum fide stabienda argumentum colligitur.

148. Quod nulla commodior sit, tollendæ æquiuocationis ratio, quàm vt relatiuo vtamur: Id quod Christus hic egregie fecit, Vnde si quis hic erret, sua ipsius culpa errat.

149. Si mortaliū quisquā alia in re, sic de corpore suo, quemadmodū Christus hic de suo, locutus fuisset, nulla, vt ei crederetur, fieret difficultas. Verbi gratia; si hominum quisquam testamentum tuū condens, statueret, vt corpus suū, (quod esca vermium erit) terræ mandaretur, nemo prorsus, qui huiuscemodi verba legeret, cum de reali corpore suo locutū fuisse dubitaret: Hic autem nemo ipsius filij Dei verbis tantum deserre vult, vt eum de proprio, ac naturali corpore suo locutum fuisse credat.

150. Quod vsque adeo clara sit illa loquendi ratio, quam C H R I S T V S cum de corpore suo loqueretur, obseruauit, vt aliter ipsius verba (tametsi nullus ante me Doctorum, sic ea exposuisset) quā de proprio, ac naturali ipsius corpore intelligere possim.

151. Si antequam exorti fuissent heretici, vniuersalis Ecclesia Christū hic de corpore suo, realiter minime locutum fuisse credidisset, mihi dubium non fit, quin Berengarius huiusmodi verba legēs, Ecclesiæ sententiā oppugnasset. Nā qui his Christi verbis, Hoc est corpus meum, probare voluit, ipsius corpus non esse, quāto audacius per eadem verba, ipsius corpus esse asseruisset, si hoc vt assereret, ita ei in mentem venisset?

*Exca. 56* 152. Quod optima verborū cœnæ interpretatio sit verborū promissōriorum, ad illa applicatio, verbū futuri temporis, in præsens tempus cōmutando. Quæ res tā conformem ad Maiorū nostrorum fidem, verbis illis expositionē adfert, vt vix vlla vnquā clarior inueniri queat. Nota diligenter argumentum hoc, ac totū caput

istud euolue; quia necessariō pro nobis concludit.

153. Quod & difficultas illā, qua fidei nostræ ratio, non nisi cum labore intelligi possit, & facilitas, qua oppositæ hæreses, absq; negotio villo addiscuntur, diligenter consideranda sint, vt sic commodius de tota hac causa, maxime vero de trās-substantiatione iudicari possit. Quæ intellectu minime difficilis est, nisi ijs, qui Grāmaticæ, at; dialecticæ imperiti sunt, sine quarum peritia, literalis horum verborum, Hoc est corpus meum, sensus recte intelligi non potest.

154. Cum verba ista, Hoc est corpus meum, literaliter exponenda esse ostenderimus, transsubstantiationem admittendā esse consequēs est, quia nullum in tota illa sententia verbum est, quod panis substantiam demonstrare possit.

155. Ex naturali verborum illorū significandi ratione omnino impossibile esse ostenditur, vt illud pronomen, Hoc, panis substantiam significet.

156. Ex primo illo principio, de quolibet affirmatio, vel negatio, & de nullo ambq; simul, aut transsubstantiationē admittendam, aut concedendum duas cōtradictorias simul veras esse mōstratur,

157. Qui dicunt, Pronomen, hoc, panē demonstrare, ij transsubstantiationē admittente, vt expositionem suam verā esse ostendant, aut certe duo eiusdem rei cōtradictoria confiteri coguntur.

158. Quoniā nihil inter fidei nostræ articulos collocandum est, nisi quod ex pressio Dei verbo tanquam ex fonte hauritur, & quoniā nulla nisi corporis Christi substantia, his verbis, Hoc est corpus meum, demonstratur, nullam sane aliā, in nostro sacramēto, nisi Christi corporis substantiam esse credendum est. Argumenti huius elucidationem legat ibi copiosius studiosus Lector, ac sibi plene satisfactum inueniet.

159. Quod falsum sit, asserere, vocē hæc (Transsubstantiatio) excogitatam esse, vt noua aliqua mundo fides inuehatur. Si quidem nō ob aliud ea nobis proposita est, quàm vt clari⁹ vera Antiquorū de hoc sacramento fides declaretur.

160. Cum nullus clarus scripturæ locus sit, qui fidei Maiorum nostrorum repugnet, necessaria omnino aliquot argumenta proferēda essent, quæ per necessa-

riam consequentiam, ex ipso Dei verbo crucerentur, vt sicilli erroris conuinci possent. Verum omnia aduersariorum argumenta, quæ ipsi ad eum finem excogitant, sophistica esse, nec quicquam necessario concludere, ostendimus. Magna proinde temeritas, atque nephanda iniquitas foret, Maiores nostros ita temere leuiter que damnare.

161. Nulla religio super alio, quam super literali scripturæ sensu fundari potest. Nam super hominum coniecturis, aut super mystici sensus incerto, nullus fidei articulus stare potest, idque ideo, quod cum fides, certa sit rerum ad salutem necessariarum cognitio, certum quoque, ac firmum requirat fundamentum, quod præter literalem verbi Dei sensum, nullum aliud esse possit. At vero certum est, in tota scriptura, verba hæc, Hoc est signum, figura, aut effectus, corporis CHRISTI, inueniri non posse. Omnia quoque argumenta, quæ aduersarij fingunt, vt hæc pro Dei verbis reponenda esse doceant, plane sophistica sunt, proinde consequens est, eorum religionem nullo prorsus solido fundamento nixam esse. Duo postrema hæc argumenta plane Demonstratiua sunt, quemadmodum in hoc capite vberius declaratur, ea proinde ibi perlege.

162. Quamquam aduersarius fidem suam super illam expositionem, qua (est) pro (significat) accipit, pacifice fundasset, eodem tamen modo, hæc eius expositio subrueretur, quo nostram ipse conatur euertere, huiusmodi argumentum ei obijciendo: In ista propositione, Verbum caro factum est, verbum (est) pro (significat) accipi non potest, igitur nec in ista, Hoc est corpus meum, (est) pro (significat) accipi debet. Argumentum hoc æque validum est, vt nostram interpretationem comprobemus, atque illud, quo ipsi suam comprobare nituntur.

*Exca. 61.* 163. Demonstratione necessaria probatur, quemadmodum Dei verba, super quæ fides rerum ad salutem necessariarum fundatur, literaliter exponenda sint. Lege egregium ibi ea de re tractatum.

164. Si fides literali verborum Dei sensui non inniteretur, non nisi ingens quedam confusio, ac perpetua instabilitas ac mutatio esset fides nostra: imò & scriptura sacra perniciofa nobis potius, quam

vtilis foret, quippe quæ nullam voluntatis Dei erga nos certitudinem nobis ostenderet, & non nisi dissensionis fomēta inter Christianos suggereret.

165. Si argumentum illud, quod huic sacramento obijciunt aduersarij, vt signa, & figuras suas probent, tanquam legitimum concederetur, simili plane argumento omnes alij fidei nostræ articuli subruerent, inferendo, quod in omnibus hijs propositionibus, Verbum caro factum est, CHRISTVS natus est ex virgine, crucifixus est, mortuus est, surrexit à mortuis, ascendit in cœlum, &c. Verbum, est, pro significat, accipi debeat, aut certe dicendo, omnia illa spiritaliter intelligenda esse.

166. Ostenditur, huiusmodi argumentum esse validum, cum sic atque in hac enunciatione, Verbum caro factum est, illud verbum, est, pro esse, & non pro significare accipitur, & abique figura huiusmodi propositio exponi debet, igitur & ista, Hoc est corpus meum, absque tropo, aut figura vlla exponenda erit. Si quidem illud aduersariorum argumentum longe dissimilimum est.

167. Aduersarij pro sententiæ suæ fundamento, obscuros, ambiguos, incertos verborum Dei sensus mysticos, & figuratos, hincinde mendicant. Vnde illos nullum literalem verbi Dei sensum pro religionis suæ fundamento habere, congrue demonstratur.

168. Quod tam fidei nostræ stabilitas, quam magnus ille ac vniuersalis omnium Maiorum nostrorum in ea consensus, nobis certissimo indicio sit, eam super Dei verbo directe fundari. Quippe cum huiusmodi vnio, non nisi in ea doctrina, quæ super vero, ac literali verbi Dei sensu stabilitur, inueniri queat.

169. Quod ingens illa doctrinæ aduersariorum incertitudo, atque instabilitas, magnaque, quæ inter ipsos est opinionum varietas, vt sciat, quid pro his CHRISTI verbis, corpus, caro, sanguis, reponi debeat, certissimum argumentum sit, eorum religionem nequaquam Dei verbo, sed hominum diuinationibus, atque coniecturis tantummodo inniti.

170. Si CHRISTVS in istis verbis, Hoc est corpus meum, figurate loqui voluisset, quemadmodum in istis, Ego sum vitis, expositionem aliquam, quæ ipsius

figu-

figuram, aut similitudinem explicaret, continuo subiunxisset, quemadmodum fecit, cum se videret esse dixit: Tantæ figuræ rei pondus satis exigebat, vt maiori cum cautela loqueretur.

*Exca. 65.* 171. Ex illis 31. veterum doctorum testimonijs, quos ad transubstantiationem comprobendam citauimus, huiusmodi argumentum colligitur: Omnes pene veteres illi Ecclesiæ doctores, ea Christi verba, superius à nobis exposita citant, vt panis conuersionem, in corporis Domini substantiam comprobent: hinc itaque sequitur, expositionem nostram, qua conuersionem illam, per necessariam consequentiam comprobauimus, legitimum, atque veterum illorum patrum fidei plane consonam esse.

172. Quod res admodum periculosa sit, omnium illorum veterum Doctorum, qui cum CHRISTO iam regnant, fidem contemnere, vt nescio quorum nouellorum prædicantium, imò rabularum, de quibus quidnam futurum sit, adhuc ignoratur, præsumptio recipiatur.

*Exca. 66.* 173. Aduersarij aut impudentes omnino mendaces sunt, aut antiquorum patrum fidei penitus ignari, quando quidem scriptis suis asserere audent, hanc panis in carnem CHRISTI conuersionem, antiquis illis Ecclesiæ Christianæ magistris omnino incognitam fuisse. Vnde consequens est, illorum pietatem potius, quam istorum impietatem atque perfidiam amulandam esse.

174. Quod sedulo animaduertendum sit, antiquos illos Ecclesiæ magistros, cum eorum confusa multitudo, ex Iudæis Paganis, Cathecumenis, & Philosophis congregata, de profundissimis sacramenti huius mysterijs agendum esset, ea clare, ac diserte, coram huiusmodi irrisionibus exprimere, ausos non fuisse. Quod sit, vt aduersarij obscuris quibusdam ipsorum locis sese tueri velint, vt simplicioribus illos à parte sua stare persuadeant. Verum si ad clara, & aperta ipsorum loca, superius à nobis citata recurratur, quenam vera eorum fuerit fides, atque sententia, haud difficile cognoscetur.

175. Si aduersarius controuersiam hæc, Oecumenicæ alicuius Concilij iudicio, sententiæque submittere vellet, nullum generalius, minusque suspectum Concilium inuenire possit, propterea quod

singulorum illorum patrum, qui non solum tot prouincijs, verum etiam sæculis distincti fuerunt, sententias, suffragia, incredibilemque consensum, velut in vnum Concilium suo loco congregauimus.

176. Quemadmodum in Concilio aliquo Oecumenico, propter vnus, aut alterius, qui ab alijs dissentiant, opinionem atque sententiam, communis omnium aliorum sententia non deseritur, vt vni aut alteri adhareatur, sic & in hac Doctorum collectione, vbi 31. pro transubstantiatione produximus, vniuersalis eorum consensus spernendus non est, si vnus, aut alter ab illis dissentire videatur.

177. Octingentis ab hinc annis Oecumenico Concilio declaratum est, hanc panis, in CHRISTI corpus conuersionem, in sacramento nostro fieri, vt in secundo Nicæno Concilio.

178. Nimis profecto intolerabilis nostra esset arrogantia, temeritas, audacia, si tot Ecclesiæ Magistris, atque vniuersalibus Concilij, particularem opinionem nostram anteponendam arbitrarmur.

179. Quod nos, qui Deum timemus, ac eius verbo fidem adhibemus, animaduertentes, eos, qui realem corporis Domini in Eucharistiæ sacramento præsentiam, atque panis in corpus CHRISTI conuersionem negarent, multis in Concilij anathematis sententia fuisse damnatos: neque aduersarijs adharere, neque huiusmodi fidem, quæ scripturæ sacræ, vniuersalium conciliorum sententijs, ac veterum patrum auctoritati tam cõsentanea est, deserere audeamus.

180. Primus doctrinæ sacramentariæ auctor Berengarius, sententiam suam retractauit, ac seipsum cõdemnauit, quod magno nobis argumento esse debet, illam eius plantationem, cœlestem non fuisse.

181. Nullum probationis genus, pro fidei nostræ cõfirmatione desiderari potest, quod in mediū non protulerimus. Nam si verbum Dei à nobis desideretur, illud à parte nostra consistit, si patrum, atque Conciliorum consensus, hic pro nobis facit. Si requiratur, vt aduersariorum argumenta, refutemus, nos ea funditus euertimus. Nullus proinde æquus Lector fuerit, qui pro nobis iudicandum, dicamque trans-

Gg 4 sub-

substantiationem credendam esse non sentiat.

182. Quod ista CHRISTI verba, Hic est sanguis meus novi testamenti, aperte pro nobis concludant.

183. Quod dicta verba nequaquam per ca, quæ apud Paulum habentur, nempe, Hic calix nouum testamenti est, in meo sanguine, exponi debeant, eo, quod ista illi longe obscuriora sint. Quæ autem clara sunt atque perspicua, nõ ab obscuris tenebras mutuari, sed contrà, quæ obscura sunt, à clarioribus illustrari debent.

184. Sedulò animaduertendum est, Christum non dixisse, Hic calix est nouum testamentum, sed vox (calix) atque nouum testamētum semper inter se copulantur atque iunguntur, id quod ad maiorem etiam fidei nostræ confirmationem facit. Lege totum caput.

185. Quod aduersarij, dictorum verborum vnum per aliud sic exponere non possent, vt in vnoquoq; eorum (est) pro (significat) accipiant. Id quod erroris ipsorum falsitatem egregiè detegit.

186. Cùm hæc Domini sententia, Hoc est corpus meum, literaliter exponenda sit, ista quoque, Hic est sanguis meus, eodem modo explicetur, necesse est.

Exc. 73. 187. Nihil in isto calice esse dicendum est, nisi id quod Dei verbo inesse dicitur. Verbum autem Dei nihil aliud, nisi sanguinem CHRISTI inesse pronunciat. Ergo & c. Argumentum istud ex præcipuo aduersariorum fundamento sumptum est.

Exc. 74. 188. Quod Christus priusquam vinum in sanguinem suum conuerteret, præclarum omnipotentia suæ experimentum dare voluerit, cùm aquam in vinum cõuerteret. Id quod & iam pridem fecerat, cùm vniuersas Aegypti aquas, in sanguinem commutasset. Vnde Maiores nostri eorum, qui hanc Dei omnipotentiam negarent, impietatem atq; perfidiã, merito detestantur.

Exc. 75. 189. Quemadmodum verba illa, quæ Moyses, de veteris testamenti sanguine pronunciauit, cùm diceret, Hic est sanguis, quod mandauit ad vos Deus, ad literam de eõ sanguine, quem illis calicibus infuderat, exponuntur, sic & illa omnino similia, quæ de noui testamēti sanguine Christus dixit, literaliter ita expo-

nenda sunt, vt in Dominico calice verũ sanguinem, quemadmodum & in Moisaico calice fuisse credamus.

Exc. 76. 190. Quod ista controuersia, vtrũ videlicet, in eo calice, quem Christus discipulis offerebat, dicens sanguinem suum esse, in rei veritate sanguis infuerit, ad verba promissoria recurrendo, quibus Christus sanguinem suum non sine iure iurando verè potum esse dicebat, facile nulloque negotio terminari potest. Cõsequens enim est, si Christi sanguis verè est potus, realiter illum & bibitum fuisse, & etiamnum bibi. Hæc ratio peremptoria est. Hic est nodus, qui solui non potest.

191. Quisquis Christum in coena sanguinem suum realiter nõ exhibuisse dicit, eum mendacem, atque falsum promissorem facit. Nam nisi illum verè bibendum exhibuisset, verè mentitus fuisset, dicens eum verè potum esse. Siquidẽ omnino fieri non potest, vt res aliqua verè potus sit, quæ verè, ac realiter bibi nequeat.

Exc. 77. 192. Quemadmodum in veteris testamēti dedicatione, populus sanguine realiter aspersus fuit, sic & in noui testamēti dedicatione, nouus populus realiter quoque sanguine aspergi debuit. Hæc etiam ratio admodum valida est, Eouelue totum caput.

Exc. 78. 193. Ratio cur sanguis hic realiter bibatur, est, quia vim, atque efficaciam habet, vt conscientias à peccatorum sordibus emundet; veteris autem testamenti sanguis, externas tantummodo carnis pollutiones emundandi virtutem habebat, quemadmodum ad Hebræos præclare docet Apostolus. Vnde veteris illius sanguinis aspersio externis solummodo fiebat, noui autem interioris. Vt hæc igitur interna aspersio fieri posset recte institutum est, vt sanguis iste biberetur.

Exc. 79. 194. Quemadmodum veteris testamēti liber, sanguine realiter aspersus fuit, sic vt & noui testamenti liber, (qui Christianorum corda sunt) noui testamenti sanguine realiter aspergeretur, necesse fuit. Duæ istæ rationes valde efficaces sunt, quæ & ca. 78. sufficienter probantur, & causam reddunt, cur dictum sit Apostolis, Bibite, & non, aspergite.

Exc. 80. 195. Cap. 79 tria pro fide nostra ex his verbis (accipite & bibite) argumenta sumuntur,

muntur, ac sic probationum nostrarum numerus excrecit vsque ad 198.

Exc. 80. 199. Cap. 80. perpulchra 130. rationis superius positæ exaggeratio declaratur. Quo fit, vt eam hic tanquam pro noua quadam probatione adnumeremus.

Exc. 81. 200. Insueti illa, quam Dominus in coena egit, gratiarum actio, efficit vt magnum aliquod ab ipso, circa panem, & vinum, miraculum expectem, eo quod ipsi post huiuscemodi ceremonias stupendum illud quin que panum, ac resuscitationis Lazari miraculum olim perpetrasse expertus sim.

Exc. 82. 201. Cùm benedictionis Christi virtutem attentius mecum expendo, quæ ipsas res semper in aliud esse melius commutat, satis intelligo ipsum, per hanc benedictionem suam, quæ profecto vana non fuit, vinum in sanguinem, suum conuertisse. Vnde Paulus hunc benedictionis potum appellat.

1. Cor. 10. Exc. 83. 202. Quod Pronomen, Hic, ante verbum (est) constitutum, tantisper auditores suspensos teneat, donec vox illa, quæ verbum substantiuum immediate subsequitur, pronuncietur, & hoc ideo, quia nihil solitarie positum demonstrat, sed per vocẽ illam, quæ ei additur, eius semper officium expletur. Quapropter Apostoli audientes Christum dicere, Hic est sanguis meus, de eo, quod ipse eis offerebat, certi fuerunt.

Exc. 84. 203. Quod Deus rerum nomina nunquã absque certa, atque etiam iusta ratione mutauerit, quodque nulli vnquam rei frustra nomẽ aliquod imposuerit. Quo fit, vt ipsa nominum panis & vini, in corpus & sanguinem commutatio, ipsarum quoque naturarum immutationem clare demonstrat. Elegans est hæc, ac bene approbata ratio.

Exc. 85. 204. Cùm Christo plurima iuxta humanum modum incredibilia dicẽti absque contradictione vlla creditum sit, miror, cur homines hic (cùm id quod in coena discipulis suis porrigeret, sanguinem suum esse diceret) se ad credendum difficiles reddant.

Exc. 86. 205. Quoniam de nullo alio vnquam potu, nisi de isto, sanguinem suum esse dixerit, nunc profecto absque vlla aut contradictione, aut difficultate ei credendum est, cùm ipsum nequaquam frustra hoc dixisse intelligamus.

206. Quod vox sanguis, nusquam in tota scriptura pro sanguinis vmbra, aut figura sumatur.

207. Cur cùm Diuus Lucas refert, CHRISTVM sanguinem in horto sudasse, eadem ratione ibi sanguis pro signo, aut figura sanguinis sumi non posset, qua ibi accipi volunt aduersarij, cùm diceret, id quod in calice erat, suũ sanguinem esse?

208. Si aduersarij in monte Caluarie fuissent, cùm CHRISTVS crucifigeretur, ac ipsius sanguinem, qui ibi fundebatur, quisquam esse dixisset, statim ei qui hoc dixisset, ipsi credidissent. At vero Christo talia ipsis dicenti, omnino credere nolunt. Vnde ingens eorum apparet ingratitude.

209. Quod ita plane fidelibus expediret, vt CHRISTI sanguis sic sub alienis speciebus in hoc sacramento velaretur, quodque ipsis solum Dei verbum, vt de rei veritate confirmetur, abunde sufficiat. Quantum ad aduersarios vero, impossibile fuit, vt, ne in errorem inciderent, præseruarentur: Nam etiam si CHRISTVS sanguinem suum eis ostenderet, illusionem diabolicam, oculorumque deceptionem esse dicerent: cum vero illum non vident, veridicis filij Dei verbis, qui illum ibi esse asserit, omnino credere recusant. Quo fit, vt incurabiles plane, atque intractabiles efficiantur.

Exc. 87. 210. Ex vsu huius pronominis (meus) firmiter plane eruitur argumentum, quo sanguinem hic figurate exponi non debere monstratur. Nam istud Pronomen (meus) sic vocis illius, sanguis, generalitatem restringit, vt non nisi illius, qui loquitur, sanguinem denotare possit: Quapropter nunquam metaphoras in ijs vocibus fieri videmus, quæ pronomibus illis possessiuis particulares efficiuntur. Verbi causa, Christus in genere quidem agnus dicitur, at nunquam huius, aut illius, neque meus, aut tuus agnus dicitur.

Exc. 88. 211. Si cùm Christus in cruce penderet, preciosum illum sanguinẽ suum, qui è cruentis vulneribus proflebat, ostendens dixisset, Hic est sanguis meus, qui pro mudi vita effunditur, ei procul dubio creditũ fuisset, taliaque eius verba absque tropo, aut metaphora vlla exposita fuissent,

fuisse, utpote, quæ adeo clara sunt, ut clarioribus uti, ad id significandum nunquam potuisset: Quocirca magnopere absurdum mihi videtur, ut in cœnæ verbis, quæ his omnino similia sunt, figuræ, aut metaphoræ vllæ querantur.

212. Græcæ linguæ phrasis significantius adhuc fidei nostræ explicat veritatem, Nam ubi nos Latini habemus, Hic est sanguis meus, Græci dicunt *αἷμα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ* quod idem est, ac si Christus dixisset, Hic est sanguis propriæ personæ meæ. Perlege illud caput.

213. D. Paulus ad Hebræos de noui testamenti, ac Christi sacerdotio, præsummi Pontificis veteris legis excellentia, ac dignitate scribēs hoc inter cætera discrimen constituit, quod nimirum, quicquid vetus ille sacerdos, iuxta legis ritus, atque cæremonias in brutorum sanguine egit, hoc & CHRISTVS in suo sanguine, in omnibus, quæ ad noui testamenti institutionem spectant, perfecit. Sicut ergo sacerdos ille in brutorum sanguine vetus testamentum dedicauit, ac eo populum aspersit, sic & Christus in sanguine suo, nouū dedicauit, ac eo populum suum aspersit. Atqui hoc ipsum est, quod ipsemet verbis illis Græcis dicit. *αἷμα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*.

214. Diuo igitur Paulo vociferante, Christum proprio sanguine suo nouum testamentum dedicasse. Imò ipsemet vero Dei filio attestante suum sanguinē esse, quem ipse nouo populo suo donauit, quemque Hugnenorum pudere deberet, huic contrarium prædicare, ac vociferari. CHRISTVM videlicet nobis in cœna nihil aliud nisi signum atque sanguinis sui figuram exhibere. Certe Maiores nostri post tam clara Christi & Apostoli verba, nihil aliud in calice Domini esse, præter ipsius sanguinem, vnquam sibi persuadere potuerunt.

215. Quod altum illud Apostolorum silentium, quo tam attente Christi verba auscultabant, mihi omnino persuadeat, cum iam antea ipsos præmonuisse, se eis sanguinem suum, in sui memoriā, suiq; singularis erga ipsos amoris recordationem dare decreuisse.

216. Ex voce, nouum testamentum, huiusmodi argumentum sumitur, Vox illa, nouum, mutationem aliquam ostendit, omnis autem mutatio, quæ in me-

lius non fit, vana est; Christus igitur veteris testamenti sacramenta, commutās, non eorum signa, atque typos, sed ipsorum veritatem nobis exhibuit. Alioquin nihil præ illis melius haberemus.

217. Quod nihil opus fuerat totum orbem conturbare, ut veteris testamenti sacramenta mutarētur, si ut noui testamenti sacramenta haberemus nulla necessitas impulisset. At nulla sane impelleret, si in his, quemadmodum & in illis, nō nisi signa, typi, ac figuræ haberentur, sunt igitur ipsa longe aliud quam signa, & figuræ: Necessitas enim, qua requiritur, ut Christi sanguinem habeamus, per id ostēditur, quod Christus dicit, neminem absque sanguinis sui potu, vitam æternā consequi posse.

218. Christus omnia noua factururus erat, ut nouum sacrificium, nouum sacerdotium, noua sacramenta, nouam legē, nouum pascha, &c. Sed ubi vna, eademque res exhibetur, nihil noui est: sequitur proinde sacramenta nostra non eadem rem, quam & vetera, continere, vetera autem bonorum futurorum tantūmodo signa erant, nostra igitur bonorū præsentium signa sunt.

219. Cū homo, vltimam testamento suo, voluntatem suam declarare cupiat, quærimus, num Christus testamentum suum condens, hoc idem facere voluerit, necne. Si voluit, quicquid igitur illud condendo dixit, eo sine dixit. Cæterum is, qui verbis ambiguis utitur, ac figurate loquitur, voluntatem suam non aperit, sed potius tegit, Christi igitur verba, in testamento suo ambigua non sunt, neque figurate intelligi debent.

220. Adhæc, Testamentum voluntatis ipsius testatoris testimonium est: in omni autem testimonio, verba in literali suo sensu accipiuntur: In Christi igitur testamento idem fieri debet. Vnde de testimonijs, atque testamentis scripto dicitur, si difficultas aliqua emerferit, iuxta veram, ac genuinam verborum, quæ in ipsis ponuntur, significationem, sententia profertur.

221. In quolibet testamēto obnixæ ad hæredes, atque executores preces fiunt, ut sedulo executioni dent, quod testamento cauetur. Omnia autem precum atque exhortationum verba literaliter exponi debent, &c.

222. Te-

222. Testamentum imprimis pactionem quandam, atque conuentionem inter Deum, & homines significat, qua ipse eis rem aliquam magni ponderis, ea conditione promittit, ut ipsi leges, atque instituta sua diligenter obseruent. Cæterum in veteri lege, agni paschalis manducatio, atque purificatio, quæ sanguinis asperione fiebat, instituta erant; in noua autem, expresse dictum est, neminem vitam æternam consecuturum, nisi qui carnes agni Dei comederit, ac eius sanguinem biberit.

223. Ipsa instrumentorum pacti alicuius verba, literaliter, absque vlla figura exponi debent: ista autem noui pacti verba sunt, absque figuris igitur intelligenda sunt.

224. Ad hæc, verba illa, per quæ vetus testamentum inter Deum & veterem illum populum confirmatum fuit, literaliter intelliguntur, & illa igitur, per quæ noua pactio, cū nouo populo inita est, literaliter interpretanda sunt.

225. Si per nouæ istius pactionis literas præcipiatur, ut verus sanguis, & vera caro accipiatur, atque horum signa, & figuræ solummodo sumantur, nonne sic pactum illud violaretur, ac æterna vita promissa perderetur? At vero ita se res habet, ut per dictas literas expresse mandetur, ut verum agni Dei corpus, verusque eius sanguis, & non eorum signa sumantur, idque sub comminatione vitæ æternæ amittendæ, ijs, qui corpus & sanguinem illū suscipere recuserint. Quid igitur aliud esset, quam noui huius testamenti sanguinem polluere, si nūc signa, & figuræ, earum rerum loco, quæ nobis præcepta sunt, suscipiamus.

226. Ipse diabolus est, qui nobis signa sua, pro veritate conatur obtrudere, ut nos Christi testamentum abrumperet, ac penitus deserere faciat, ut sic nimirum vita nos priuet æterna.

227. Sæculi iudices, in controuersia ex testamento aliquo nata, secundum literalem verborum illorum sensum, quæ in eo condendo usurpata sunt, sententiam ferunt, idē igitur & in hac causa, quæ inter nos, & Maiorum nostrorū aduersarios controuertitur, fieri debet.

228. Testamentum ob id inter cætera potissimum fit, ut inter hæredes, ac testatoris successores, lites, ac controuersiæ è

medio tollantur. Quapropter si testator prudens fuerit, claris verbis, & non ambiguis utitur, ut sic præcaueat, ne lites, aut dissensiones, inter suos hæredes oriantur. Christus igitur cū testamentum suum conderet, verbis ambiguis usus non est, sed omnia verba, quæ per figuræ, aut metaphoras exponi debent, ambigua sunt, ac proinde aduersariorū figuras hinc excludendas esse, non dubium est.

229. Controuersiæ, quæ inter hæredes, super testamenti intelligentia oriuntur, per literalem verborum illius sensum tolluntur. Eadem igitur prudentia vatur æquus Lector, ut de hac causa recte iudicet.

230. Per nouum testamētum, nouum boni alicuius, quod antea non habebamus, ius nobis conferebatur: Nam id testamento nobis conferre, quod antea possidebamus, per absurdum videtur: at qui iam ante corporis, & sanguinis Christi signa, & figuræ habebamus, ergo, &c.

231. Testamentum diffinitur esse iusta sententia, sententia autem (secundum Iurisconsultos, est, quæ ad omnes lites, atque contentiones determinandas, à Iudice profertur; per verba igitur testamenti Dominici omnis controuersia nostra finienda est. Omnia siquidem verba, quæ in sententia collocantur, literaliter exponenda sunt.

232. Testamentum legis vim obtinet, imò verò leges ipsas, atque ordinationes continet, sub quarum conditione hæreditas promittitur, omnes autem leges, atque statuta literaliter exponenda sunt: Ista igitur Dominici testamenti leges, Accipite & manducate, accipite & bibite, hoc facite in meam commemorationem, literaliter exponentur.

233. Quum quis testamēti sui verba, super quibus controuersia aliqua oriri possit, ipsemet exponit, eius declarationi omnino standum est. Christus autem cū dixisset, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, ipsemet quo in sensu voces illas corpus, & sanguis accipi vellent: exposuit, dicens, corpus suum esse, quod pro nobis in mortem tradendum foret, & sanguinē, qui pro peccatis nostris funderet, de quibus ipse tum loquebatur, ego, &c.

234. Ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio

Exca. 87.

Exca. 89.

Exca. 90.

Exca. 91.

Exca. 93.

Exca. 94.

Exca. 95.

Exca. 96.

Exca. 97.

Exca. 98.

234. dio ad hanc vsque horam, nemo vnquam mortalium, Dominicum testamentum corrumpere attentavit, pro corpore, aut sanguine, signa, & figuras tantum ponendo, quin Dei hæredes, atque filij sese viriliter ei opposuerint, atque causam egerint, vt testamenti illius verba in literali suo sensu retinerent, vnde euidēs signū est, eum esse verum illius sensum, quem primi eius testes, atque executores ipsius hæredibus & tradiderunt, & promulgauerunt.

*Exo. 100* 235. Quoniam dictio illa (calix) in istis Christi verbis, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, non nisi pro potu accipi potest, hæc promissoria eius verba. Sanguis meus verè est potus, ipsum de ipso suo sanguine loqui aperte ostendunt.

236. Quemadmodum vini calicē, aut cyathum ebibere, realiter vinum bibi denotat, ita & sanguinis calicem bibere, sanguinem bibi, sanguinemque in calice esse significat.

*Exo. 101* 237. Quod accipiendo testamentū pro dono, aut munere, per testamentum legato, hæc Pauli verba, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, denotent, Christum, Ecclesiæ suæ, proprium sanguinem suum, & non vinum, neque sanguinis signa (quæ non sunt noua, sed antiqua dona, quæ iam multo ante, in vltu erant) pro testamento delegasse.

*Exo. 8.* 238. Quoniam CHRISTVS sanguinem suum, tanquam nouum donum, nouo populo suo, per nouum testamentum suum conferebat, hinc sane consequitur, quod ipse nouum dicendo, vetus, cum omnibus vmbriis, & figuris suis abolebat, sed neque illud nouum esset, neque veteris abolitio extitisset, si nos corporis, & sanguinis sui signa, & figuras tantummodo ab ipso accepissemus, ergo, & cæc.

*Exo. 104* 239. Quod de agno paschali iam olim dictum fuit, eius rei quæ postmodum in CHRISTI corpore fieri debebat, Prophetia erat, eadē igitur ratione id quod de agni illius sanguine prædictum est, eius quod de veri agni sanguine futurum erat, Prophetia fuerat: At de veteris illius agni sanguine dictum est, ipsum in signū Aegyptiacæ liberationis, veteri populo realiter datum fuisse, igitur & noui agni sanguis in redemptionis, ac liberationis

nostræ à diabolica seruitute signum realiter nobis confertur.

240. Moyfes de agni typici sanguine, duo fieri præcipiebat, nimirum vt acciperetur, & vt ambæ domorum postes eo inungerentur, qua in re vetus ille populus ei obediuit, atque ipsum de vero, ac reali sanguine loqui credidit, cur igitur & nos simili ratione, Moyfi nostro dicenti, Accipite, & bibite, hic est sanguis meus, non credamus?

241. Omnia, quæ de agno suo Moyfes verba protulit, literaliter exponi debet, & omnia igitur illa, quæ secundus Moyfes de agno dixit, literaliter quoque intelligenda sunt.

242. Res excellentiores, excellentioribus quoque signis representari debet, mundi autem redemptione, Aegyptiaca redemptione multo præstantior est, præstantioribus igitur signis ea representari debet. Sed vetus ille populus in redemptionis suæ signum, veram agni paschalis sanguinem habuit, igitur & nouus populus, in redēptionis, ac liberationis suæ signum, verū ac naturalem agni sui sanguinem, habeat necesse est.

243. Christus non venit, vt legem solueret, sed vt impleret, At ipse eā soluit, si agni typici sanguinem (qui realiter in veteris populi sacramentis erat) nobis adimens, realiter veri agni sanguinem in nostris sacramentis non exhibisset, hac nimirum ratione, sanguinem pro sanguine reponens. Non est igitur vinum, sed verus ipsius sanguis, quem ipse nobis exhibet, quemadmodum ipsemet asserit.

244. Noui testamenti gloria, veteris gloriam lōge superare debet, atqui istud in sacramētis, & ceremonijs suis verum agni typici sanguinem habebat: noui itaque gloria, in multo nobiliori sanguine, quem in sacramentis suis obtinet, cōstituta erit.

245. Moyfen de sanguine realiter locutum fuisse, creditum fuit, cum diceret, illos quorum domus sanguine agni linitæ non fuissent, exterminandos esse, & nostro proinde Moyfi credatur dicenti, neminem vitam æternam consequaturum, nisi qui eius sanguinem biberit, eiusque verba, quemadmodum & illius, realiter intelligantur.

246. Vetustas ille populus agni sanguinē

non spiritualiter tantummodo, ac per fidem, credendo illum liberationis suæ signum fore, verumetiam realiter, domorum suarum postes eo liniendo, accepit: nouus igitur populus agni sui sanguinem non spiritualiter, ac fide sola, verumetiam realiter accipere debet, re ipsa domus suæ postes, hoc est, ora sua, quæ domus animæ nostræ limina sunt, eo liniendo, quod sit, sanguinem illum bibendo. Tūc etenim domus animæ nostræ superliminaria, eo, re ipsa inunguntur, atque signantur.

247. Populo illi sat spiritualis sanguinis illius vnctio non fuerat, nisi corporale etiam haberet, nec nouo igitur populo spiritualis potatio, aut inunctio suffecerit, nisi realem quoque atque corpoream habeat.

248. CHRISTI corpus tot rerum apud nos vim habet, quot apud veterem illum populum agnus paschalis vim habebat. Vnde Paulus CHRISTVM, pascha nostrum vocat. Pascha nostrum (inquit) immolatus est CHRISTVS. Agnus autem typicus Iudæis pro sacrificio, pariter ac pro cibo erat, ad hoc idem ergo Christi corpus nobis conduceret. Quod si ita est, erit igitur cibus noster.

*Exo. 105.* 249. Nouum testamentum ante testatoris mortem obsignari oportebat. Sed quoniam vinum, ad illud obsignandum satis idoneum non erat, eo quod tam nobile testamentum, multo præstantiorem signaturam postulabat, Christus suo sanguine illud ad maiorem ipsius stabilitatem consignare voluit, quemadmodum & vetus, brutorum sanguine obsignatum fuerat.

*Exo. 106.* 250. Quoniam sacramentum istud in arrabonem nobis relictum est, vt certiores simus, nos id quod testamento nobis promissum est, consecuturos, aliquid in eo magni poderis sit, necesse est, quod illius rei, quæ nobis per conuentum patrumque debetur: Nam quemadmodum ille, qui mille ducatorum debitor est, nullam securitatem creditori suo donaret, si vnus stufferi annulum, aut panis buccellam, aut vini cyphum, in pignus relinqueret: ita pro pane, & vino tantummodo, aut pro signis, & figuris Domini corporis, nulla nobis de obtinenda hæreditate promissa, securitas esset. At Christi sanguis, gloriæ cœlesti in valore

respondet, vnde & per illum ipsa pro nobis empta est.

251. Ad hæc in magnorum principum pactis, quæ post diuturna bella sunt, charissimi quique vtriusque partis filij, & non eorum imagines, pro maiori securitate, in obsides dantur: sic nec Christi effigies, aut figura, pactum nostrum, cum Deo initum confirmare potuissent, sed oportebat, vt prædilectum Dei filium in obsidem haberemus: Nam eo habito quid (quæso) Deus nobis denegabit?

252. Cum istud sacramentum, in Christi erga Ecclesiam amoris testimonium ac memoriam, institutum sit, & cum rātus amoris excessus neque pane, neque vino, neque signis, aut figuris vllis, sed proprio illo, quem in sui amorem Christus effudit, sanguine representari poterit, idcirco Maiores nostri simpliciter ei crediderunt; cum diceret, Hic est sanguis meus, accipite & bibite. Ratio hæc perpulchra est, quæ cap. 107. accurate tractatur.

253. Finis, media apta, quibus ad illum perueniatur, exigit, sacramentum autem istud; eo sine institutum est, vt in mortis, ac passionis Christi memoriam in nobis excitaret, sed panem, & vinum tantummodo comedere, & bibere, quæ vinorum actiones sunt, nulla ex sua natura vim habent, vt ad mortis memoriā nos prouocent, sed ipsius mortui corpus, & sanguis, mortem viuus representat, acideo Maiores nostri, &c.

254. Præterea Moyfes in sacrificijs suis, quæ ex vitulorum, atque agnorum carne, & sanguine fiebant, signa ad CHRISTI mortem, & passionem representandam accommodatiōra, atque significatiōra, quàm ipse Christus cum pane suo, & vino, instituisset. Vnde Maiores nostri Christum nobis carnem, & sanguinem, in passionis suæ memoriā, non minus quàm Moyfen synagogæ dedisse crediderunt. Porro, vt hæc memoria viuacior esset, eam in proprio corpore, ac sanguine suo fieri voluit.

255. Quoniam id, quod verbis super calicem dictis demonstratur, noui testamenti signum, atque confirmatio dicitur, cumque nec vinum, nec panis testamenti huius signum aut confirmatio esse possint, reliquum est, vt (iuxta Paulum)

Hh nouum

nouum testamentum, quod coeleste est, melioribus, atq; excellentioribus hostijs, quæ nostri Messia corpus, & sanguis sūt, deditur, ac purificetur.

*Ex ca. 110* 256. Christi testamentum æternum esse, atque in perpetuum obseruari debuerat, si autem per illud statuerat, ut corporis ac sanguinis sui signa, & figuras tantummodo sumerem⁹, & si Ecclesia, quæ verum ipsius corpus, & sanguinem se realiter suscipere credebat, ad hoc vsque tempus in errore versata est, sequitur, testamentum istud à longo iam tempore, minime obseruatum fuisse, proinde nõ æternum, sed temporarium fuit.

257. Item. Ecclesia Geneuensis, nunquam ante Caluinum, eo modo, quo nunc, CHRISTI testamentum obseruauerat, sed semper hætenus eo modo, quo nos obseruauit, sequitur proinde, ipsam ad æternum istud sacramentum non pertinere, quando quidem iam primum ex ipsis cunabulis, in quibus Caluinus eam peperit, ac fouit, egreditur.

258. Insuper C H R I S T I Ecclesia, vniuersalis esse debebat, ita ut sese toto terrarum orbe diffunderet, verum noua ista Ecclesia, quæ docet filij Dei testamentum in signis, & figuris consistere, non sic diffunditur, neque sic vnquam diffusa fuit, ipsa igitur ad hoc testamentum minime pertinet. At vero nostra, quæ oppositum plane credit, semel totam terrarum orbem occupauit, ac etiamnum maiorem eius partem occupat, ipsa ergo ad æternum hoc testamentum pertinet.

*Ex ca. 111* 259. Præterea testamentum æternum, executorum ordinem, ac successionem æternam exigit, ex quo ministrorum noui testamenti successionem nunquam intermissam, aut interruptam fuisse perspicuum est, ministri autem Caluiniani non successionem, sed vsurpationem venerunt, ita ut neque qui eos vocauerit, neque quibus succedant, ostendere possint. Igitur non ad illos æternum hoc testamentum pertinet. Hæc ratio peremptoria est.

260. Adhæc homo prudens, & sapiens, nihil ijs, quibus præest, faciendum præcipit, quod eorum vires, atque facultatem exuperet, nisi & exequendi vires ipsis subministret, CHRISTVS autē qui non modò sapiens, sed & ipsa quo-

que sapientia est, Apostolis facere præcipiebat, id quod ipse in cœna fecerat, hoc autem eorum facultatem longe superabat. Ipse igitur, ut illi corpus, & sanguinem suum consecrarent, potestatem contulit.

261. Nostros autem sacerdotes, eandē, quam Apostoli, Dominicum corpus consecrandi potestatem habere, sic comprobatur. Cum homo quisquā prudēs, ac satis potens, aliquid ad finem vsq; sacculi faciendum præcipit, de omnibus prouidet, quæ ut ea res continuari possit, necessaria sunt, Christus autem ut corpus, atque sanguis suus ad finem vsque sacculi comederetur, ac biberetur, instituit, ac præcepit. Hoc autem fieri non poterat, nisi primi ipsius ministri huiusmodi potestatem alijs resignare ac delegare possent, proinde consequens est, legitimos Apostolorū successores, huiusmodi potestatem habere.

*Ex ca. 112* 262. Quoniam soli illi duodecim Apostoli cœnae Domine interfuerūt, & ad solos illos duodecim præceptū istud dirigebatur, Hoc facite in meam cōmemorationem, ipsi soli, atque eorum successores, sunt sacerdotes, atque hanc corporis Domini consecrādi potestatem habēt. Vnde sequitur, Caluini ministros nullam huiusmodi potestatem habere, ac proinde nihil aliud illos nisi populi ab ijs circumuenti seductores & impostores esse.

263. Insuper multum verisimile est, imò plusquam credibile, Apostolos veram Domini testamenti intelligentiā ijs tradidisse, quos ad hoc vocabant, ut sui essent successores, vnde nec minus credibile est, semper aliquos ex istis successoribus de generatione, in generationem repertos fuisse, qui veram doctorū verborum intelligentiam studiose conseruaret. Alioqui enim Ecclesie cursus, ac æterna Dei institutio abolita fuisset.

*Ex ca. 113* 264. Ex his Christi verbis, Hoc facite in meam cōmemorationem, argumentum colligi potest, quo omnia cœnæ verba absq; figura vlla exponi debere monstretur. Ea. n. verba, Christi præceptū continent, quo ipse Apostolis demā dabat, ut ipsi facerēt qd' ipsemet fecerat, ergo omnia illa verba, quib⁹ ipse declarabat, quid nā fieri vellent, eodem modo accipiendā sūt, quo & illa, Hoc facite, &c. quæ nullā

figu-

figuram admittunt, Alioqui enim vna mandati pars ambigua fuisset, & alia nõ. 265. Deinde verò nõ minus potest Deus sacerdotibus nouæ legis potestatem conferre, ut vinum, & aquam in calice reposita, in Christi corpus, & sanguinem conuertant, quàm ut sacerdotibus veteris legis, Moyſi, & Aaron, potestatem daret, qua omnes Aegypti aquas in sanguinem conuerterent. Imò verò (quod plus est) si omnia illis in figura contingebāt, potestas illa, quam Moyſes, & Aaron habuerunt, ut aquas in sanguinem conuerterent, potestatem illā præsignabat, quā Euangelicæ legis sacerdotes habituri erant, ut vinum & aquam in Christi sanguinem conuerterent.

*Ex ca. 115* 266. Ex eo, quod Paulus, posteaquam multa de corporis Domini cibi differuisset, tandem concludit, quod quicumque cibum illum indigne recipit, Christum in corpore, & sanguine suo offendat, irrefragabile argumentum pro Maiorum nostrorū fide colligitur. Homo enim offendi potest in corpore, in honore, in diuitijs, in amicis, in seruis, secūdū quod cūtingit, quæquā in huiusmodi rebus offendi. Cū autē in amicis, in facultatibus, in seruis quisquā offenditur, tunc neq; in corpore, neq; in ppria persona offendi dicitur. Quò fit, ut Christū ibi præsentem esse, vbi in proprio corpore offendi queat, necesse sit. Ac propterea Paulinæ consequentiæ robur, posteaquam sacramenti huius institutionem descripsisset, in eo cōsistit, quod ipse realem Domini in proprio corpore, & sanguine suo præsentiam sub hoc sacramēto constituat, ex quo ipse tandem cōcludit, quod cum ita sit, ut Christus ibi in corpore, & sanguine præsens existat, illū qui indigne eum recipit, Christū in corpore, & sanguine suo offendere, quod est ipsum in persona sua lædere. Atqui certe argumentum hoc, pro maiorū fide vehementer vrget. Nemo enim in suo corpore offenditur, nisi præsens ibi sit, vbi offensa committitur.

267. Item, De ijs, qui purum panem comedunt, non dicitur, quod Christum in suo corpore offendant.

268. Item, Nusquā in tota scriptura dicitur, eos, qui Domini corporis & sanguinis signa, & figuras, sub veteri lege comedebant Christum ideo in suo corpo-

re offendere.

269. Item, Nunquam de ijs, qui alia sacramenta indigne suscipiunt, dicitur, quā propterea Domini corpus, aut sanguinem offendāt. Id quod aperte satis declarat, longe aliā in hoc sacramento, q̄ in alijs, Christi corporis, & sanguinis præsentia & cōmunionē existere. Quippe in alijs spiritualiter tantummodo ac per fidem Christi corpori, & sanguini communicamus.

270. Cū antiquis patrib⁹, qui sub typis, & figuris, Christi corpus, & sanguinē eius spiritualiter, ac fide comedebāt, nunquā dicitū fuerit, ut seipſos probarent, priusquā huiusmodi typos, ac figuras sumerēt, omnino dicendū videtur, Paulū intellexisse, nõ spiritualē tantū modo, ac p̄ fidē, sed verè realē Domini corporis, & sanguinis præsentiam in hoc sacramento existere. Nā ut eadem plane res reciperetur, eadē omnino tā ex illorum, q̄ ex nostra parte, præparatio requireretur.

271. Item. Ne millesima quidē veteris illius multitudinis pars intelligebat, agnum paschalem, atq; māna, Christi corpus significare, ita ut neque peculiarem vllā, ea de re fidē haberent, neque verbū vllum, quod de istiusmodi significatione eos commonefaceret.

272. Ipsa quoque vindictæ magnitudo eorum, qui indigne sacramētū istud suscipiunt, nobis argumento est, aliam esse corporis Christi, in eo præsentiam, atq; illam, quàm antiqui patres habebant, ut pote quibus mors, atq; dānatio perpetua nõ inferebatur Dei iudicio, quod suū pascha, aut suū Māna indigne comedisset.

273. Item. D. Paulus de huiusmodi māducatione loquitur, quæ & bona & mala esse possit, sed illa quæ fidē, ac spiritualiter sit, nunquam mala esse potest, ipse igitur de manducatione reali, pariter ac spirituali, & nõ de spirituali tantum loquitur. Argumentū, hoc insolubile est. Quod nā enim aliud manducationis genus dari possit, quod & bonum, & malum esse queat non video.

274. Ratiō quoq; illa, ob quā terribilē huiusmodi vindictā Paulus contingere asserit, infallibiter p̄ nobis cōcludit. Nā iudiciū atq; condēnationē hanc ideo cōtingere dicit, quod Corynthij corp⁹ Domini nõ diiudicaret. Hoc est, quia neq; ipsi cogitabāt, neq; credebāt, quod verū Do-

H h 2 mi-

mini corpus esset, & non signa, aut figurarum eius rei, quam ipsi recipiebant.

Ex 10. 120

275. Vbicumq; in scripturis alicui mortē aut poenā tēporalem Deus comminatur, nisi id quod ipsi pręcipitur, fecerit, nulla figura, nullaq; sensus mystici ambiguitas esse cognoscitur, Paulus autem cū de corpore Domini māducando loquitur, tēporalē mortē, ac morbos corporeos ijs, qui indigne illud receperint comminatur, cōsequens est igitur, Christi verba literaliter exponi oportere.

Ex 10. 121

276. Ex illis Pauli verbis, Calix benedictionis, cui benedicimus, nōne communicatio sanguinis Christi est? & panis quē frangimus, nōne participatio corporis Domini est? argumentū etiam pro Maiorum nostrorū fide, ex eo sumitur, quod nō ipse Dominici corporis, aut sanguinis signorum, aut figurarum communione, sed de ipsius corpore, & sanguine locutus sit.

277. Item. Nunquam de antiquis patribus, qui corporis, & sanguinis Domini signa, & figuras comedebant, dictū est, quod ideo corpori & sanguini Domini cōmunicauerint. Ipsi agni paschalis carnes, propositorios, atq; azymos panes comedebant, nunquam attamē scriptura, istorum panum, quos ipsi tanta cū reuerētia, tantisq; cum caremonijs edebāt, distributionem, corporis Messia cōmunionē esse pronūciat. Eo ergo quod dicitur, de nostro mystico pane, quod nunquam de Iudæorum figuris dictum est, concluditur, alium nos habere cibū sacramentalem, quā illi olim habebāt.

Ex 10. 122

278. Cū vniuersi Christiani neque de vno, ac eodem pane triticeo comedere, neque de vno, ac eodem calice bibere queant, Pauli argumentum, ad Christianorum vnionem comprobendam, quia ex eodem pane edunt, & de eodem calice bibunt, nullius roboris esset, nisi idem Christi corpus, & eūdem eius sanguinē, ab vnoquoq; eorum in admirabili hoc sacramento recipi intelligeremus. Deo hoc ita faciente, vt dilecti filij sui corpus & sanguis simul pluribus in locis, ac in omnibus generationibus vbicumque illud consecratur, existat.

Ex 10. 123

279. Exemplum quoq; coniugij carnalis, quo Paulus vtitur, vt realē inter Christū, & eius Ecclesiā, id est, inter fideles (quod eius mēbra sunt) vnionē cōprobendam,

plurimū ad fidē nostrā stabilendā cōducit, eo quod ipse dixerit, nos in diuino hoc sacramento factos esse carnē de carne eius, & os ex ossibus eius, non autē ait, nos signorum, aut figurarum corporis Christi carnem, & ossa effectos.

280. Nota insuper, quod de antiquis patribus, qui fide, atque in figuris tantummodo eum recipiebant, dictum non sit, quēadmodum nūc de Christianis, quod essent caro de carne eius, & os de ossibus eius. Nam cum necdum carnem humanam Christum assumpisset, veterum illorum patrum carni, aut ossibus realiter vniri non poterat.

Gal. 3.

281. Paulus Galatis scribēs, expressē dicit, non minus diuini, quā humani testamenti verba, ad literam, absque vlla adiectione, aut diminutione exponi debere. Vnde irrefragabiliter cōcludo, noui testamenti (quod filij Dei testamentum est) verba literaliter, absque adiectione, aut immutatione vlla explicanda esse. Lege cap. 122. amplam argumētū huius deductionem, quod quidem argumentum, ad maiorum fidem cōprobendam vrgentissimum est.

Ex 10. 124

282. Vt res quępiam vere in aliquo loco existat, oportet vt exterius ita sese omnino habeat, quemadmodum verba nostra significant, aut certē quemadmodum fides, ac cogitatio nostra credunt. Vnde sequitur, quod si ex Christi partē, realem manducationem nō habeamus, ipsum nullo modo verē cibum esse, ac sic sane Christus mentitus esse dicens, se verē cibum esse.

Ex 10. 125

283. Quod propter Calviniani erroris absurditatem, Calvinistarū sententiam amplecti nequeamus, vt pote qui duo cōtradictoria, pro Dei verbo simul credenda obtrudant. Id quod vel hinc aperte liquet, quod ipsi verā substantiæ corporis Domini, in cœna sua exhibitionē confitētur, postea vero realē eius absentiam, tantā ponunt, quanta est inter cœlum & terram distantia. Quod perinde est, ac si dicant, eum ibi realiter & præsentem, & absentem esse.

284. Quod quēadmodū impossibile est, vt primū hoc principiū, de quolibet affirmatio, aut negatio, de nullo autem ambæ simul, falsum sit, ita impossibile est, vt inter duo hæc, esse realiter præsens, & non realiter, medium aliquod rece-

reperiat. Ex quo consequitur, quod cum Calvinistæ, neque realem Domini corporis, cum Catholicis, & Lutheranis, neque non realem cum Zuinglianis ac Berengarianis, in cœna præsentiā ponant, nihil aliud agant, quā quod mundo verbis illudant. Nulla enim præsentiā inueniri potest, quin aut realis sit, aut non realis. Hęc ratio aduersariorum sententiam plane subruit, atq; in fauillam, cineremque redigit.

285. Quod stultissimum foret, aduersarios sequi, quoniam nullam de rei illius, quæ in ipso sacramento est, realitate, aut qualitate, resolutionem habeant.

286. Quod Catholici sententiam, atq; opinionem suam, ad verbi Dei normā attemperent, ac corrigant, aduersarij autem contra Dei verbum, vt illud falsis opinionibus suis accommodent, atque ad eas pertrahant, immutant, ac corrigunt. Id quod nullo sane pacto fieri debet. Vnde sequitur, Catholicorum sententiam, tanquam veram, amplectendam esse.

287. Expositio nostra vera, atque legitima esse comprobatur, quod nimirum, vnum scripturæ locum, sicuti fieri debet, alteri conciliet, vnum per alterum explicatio, aduersariorum autem interpretatio, vnam scripturam per aliam euertere molitur, quod diabolicum vtiq; officium est.

288. Quod illi, qui CHRISTI verba sic, quemadmodum aduersarij exponūt, nempe, Hoc est, per Hoc non est, sed significat, philosophis, atq; paganis, Christum blasphemandi occasionem præbent, & vt illum seductorem existiment, fomitem subministrant, quippe qui cultoribus, atque amicis suis, erroris ansam prestiterit, tam multa verba de carne, & sanguine suo replicando, quibus illi ipsum de ijs loqui crediderunt.

289. Quod hodierni hæretici, verbum Dei, cum naturali philosophia conciliare conantur, vt omnes Iudæi, atque Philosophi tantundem DE I verbo credere possint, quantum & ipsi. Atqui sic sane naturali philosophia amici, verbo Dei autem inimici efficiuntur. At vero interpretatio nostra, DE I verbum in suo honore, atque maiestate retinere conatur, quo fit, vt ipsius veritatem cuilibet

naturali atq; philosophicæ rationi præferat.

290. Quod nemo plane, qui vnū Dei verbum deserit, vt alteri fidem adhibeat nolens vtrique simul credere, quod sic nimirum naturæ repugnet, verus Christianus esse possit. Verus etenim Christianus vtrique simul credere debet, omnem illam naturæ contrarietatem, in Dei omnipotentiam reijciens.

291. Quod quilibet Christianus, fidei Abraham imitator esse debeat, qui duobus simul Dei verbis naturæ ex diametro repugnantibus credidit, quo factum est, vt Deo gratus fuerit. Vnde & Maiores nostri ad eius imitationē his duobus Dei verbis simul crediderunt: Ascendit in cœlum, & ipse in sacramento altaris realiter præsens est. Aduersarij autem nostri plane contrarium agunt.

Ex 10. 126

292. Quod vniuersa scriptura tanquā propositio copulatiua sit, ad cuius veritatem, vtramque eius partem simul veram esse credendum est. Cæterum, qui dicit, CHRISTVM his verbis, Caro non prodest quicquam, dicere voluisse, carnem suam nihil valere, aut quod caro eius non verē esset cibus, assereret, ipsum copulatiuam propositionē ex partibus sibi mutuo pugnantibus confecisse, ergo, &c.

293. Quod Christi mens non esset, vt illis verbis contraria assereret, sed cum verba illa sic exponuntur, quasi eis repugnent, quibus ipse dixerat, carnem suam verē esse cibum, ipsum plane contraria dixisse concluditur, Igitur &c.

Ex 10. 127

294. Quod scandalizari verbis Christi, sit ipsis fidem non adhibere, verum ipse discipulos reprehendit, quod in eius verbis scandalizarentur, quibus ipse dixerat, carnem suam verē esse cibum, ideo itaque eos reprehendit, quod ipsi eius verbis fidem non adhiberint. Quocirca Maiores nostri probe intelligentes, cum, qui in eius verbis scandalizatus non fuerit, beatum fore, verbis eius simpliciter crediderunt, ac sic ea, digestu facilia, & non dura, quemadmodum opinabantur discipuli, inuenere.

295. Quod Christus his verbis, Hoc vos scandalizat? Quid si ergo videritis filium

Hh 3 homi-

hominis ascendente, ubi erat prius? non intendebat, ascensionis articulum, ad verba sacramenti subruenda accommodare, sed declarare tantummodo, quemadmodum multo plures, longe amplius his verbis scandalizati fuissent, (Caro mea verè est cibus) ratione suæ ascensionis, sic nimirum, quo minus crederent, se excusantes, quod in cœlum ascendisset. Scandalum igitur post ipsius ascensionem maius, quam antea futurum prædicebat.

*Ex ca. 130* 296. Quod CHRISTVS nunquam dixerit, Caro mea nihil prodest. Vnde istiusmodi verba, de eius carne simpliciter intelligi nequeunt, sed de discipulorum potius carne, quæ sibi relicta, nihil valet ad sublimia sacramenti huius mysteria intelligenda.

297. Quod CHRISTVS dicens, verba sua, spiritum, & vitam esse, nequaquam de carne sua loqui, sed discipulorum potius, (qui ea dura esse dicebant) errorem refutare voluerit, contra quem, verba sua spiritu, & vita plena esse, ac rebus mortuis vitam conferre dicebat. Quocirca Maiores nostri, per huiusmodi verba viua, atq; efficacia, mortuum panem in verum, ac viuum Christi corpus conuertere, optime crediderunt.

*Ex ca. 133* 298. Quod nihil hic creditu difficile esset de omnibus, quæ CHRISTVS de carne, & sanguine suo dixit, nisi de reali tum manducatione, tum præsentia loqui voluisset. Vnde frustra hic à discipulis suis fidem exegisset, quam tamen ab eis, & ante, & posteaquam de ea locutus fuisset, sedulo postulat.

299. Ex his verbis, Sciebat autem Iesus à principio, qui in eum credituri essent, & qui non. tale argumentum elicio: Si ipse bene nouerat, plurimos discipulorum futuros, qui istiusmodi eius verbis, quæ ipse de carne sua realiter manducanda, & sanguine suo realiter bibendo dixerat, non crederent, cur non Caluiniano, atque Berengariano more, de signis, atque figuris manducandis locutus est, ut sic eius discipuli in eum credidissent, si hoc vlllo pacto absq; veritatis præiudicio fieri potuisset?

300. Quod dicens, neminem huiusmodi verbis, atque mysterijs, absque singulari gratiæ Dei auxilio credere posse, satis intelligi daret, se de reali, & non de

aduersariorum manducatione loqui, ut pote ad quam credendam, nulla peculiari Dei gratia opus est, quandoquidè vniuersi tam Iudæi quàm Philosophi, absq; illa, eo modo, quo & ipsi credere possint. Quod discipulorum scandalum nobis quoque magno argumento est, Nam CHRISTVS, qui districtissime, ne proximo scandalum præbeatur, vetuit, de carne sua manducanda, & sanguine bibendo, vnde scandalum discipulis nasciturum prænouerat, tam multa locutus non fuisset, si absq; fidei nostræ ipsiusq; veritatis præiudicio aliter sermonem suum temperare potuisset, dicendo se de signis, atq; figuris tantummodo manducandis loqui, ex quibus verbis nullum oriretur scandalum: Validum est hoc argumentum.

302. Quod nulla à CHRISTO verba, eò dicta sint, ut eam realis manducationis intelligerem, quam discipuli habebant, tollerent, quandoquidem omnibus, quibus ipse ad eorum scandalum respondit, efficere non potuit, ut ipsi illud relinquerent, id quod ipsi statim procul dubio fecissent, si de signis, aut figuris tantummodo manducandis eis locutus fuisset.

303. Quod si diligenter consideremus, quidnam Iudæi, quid Apostoli, quid & increduli illi discipuli crediderint, facile intelligemus, quoratorum imitatores Maiores nostri fuerunt. Certum est enim, Iudæos atque discipulos credidisse, Christo impossibile fuisse, ut eis carnem suam manducandam daret. Apostoli autem plane contrarium crediderunt. Iudicet proinde æquis Lector, nū aduersarius, quemadmodum Iudæi credat, nos vero quemadmodum B. Paulus.

304. Quod istidem rationibus, quibus aduersarij CHRISTVM in Eucharistiæ sacramento non esse probare volunt, ostendi posset, ipsum in cœlum non ascendisse.

305. Quod eodem iure ascensionis verba spiritualiter, ac per fidem exponere possumus, quo aduersarij, cœnæ verba sic exponunt. Nam non minus ego in mea, quam ipsi in sua interpretatione, figuras usurpare possum.

306. Quod is, qui Christum realiter in cœlum iam ascendisse pertinaciter defendere vellet, id facile contendere posset, ad

ad eundem modum procedendo, quo aduersarij vtuntur, ut ipsum in sacramento nostro non esse doceant. Nam si rationes eorum, tanquam veræ ipsis concederentur, fieri non posset, ut is conuinceretur, qui istidem rationibus, ipsum in cœlum non ascendisse contenderet. Id quod clare ostendit, omnes eorum rationes plane sophisticas esse.

307. Quod validissimum, quo Beza in oratione sua Possiaca maiorum nostrorum fidem impugnatur, argumentum, maxime sophisticum sit, quemadmodum, & omnia alia, quibus ad hunc finem vtitur.

308. Quod si propter naturalem quædam, quæ inter cœnæ, & ascensionis verba inuenitur, contrarietatem, dicatur, vni oppositionis parti renunciandum esse, ut alteri credatur, diabolus latum cæpium obtineret, quo omnes propemodum fidei nostræ articulos subrueret.

*Ex ca. 135* 309. Fidei imò perfidiæ aduersariorum de hoc sacramento fundamentum, quod est, credere, Deum efficere non posse, ut Christi corpus eodem temporis momento, in pluribus locis sit, non ex scriptura sacra eruatur, sed Dei verbo potius, ac primo fidei nostræ articulo repugnet.

310. Quod cum credamus, Deum efficere posse, ut vnâ, ac eadem res, eodem momento temporis, pluribus in locis sit, illi verbo Dei credimus, quod pronunciat, nihil Deo impossibile esse.

311. Si res quæpiam aliâ, à corpore, pluribus simul in locis, absq; substantiæ suæ multiplicatione esse possit, igitur & corpus eodem modo pluribus simul in locis esse poterit. At hoc de re alia certissime creditur. Nam ne ipsi quidem pueri Deum vbiq; esse ignorant, ita tamen, ut plures Deos esse non credant. Sequitur proinde, ut non ideo corpus Christi multiplicari necessum sit, quod pluribus in locis sit.

312. Quod eodem argumento, Deum eodem temporis momento pluribus in locis esse non posse, probari posset, quo ipse probare nititur, Deum efficere non posse, ut vnum atque idem corpus eodem momento temporis pluribus in locis esse possit.

313. Si Christus nihil efficere possit, nisi quod velit, eius potentia infinita non esset.

314. Quod istud Christi verbū, Nonne possum modo rogare patrem meum, & ipse exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum? aduersariorum errore ex diametro impugnet, quo falso asserit, Deū nihil efficere posse, nisi quod velit.

315. Quisquis vnâ, eandemque rem simul pluribus iuxta variam locorum ac temporum diuersitatem seunctis, permittit, satis hoc ipso ostendit, se cupere, ut ea res simul pluribus in locis sit, sic est autem de Christo, quoad ipsius corpus, ipse igitur illud simul pluribus in locis esse vult.

316. Ad hæc Christus, omnes, quæ de ipso erant, figuras explere debuerat, cæterum inter alias figuras, id quod Dauid coram Rege Achis egit, cum stultitiam simulâs, se ipsum proprijs manibus portare vellet, Christum corpus suum suis ipsius manibus portaturum designabat, quemadmodum beatus pater Augustinus Psalm. 33. diserte pronunciat. Hoc in cœnâ ipse igitur expleuit, ac sic profecto corpus suum eodem temporis momento pluribus in locis fuit.

317. Item ab esse ad posse, semper necessaria infertur consequentia, Christus autem ipso conuersionis beati Pauli die, realiter ac visibiliter in terris præsens fuit. Ea autem conuersio integro, post Christi ascensionem, anno expleto contigit. Ipse igitur quoad corpus, in cœlo, pariter ac in terra potest esse. Argumentum hoc irrefragabile est.

318. Item. Posse simul, ac eodem temporis momento, pluribus in locis esse, species potentiæ est, Alioquin enim de Deo dicere non possemus, eum huiusmodi potestatem habere: At Christus omnem sibi potestatem tam in cœlo, quàm in terra traditam esse dicit. Id quod de ipso in quantum homo est, intelligi debet. Ipse igitur in quantum homo simul pluribus in locis potest esse.

319. Item. Non minus impossibile est, efficere, ut duo corpora simul in eodem loco sint, quàm efficere, ut vnum, atque idem corpus simul in diuersis locis sit. At horum duorum prius factum fuit, cum Christi corpus ex virgineo utero egrediretur, & cum obseratis ianuis, post resurrectionem suam, ad discipulos intraret. Ipse igitur & posterius efficere potest.

Hh 4 320. Item.



320. Item. Deus multo plus potest, quā homo, ceterum homo desiderare potest, eodem temporis momento, pluribus in locis esse. Deus igitur re ipsa simul pluribus in locis esse poterit.

321. Ad hæc, misera profecto nimium hominū conditio foret, si lege promulgata, qua Deus iureiurando statuisset, neminem vitam æternam consequuturū, nisi qui ipsius corpus receperit, nimium (inquam) misera esset hominum conditio, si post istiusmodi legē promulgatā, Christi corpus, in sublimi aliquo loco, vnde nec ipse ad nos descendere, nec nos ascendere possemus, vt ipsum recipere-mus, conclusum esset. Hæc sane constitutio plane tyrannica esset.

322. Quod Paulus nunquam crediderit, Deum efficere non posse, vt vnum **1. Cor. 12.** atque idem corp<sup>o</sup> eodem temporis momento, pluribus in locis sit, quin oppositum potius sibi persuasum habuit. Alioqui enim de suo in cœlum raptu loquens, nunquam scripsisset, se nescire, vtrum spiritus solus, an vero corp<sup>o</sup> simul cum spiritu eō raptum fuisset, quod tamen corpus optime nouerat, toto illo raptus sui tempore, in ciuitate Damasco fuisse.

323. Cum ita sit, vt Paulus ignorauerit, vtrum corpus suum in cœlo, pariter ac in terra fuerit, consequitur, vt impossibilitas illa, qua vnum corpus simul pluribus in locis esse nequeat, quam pro nouæ religionis suæ fundamento statuunt aduersarij, D. Paulo incognita fuerit, ex quo vterius cōsequitur, quod quicquid super ruinoso illo fundamēto extruunt, veram religionem esse non posse.

324. Cum ita res se habeat, vt D. Paulus, in sua hac doctrinæ Calvinianæ ignorantia saluus sit, & nos igitur in eadem ignorantia (si modò ignorantia dicenda sit, Caluini deliramenta nescire) quæ admodum & Paulus saluabimur. Ac sic proinde nihil opus est, totum Christianum orbem cōturbare, vt eam recipiat, & credat.

**Mat. 13.** 325. Quemadmodū ex verbis illis, quibus Christus è cœlo in terram se descendisse dicit, realis ipsius à cœlo absentia inferri nequit, sic nec modò ex verbis illis, quibus se in cœlum ascendisse dicit, realis eius à terra absentia colligi potest.

326. Quod tum, cum Christus visibili-

ter in terris conuersaretur, iisdem plane argumentis, ipsum realiter à cœlo absentem probari potuisset, quibus nunc aduersarij probare volunt, realem eius ab Eucharistiæ sacramēto absentiam, quod videlicet ipse in cœlum ascenderit.

327. Quemadmodum, cum Christus in mundo adhuc visibiliter existeret, dicere tamen non dubitabat, se amplius nec in mundo, nec cum discipulis esse, tametsi interim realiter adhuc, atque corporaliter cū illis esset, sic ex eo, quod mundum se relinquere diceret, ex huiuscemodi verbis, realis ipsius à mundo absentia inferri non debet, sed quædam solummodo status, & conditionis suæ immutatio, & alius existendi modus.

328. Quod verba ista, Ego vobiscum sum omnibus diebus, &c. de personali præsentia exponi debent, tum quod omnia alia eiusdem farinae verba, sic plane interpretanda sint, tum vero, quod Christus Ecclesiæ suæ aliquid hic noui, & amplius quiddam, quam antea vquam habuerat, promittat, id quod minime profecto faceret, si de spirituali tantummodo præsentia loqueretur. Adde quod & ista spiritualis præsentia, æterna futura sit: Hæc autem, de qua ipse hic loquitur, non nisi ad tempus, hoc est, ad finem tantummodo sæculi duratura sit.

329. Quod admiratio illa, qua angelus in Apocalypsi, Dei præsentiam in tabernaculo Ecclesiæ admiratur, de Christi, in Eucharistiæ sacramento, (quod verū est noui testamenti tabernaculum) præsentia intelligatur.

330. Quod fideles, qui se non Philosophos, sed Christianos esse cognoscunt, pudere deberet, vllis Dei verbis renūciare, quod ea naturæ contraria esse perspiciant: Ad quod tamen, vt faciant, hæretici, fidei nostræ hostes insensissimi, semper elaborant.

331. Cum sacramenti huius institutorem diligenter contemplor, nullo sano pacto mihi persuadere possum, ipsum venisse de cœlo, vt huiuscemodi sacramētum nobis institueret, in quo panis, & vinum solummodo, aut corporis sui signa, & figuræ tantum continerentur: Nani facile per alium istiusmodi sacramentū instituire poterat. Dubitandum igitur nō est, quin aliquid magni ponderis sit, quan-

quandoquidem ipsemet illud instituire voluerit.

332. Cum animaduerto, Christum Prophetam fuisse, ac ideo optime nouisse, quod in nouissimis istis diebus, plurimæ ac graues de hoc sacramento controuersie excitarentur, tam sapientis Prophetæ prudentia exigere videbatur, vt ipse tam solerter loqueretur, vt nemini controuersie cuiusquam occasionem daret. Quod nequaquā profecto fecisset, si ista eius verba, Hoc est corpus meum, sic intelligi debeant, ac si dixisset, Hoc non est corpus meum.

333. Cum tacitus mecum expedo, quāto affectu Christus in cœna, Apostolos suos ad mutuam pacem, & concordiam adhortatus sit, imò verò, quod inter cetera, sacramētum istud ad mutæ pacis, atque dilectionis symbolum institutū sit, mihi dubium non sit, cum ipse vniuersa optime nosset, quin longe secus, vt omnibus controuersijs obuiam iret, verba sua interpretatus fuisset, si aliter ipse voluisset intelligi.

334. Cum pressius mecum considero, ipsum esse verum Dei filium, in quo omnes sapientiæ, & scientiæ Dei thesauri sūt absconditi, ac ipsum proinde omnium linguarum peritissimum fuisse, & omnium verborum significantias, vires, ac proprietates optime calluisse, ita vt eque bene sciret, quid verbum (significat) atque quid verbum (est) denotaret, non dubito equidem, quin (significat) potius quā (est) in verbis cœnæ posuisset, si ita voluisset intelligi.

335. Ad hæc incredibilis cuiusdam præsumptionis esse comperio, id corrigere velle, quod Dei sapiētia & dixerit, & scribi iusserit, certissimum est autem Dei filium, testamētum suum hisce verbis dictasse, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Nescio proinde equidem qua audacia, quis illud immutare præsumat.

336. Quum insuper considero, nec Apostolorum, nec Euangelistarum quemquam, aliter de hoc sacramento ausum fuisse loqui, sed quod ipsi oēs, vno pariter consensu, id quod Christus eis in cœna administrauerat, corpus suum appellasse scribant, ita vt nemo eorum, ipsum de signis, aut figuris locutum fuisse dixerit, nescio equidē, quomodo hodie ho-

mines sic loqui audeant, vt ipsum de signis, & figuris, ac non de proprio potius corpore suo locutum fuisse dicant.

337. Cum rursus considero, Christum in cœna familiariter Apostolis suis declarare voluisse, id quod ipsos agere vellet, cum eius Ecclesiam post ipsi<sup>o</sup> discessum reaturi essent, nulla mihi ratione persuadere valeo, ipsum tam multis tū promissorijs, tum exhibitorijs verbis visum fuisse, vt animi sui sententiæ oppositum diceret, aut ei rei, quam ab ijs fieri vellet, contraria verba proferret.

338. Ad hæc cum pressius mecum recogito, quibus verbis, cum ipse sacramentum hoc promitteret, vltus sit, & quod cum ad ipsius exhibitionem ventum esset, verba sua nihil prorsus immutauerit quin eodem potius loquutionis genere semper vsus sit, affirmans, id quod ipse eis exhibebat, corpus suū esse, quod morti tradendum erat, quæ admodum illud, quod antea promiserat, carnem suam esse dixerat, quæ pro nobis moritura erat, Hæc (inquam) cum attente recogito, sic prorsus esse, quemadmodum ipse dicebat, mihi plane persuadeo.

339. Præterea, nescio equidem quis diuinarum literarum corruptor tandē dicendus erit, nisi ille, qui sic pro lubito Dei verba mutat, vt alia, quæ ipse pro suo arbitrio sinxerat, pro Dei verbis supponat. Id quod ita esse, his beati Chrysostomi verbis cōprobo. Omnis doctor (inquit) *Opeve im-* feruus est legis, quia neque supra legem *perfecto* addere potest aliquid de suo sensu, neque *in Mat.* subtrahere aliquid secundum proprium *cap. 7.* intellectum, sed hoc tantummodo prædicat, quod habetur in lege, nec enim potest mens humana directare, id est, extra rectū facere, scilicet peruersum, vel malum ostendere, quod sapientia diuina dictauit. Sic enim Salomon. Non addas verbis Dei neque detrahas inde. *Eccl. 5.* Qui autem hoc ausus fuerit facere, se sapientio-riorem putat esse quā Deum, & incipit esse falsus testis, quia illud dicit, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit. No-istri ergo aduersarij, falsi testes sunt, dicunt enim se à CHRISTO audiuisse, aut scriptum legisse, Hoc est signum corporis mei. Paucis, ipsi asserunt, id quod nec vnquam à Deo audierunt, nec vquam in literis sacris legunt.

*Dem. 18.* 340. Deus in Deutero: præcipit, vt Prophetæ, qui ex parte Dei aliquid pronunciauerit, quod ei Deus non mandauerit, occidatur, quæ profecto verba, ijs statim subiiciuntur, quæ de Christo venturo agunt, quibus etiam præcipitur, vt nõ minus ipsi, quam Moyfi obaudiatur. Alioqui enim ipsemet Deus, se acriter vendicaturum comminatur: Vnde Deus hic peculiariter de ijs loqui videtur, qui pro ipsius CHRISTI verbis, sua hominibus obtrudere vellent.

Ostendat mihi proinde Zuinglius, quando ei Deus in mandatis dedit, vt prædicaret Christum in cœna, Apostolis corpus suum non exhibuisse: Literas suas testimoniales proferat, quibus nos certiores faciat, se vt ita doceret, mandatum à Deo accepisse: Nam quo ad Apostolos, nullum plane mihi fit dubium, quin ita prorsus ex Dei præcepto & dixerint & scripserint, quemadmodum credimus: Vnde nullo sane modo, eorum verba deserere auderemus, vt illius, qui à semetipso, contra expressum Dei verbum, prout vult garrat, amplectamur.

*Hier. 7.*

341. Item. Quia præcipit nobis Deus per Prophetam suum Hieremiam dicēs, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulatē in omni via, quam mandauit vobis Deus, vt bene sit vobis, Hæc (inquam) cum nobis Deus præcipiat, Berengarij sententiæ adherere non ausim, quandoquidem ipse ea, quæ nobis Deus præcipit, deserens, alia nescio quæ pro suo lubito veluti meliora, iustiora, ac veriora nobis conatur obtrudere.

*Hier. 23.*

342. Item. Districtissime nobis inhietur, ne huiusmodi Prophetas, quales sūt aduersarij, audiamus. Nolite (inquit Dominus) audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. En nõne expresse fatis nobis hic inhietur, ne Caluinistis, aut Berengarianis fidem adhibeamus? Cum enim dicunt, Christum, non corpus, sed corporis sui signum tantummodo in cœna Apostolis exhibuisse, nõquid ex ore Domini huiusmodi verbum ipsi audierunt? Imò verò nõne ex proprij cordis sui visione potius hoc loquuntur?

343. Item. Tantum ponderis Dei verbum, per filium suum prolatum, apud

nos habeat, oportet, quatum olim apud Laban, & Batuel habuit, cum per os ferui Abrahæ promeretur: A Domino (inquiunt illi) egressus est fermo, non possumus extra placitum illius quicquam aliud loqui tecum. Idem, & ego aduersarijs dico. A Domino egressus est hic fermo, Hoc est corpus meum, Quò fit, vt neque ego, neque Maiores nostri aliter vobiscum loqui possimus, neque aliter credere, quam ipsius verba sonant, tantum abest, vt oppositum quis vnquam nobis persuadere valeat.

344. Cum tacitus mecum perpendo, nullum vnquam Iudæis de recipiendo Christi corpore præceptum datum fuisse, neque vliam de illo promissionem, qua illud eis in cibū promitteretur, neque mandatum vllum, quo ipsis præciperetur, vt ad illud digne suscipiendum, sese prepararent, neque vllā mortis æternæ comminatio, nisi illud comederent, neque vlla denique vitæ æternæ promissio, si illud manducarent, cum nihil (inquam) huiusmodi illis dictum fuisse animaduerto, pro certo credere cōpellor, illos nunquam in suo Pascha, eundem, quem nos, corporis CHRISTI cibum habuisse. Alioqui enim cur tam multa nobis de hoc corpore, verba inculcarentur, cum de eo nihil prorsus illis dictum fuerit? Ipsi attamen corporis illius signa & figuras habebant, proinde consequēs est, vt nos ipsum corpus habeamus: At qui hæc sane ratio mirifice mihi persuadet: Adde quod neq; fatis diuinare possum, quorsum tot admonitiones, exhortationes, præcepta, minæ, quæ nobis potius quam illis factæ sunt, vergant.

245. Item. CHRISTVS in mūdum venit, vt testimonium daret veritati, vnde quisquis ex veritate est, verba eius audit. Quocirca asseueranter inferre non dubito, quod nisi ipsa veritas esset, carnē eius verè cibum esse, ipsum permissurū non fuisse, vt Iudæi, atque discipuli credidissent; ipsum de ea locutū fuisse. Quò fit, vt ij, qui cum non audiunt, filij sint non veritatis, sed patris mendacij. At vero patres mei vna mecum attentissime ipsum & audierunt, & crediderunt, nos igitur ex veritate sumus.

246. Item. Directe contra Euangelicæ legis lenitatem foret, vt solis signis, atq; figuris, æternæ mortis comminationes adne-

aduectantur, præsertim cum lex vetus, multo rigidior, nihil huiusmodi sibi annexum habeat: Quò fit, vt omnino mihi persuasum habeam, nunquam huic sacramento, istiusmodi æternæ mortis comminationem in eos, qui indigne illud reciperent, adnectendam fuisse, nisi verū filij Dei corpus in eo realiter præfens esset, quemadmodum ipsius verba abfide fatis denotant, ob cuius realem corporis præsentiam, rara quædam ac singularis reuerentia, tãtis cum minis exigitur: Atque hæc consideratio, si diligenter expendatur, mire persuasua est.

Et hanc quoque rationem nota diligenter: Nempe quod Moyfes ex Dei cōfortio, atque colloquio corpus vsquæ ad eo gloriosum habuerit, vt vetus ille populus ipsum intueri non posset. Vnde & faciem suam velo quodam obtegere debuit, quia alioqui populus ille, neque ei appropinquare, neque ipsum conspicere potuisset. Quid nos igitur de gloria corporis CHRISTI, cum diuinitatē iam realiter vniti, ac prorsus in gloriam absorpti, dicturi sumus? Profecto, nisi ipse illud corpus suum velasset, atque alia quadam specie, velut aliena quadam cultaret, nunquam illud videre, tantum abest, vt recipere potuissemus. Vnde ipse ad hoc panis, ac vini species elegit, sub quibus obtegeretur.

Atque hic meminimus oportet, omnia veteri illi populo in figuris contigisse. Vnde quod hic de Moyfi gloria refertur, Christi typus est, velum autem illud, obreptionem hanc, sub qua Moyfes noster, nobis per noui testamēti gratiam appropinquat, ostendit.

347. Christus, eos qui corporaliter ipsum viderunt, ac sic realem eius præsentiam habuerunt, Regibus, ac Prophetis illis, qui per fidem tantummodo eum viderant, atque etiam realiter videre concupierant, feliciores esse pronunciat.

Quidā igitur altior in illis, propter corporalem illam præsentiam, atq; in istis, felicitatis gradus est. Nos autem, qui multis post eos sæculis venimus, longe illis vtrisque beatiore esse pronunciat, quod nõ vidimus, & credimus. Id quod verum esse nõ posset, si ipsius per fidem tantummodo, cuiusmodi Reges, ac Prophetæ illi habebant, præsentiam habere-

mus. Nos igitur vt Regibus ac Prophetis illis beatiore simus, realem ipsius præsentiam habemus, ceterum vt plus, quā Apostoli mereri possimus, ea inuisibilis est.

348. Eximiam hic ob oculos rationem subiiciam, quæ pio cuilibet lectori, non minus, quam mihi ipsi abunde (scio) faciet satis, modò attenta mente reuoluat. Ea autem ex his CHRISTI verbis sumetur, Nõ veni soluere legem, sed adimplere. Quam vtique rationem, vt cōmodius intelligere possimus, diligenter notandum est, primum omnium parentem nostrum Adam, furem extitisse, quā nimirum è patris cœlestis sui horto, pomum quoddam sibi vetitum furto abstulit, ob quod sane furto, diuina sic exigente iusticia, non modo corporali, verum etiam æternæ morti adiudicatus fuit. Ceterum vnigenitus Dei filius misero homini sic condemnato, pie condolens, sententiæ in eum latæ sese opposuit; spondens se diuinæ iusticiæ pro illa hominis offensa, abunde satisfacturum, cõ vsque seipsum demittens, atque offerens, vt ipse homo fieret, atq; inter duos fures, quasi eorum princeps ignominiose suspenderetur, quo sic nimirum debitas furto illi pœnas lueret. Hac itaque ab eo sponcione facta, scelestus ille Adam, in diuinam misericordiam, ea conditione receptus est, vt tempore ad hoc presinito, ille benedictus Dei filius, mortem ignominiosam, quam furcifer ille Adā promeruerat, subiret, atque sic homo factus, omnem, quam ille generi nostro inuenerat, noxam repararet. Vnde ex eo tempore, Deus Optimus Max. statuit, ac lege promulgauit, vt eius filij in effigie, ac typo sacrificaretur, atq; occideretur, donec ipse in mūdum veniens realiter, atque in propria persona occideretur. Quamuis autem hac Dei sententia, ac lege promulgata necessarium fuerit, vt ad placandam Dei iram, quotidie ipsius filius per varia sacrificia, veluti in typo, ac figura immolaretur, id tamen ad illā Dei legem explendam, nullo pacto sufficiebat, nisi tempore etiam ad id constituto, ipse CHRISTVS immolatus fuisset, ac proprium corpus suum, imò se ipsum in propria persona ablatis omnibus typis ac figuris illis, eorum loco constituisset, quod vtique faciendo, distam legem,

legem, atque Dei sententiam non euacuauit, neque irritam fecit, sed adimpleuit potius. Ceterum ratio hæc exemplo à legibus sumpto clarior fiet. Nam iuxta leges cum quis malefactor absens morte condemnatur, is in effigie, ea conditione suspenditur, vt si vsquam comprehendi queat, eius effigies amoueat, ac ipse personaliter in eius locum reponatur, quod cum fit, sententia in eum lata perfecte expletur, quæ alioqui ex parte tantummodo executioni data erat: Nunc autem vt ista proposito nostro applicemus, Christus in veteri lege per varia sacrificiorum genera, in effigie, ac typo sacrificabatur. Deinde ipse in effigie suspensus fuit, cum Moyses in deserto æneum serpentem suspenderet, vt populus à serpentum moribus liberaretur, quemadmodum ipsemet Christus hoc de seipso exposuit, dicens se in cruce exaltari oportere, quemadmodum Moyses exaltauerat serpentem in deserto. Ad hæc ipse in manna, in agno paschali, ac pluribus alijs in cibis, tãquam in effigie comestus fuit: Ceterum nunc, vt lex impleretur, ad manducationis huius effigiem atque figuram è medio tollendam, realiter ac opere ipso comedi debuit, non secus atque ipsum, re ipsa, in propria persona, in ligno suspendi, atque sacrificari oportuit, quo sic nimirum omnia illa, quæ in effigie atque figura de ipso (donec verum istud sacrificium veniret) in veteri lege fiebant, consummarentur. Dico proinde, quod legem ipse non adimpleuisset, si carnem suam, per signa, & figuras tantummodo, hominibus in cibum dedisset. Quæ cum ita sint, irrefragabiliter concludo, quod agni paschalis ceremonias remouendo, quibus ipse in effigie comedebatur, ipsum re ac opere proprium corpus, & sanguinem suum, hominibus exhibuisse, tam vt ea ipsis, in vitam cibum deinceps forent, quàm vt quicquid de ipso scriptum, atque præfiguratum erat, perfecte adimpleret. Vnde non absque graui causa Maiores nostri crediderunt, ipsum antiqua illa signa, typos, & figuras, è medio sustulisse, vt eorum loco, alia reponeret: Id quod nequaquam profecto legem adimplere, sed euacuare potius fuisset. Ideo proinde illa sustulit, vt pro ijs verum corpus suum reponeret: tum verò vt ea de re confirmatos nos

Nom. 12.

faceret, quam in cruce clamans afferbat, dicens: Consummatum est. Argumentum hoc valde pregnans est, ac prorsus tale, quod illi Christi expositioni innitatur, qui huic consequentiæ nostræ similem faciebat, cum diceret: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.

349. Ratio hæc, ex magno quodam miraculo sumitur, quod ad fidei nostræ confirmationem, quotidie præ oculis certimus, quo sane miraculo, omnium a-theorum, atque sacramentarium incredulitas confunditur. Ceterum ingens istud, de quo nunc loquor, miraculum, in eo consistit, quod res quadam plane incredibilis in isto sacramento fiat, quæ nulli vnquam mortalium, humano aliquo medio persuaderi queat, quam tamen generatim omnibus doctis, atque etiam Philosophicis viris, qui & ante Berengarij tempora fuerunt, & qui etiam nunc toto terrarum orbe diffusi sunt Christiani, omnino persuasum esse videmus, tametsi ea interim neque naturalibus vllis rationibus, neque humana vlla experientia ipsis comprobari possit. Istud proinde omnium, quæ vnquam Christus mundo exhibuit, maximum miraculum est, quod & me magis mouet, magisque in fidei Catholicæ veritate corroborat. Quare tantum abest, vt incomprehensibilitas ista me vlllo pacto scandalizet, aut vllum de rebus fidei nostræ dubium mihi ingerat, quin ipsius magnitudo potius, maximum mihi argumentum suppeditet, quo impellar, vt omnes oppositos errores, seu Philosophicos, Epicureos atque hæreticos procul à me incunetanter propellam. Exaggera mihi si lubet, quantum potueris, miraculorum illorum magnitudinem, quæ Deus operatus est, cum mortuos ad vitam reuocaret, leprosos mundaret, coecos illuminaret, solem sisteret, mare rubrum transcurrentibus Israelitis patefaceret, adde & si lubet, vastissimæ totius cœlestis pariter ac terrestris machinæ creationem, omnia illa, quantumuis præclara, quantumuis ingentia sint miracula, nihil tamen esse existimo, cum ipsa ad istud cõfero, quod Christus egit, cum per paucissimos Idiotas, atque illiteratos homines, toto eis mundo, omnibus quibus potuit, viribus repugnante, tam incredibilia, tamque incompre-

comprehensibilia credi compulerit, cuiusmodi ea sunt, quæ in hoc sacramento fieri credimus: Siquidem in mundi creatione, in leprosoforum curatione, in mortuorum suscitatione, nihil Deo obfistebat, nihil & reluctabatur, nihil repugnabat: At hic & diabolus, & tyranni, & Iudæi, & Philosophi, & Oratores, & rei ipsius, quæ persuadenda erat, natura, Dei consilio resistebat, ac omni quo poterat, molimine repugnabat. Eo enim omnes diabolus astutias, fraudes, dolos, atque vires suas contrulit, eò & omnes totius mundi Principes, tyranni, Reges omnia armorum potentiaque suæ machinamenta mouerunt, eò omnes Philosophi, & Oratores quicquid ingenij, quicquid sapientia, quicquid scientia, quicquid subtilitatis, quicquid eloquentia ac facultatis habuerunt, studiosissime contulerunt, vt præpedirent quominus tam incredibilia hominibus persuaderent pauci quidam piscatores, homines simplices atque idiotæ, qui è ciuitate Hierusalem egressi fuerant, vt vniuersum orbem istiusmodi fidei, Religionique subijcerent: Atque ideo illi vt nascentem huiusmodi fidem, in ipsis adhuc (vt aiunt) cunis suffocarent, istos piscatores, atque eorum successores annorum spatium, atque eo amplius persecuti sunt, acerbissimeque vexarunt. Verum enimvero, tantum abest, vt ipsi immanibus illis persecutionibus, atque tormentis suis, quicquam promouerint, aut istos à cepto semel opere deterruerint, vt ipsi potius omnium primi horum piscatorum retibus, atque tendiculis irretiti fuerint, ipsi primi arma proiecerint. Ipsi non modo philosophia, ac naturæ, verum etiam omnibus naturalibus sensibus suis renunciarunt, vt hæc tam incredibilia, atque adeò inuisibilia, nulloque per naturam, modo apparentia crederent. Crediderunt autem, non aliqua armorum violentia ab istis simplicibus viris concussi, neque vllis præsentis vitæ commodis illecti, neque aliqua carnali, aut Epicurea libertate promissa, sed solo dumtaxat DEI verbo simpliciter ab illis proposito. Et vnde tanta (quæso) piscatorum illorum verborum energia? Vnde tanta vis? vnde tanta efficacia? (quam & quotidie

experimur) inesse poterat? Vnde (inquam) nisi à Domino Deo? Ipse enim illorum prædicationi, infinitis quodammodo prodigijs, atque miraculis cooperans, inimicissimos quosque DEI verbo, ac maxime rebelles, ex nolentibus volentes, & ex inobedientibus obedientes faciendo, tandem credere compulit, ac ita credere compulit, vt flagrantissimo postmodum animi ardore, hanc rerum incomprehensibilem doctrinam, quàm prius impugnabant, atque ludibrio habebant, suo sanguine, mortem intrepide oppetendo, signare parati essent. Quod si quis cõqueratur, nulla hodie amplius fulgere miracula, aut de ijs, quæ in veteribus hystorijs facta legimus, dubitet, istud vnicum, quod ob oculos nostros quotidie contemplandum versatur, abunde ei sufficere potest, imò verò & debet. Neque enim negari potest, quin ante Caluinum isthæc incomprehensibilia totus fere mundus amplecteretur & crederet, imò verò si etiam nunc hodie Christianus orbis peragretur, innumeri quodammodo populi repererentur, qui hæc eadem & firmissime credant, & ad mortem vsque confiteri non dubitent. Neque rursus negari potest, hærum rerum fidem istiusmodi naturæ esse, vt neque philosophia, neque experientia vlla probari queat: Perpicuum igitur est, hanc non ab alio, quàm ab ipso Deo, prodigijs, atque miraculis, per spiritus sancti virtutem cooperante, hominibus persuasam fuisse. Quocirca secure eam, Maiorum nostrorum vestigijs inherentes, credere possumus, nihil, propter naturalem ipsius incomprehensibilitatem offensus, quia incomprehensibilitas ista, qui si quis eam bene digerere nouerit, plus ei, ad recte credendum conferet, quàm vllum aliud, quod vnquam Deus operatus est, miraculum. Ego vero inter cætera Dei opera, nullum hoc vno prodigio, quod magis admirer, quodque maiorem in recta fide confirmationem, mihi suppeditet inuenio. Imò verò (vt ingenue hic quod sentio confitear) ex eo tempore, quo in huiusmodi contemplatione, me exercere cepi, nulla vnquam ratione commoueri potui, vt vel in minima quidem re incomprehensibili, quæ de hoc sacramento di-

citur, dubitare poterim, quin potius, quanto magis admirandam hanc incōprehensibilitatem contemtor magis, ac magis, in fide mea confirmor, sicque in Dei laude, atque gratiarum actione, dulciter me rapi sentio, lætus cum Regio Propheta concinens: Quam magnificata sunt opera tua Domine? omnia in sapientia fecisti, & Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus. Quod reliquum est, Lectorem obnixè deprecabor, vt rationem hanc, quam attentissime legat, atque diligenter expendat, id enim si fecerit, abunde inueniet, & vnde sibi ipsi satisfaciatur, & impiorum Atheorum, Epecurorum, Hæreticorum, Iudæorum, atque Paganorum, qui & fidem nostrā, ac eius mysteria irident, ludibria, atque scomnata contemnat. Qui cum in reprobum sensum dati sint, sortis ipsorum misereor, atque Deum ter maximum obtestor, vt eos illuminare dignetur, quo & errorem suum, atque ineffabilia Dei beneficia, quæ ipsi magno malo suo irident, agnoscere tandem valeant. Sed nunc alia argumenta, atque rationes nostras prosequamur.

330. Adhæc, illud vnum, inter cætera, vt ab aduersariorum sententia totus abhorream, atque eam omnino detester, magnopere me mouet, quod mihi credendum esset, nihil penitus in hoc sacramento esse, si literalem horum verborum sensum, Hoc est corpus meum, deferere compellar. Nullum etenim aliud Dei, aut Ecclesiæ verbum est, quod aut me doceat, aut indubitanter mihi afferat, quænam sit res inuisibilis huius sacramenti. Quo fieret, vt nihil prorsus credere teneret, quandoquidem nemini credere teneor, nisi ei, qui ex literali verborum illorum sensu, mihi ostenderit, quænam inuisibilis huius sacramenti res sit.

331. Item. Cum nullum aliorum sacramentorum esse perspiciam, quin expressum aliquod Dei verbum habeat, ex cuius literali sensu, ipsius res inuisibilis intelligi possit, de hoc quoque idem credere compellor. Verum si istud, (Hoc est corpus meum) atque his similia Dei verba relinquuntur, nullum prorsus reperire fuerit, ex quo certo intelligas,

quidnam Deus sub hoc sacramento hominibus donauerit: Nusquam enim scriptura de signis, figuris, spiritualitatibus, aut consimilibus loquitur.

332. Item. Simpliciter hac in re Deo credere, nullum omnino credenti, aut periculum, aut detrimentum adferre potest: Nam qui ita credit, nihil quod diuinæ sapientiæ, bonitati, clementiæ, veritati, honori repugnet, credit. At verò in non credendo, magnum lubest periculum, eo quod tam multa Dei verba, totiesque repetita omnino contemni videantur. Ergo longe tutius fuerit, credere, præsertim cum hac in re, non alij, atque ipsi Deo, ac eius verbo fides habeatur, Hæc ratio admodum solida est: Nam cum ita credendo, nihil (vt modo dixi) periculi sit, quin potius contrā, nō credendo, ingenti nos exponamus discrimini, cumque in rebus dubijs, id quod vero similius est, amplectendum sit atque retinendum, eius equidem opinionis sum atque sententie, vt vnusquisque etiam si (quod impossibile est) errare deberet, huiusmodi Dei verbis confidenter credere permittatur.

333. Quid quod de illorum verborum, quæ pro Dei verbis aduersarij nobis conantur obtrudere, veritate, aut certitudine nullo modo constat? Certum est autem, ac omnino indubitatum, Christum dixisse, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Stultissimi igitur, ac maxime temerarij hominis esset, certū, pro incerto relinquere.

334. Adhæc equidem magnopere commoueor, cum longe absurdissimos aduersariorum errores pressius mecum expendo, præsertim verò, cū hinc dicentes eos a deo, bellā illā ipsorum fidem, veram corporis Domini substantiam, in coena sua ipsis exhibere, inde nullo modo fieri posse, vt corpus illud alibi, quàm in cœlo existat. Hæc enim cum dicunt, magnopere me mouent, vt ipsorum argutijs repugnem. Quid enim aliud est, rem aliquam, nulla omnino potentia alibi, quàm in cœlo esse posse, nisi prorsus fieri nullo modo posse, vt ea in ipsorum coena existat? Qui sic loquitur, quid aliud agunt, nisi vt simplices ac miseros, quos suis tendiculis captos, quasi quibusdam cassibus implicarunt, verbis

verbis illudant? Nisi forte nos omnes fungos, stipites, plumbeos arbitrantur. Quò fit, vt in istorum discipulis cæcum, atque reprobum quendam sensum nulla in re clarius, quam in ista perspiciam, cum ij huiusmodi magistrōs suos rantopere admirantur, atque etiam fidem eis adhibent, posteaquam tam sibi ipsi repugnantem doctrinam, ex illorum ore audierint.

335. Paucis. Oportet, vt sacramenta nostra, ipsius verbi Dei solidum fundamentum habeant, quorum veritas non hominum verbis, cogitationibus, ac coniecturis nititur, sed ipsius Dei verbis fundata consistit. Vnde vulgo dicimus, vniuersam Ecclesiam, ne vnum quidem nouum sacramentum instituere posse, eo quod hoc soli Deo reseruatū sit. Nos omnium profecto mortalium miserissimi essemus, si aliunde, quàm ex claro, & aperto Dei verbo, nobis excogitandum foret, quidnam in præcipuo, excellentissimo omniumque maxime necessario sacramento habeamus: Nihil autem certi habereimus, si omnia cœnæ verba figurate, ac mystice exponerentur. Sensus enim mysticus, incertus, varius, ac talis omnino est, vt de rei alicuius veritate confirmare nos minime valeat, quemadmodum in varijs huius libri locis ostendimus. Vnde nulla certe (si ita esset) sacramenti huius fides haberi posset, nam quicquid tandem aduersarij garriant, posteaquam literalem huius verbi Dei, (Hoc est corpus meum) sensum semel respuerunt, non nisi puræ hominum fictiones, cogitationes, somnia, traditiones sunt. Quò fit, vt nec certi quicquam de hoc sacramento ipsi habeant, nec quisquam ex eorum doctrina, de salute sua certò confidere possit. Quocirca, aut sacramentum istud nihil penitus esse concludo, aut, si aliquid est, vt re vera est, certum aliquod Dei verbum habeat, necesse est, super cuius literalem sensum, tãquam super solidissimo quodam fundamento stabiliri possit. Vt & sic nos quoque certi esse valeamus, quænam ea res inuisibilis sit, quæ in illo continetur. Nullum autem aliud Dei verbum inueniri potest, præter illud, quod CHRISTI carnem, corpus, & sanguinē esse dicit, ex cuius literali sensu, quænam istiusmodi res sit cōprobari queat.

Necessariò proinde consequitur, ea Dei verba literaliter exponenda esse. Neque enim decet, vt tam magnum sacramentum, ex quo vera hominum vita atque mors pendet, incertum, & absque stabili aliquo fundamento existat. Atqui hæc sane ratio non minus necessariò, quàm efficacissima quæque Mathematica demonstratio concludit, quemadmodum quilibet in re Theologica vel mediocriter saltem versatus, haud difficulter animaduertere poterit. Vnde facile perspicis (candide Lector) quam solido fundamento, vero scilicet, atque ineffabili Dei verbo, Maiorum nostrorum fides nixta subsistat.

336. Quæ cum ita sint, satis equidem inauditam illam aduersariorum nostrorum impudētiā admirari nequeo, quæ asserere eos non pudet, nos absque vlla verbi Dei auctoritate, imò cōtra expressum (vt ipsi aiunt) Dei verbum affirmare, CHRISTI corpus in hoc sacramento esse, cum nihil interim sit, quod & nos, & Maiores nostros ad id credendū, magis impellat, quam hoc ipsum DEI verbum. Ipsi enim recte norunt, neque vllis rationibus philosophicis, neque vllō sæcularis eloquentiæ flumine, aut vehementia, neque vllō bombardarum, aliorumve armorum terrore, aut violentia, neque vllis rerum temporalium promissionibus, ad id credendum, Maiores nostros adductos fuisse; sic est tamen, vt hæc tam incredibilia, sic ipsi crediderint vt in istiusmodi fidei confessione, atque propugnatione, mortem maximo cum gaudio oppetierint. Vnde igitur, vt eam tam perfectè crederent, impelli cogique potuerunt, quam ex ipso Dei verbo, ac miraculorum illorū magnitudine, quibus Deus Optim. Max. admirabili, atque incredibili Apostolorum, atque eorum, qui ipsis in hodiernum vsque diem successerunt, doctrinæ cooperabatur, eamque confirmabat? Quod si non ita est, eos vt vnde id factum fuerit, mihi dicāt, Hinc, ad annos etiam centum ipsis excogitandum relinquo. Nos interim rationibus nostris, quibus & Maiorū nostrorum fidem, nihil aliud quàm purum, atque expressum Dei verbum esse, & aduersariorum doctrinam, cum ipso DEI verbo pugnare monstrauimus, sinē imponemus. Te igitur (pie Lector) quantum

tum in me est, vehemētissime obtestor, vt pro maioribus nostris sententiam ferre non dubites, eosque à magno illo erroris, atque Idololatriæ crimine, cuius & ipsorum aduersarij, rebellesque filij falsissime, atque iniustissime, eos accusauerant, & temerarij eorum iudices leuissime condemnauerant, vindices.

*Peroratio.*

**H**ANC prouinciam susceperamus, amice Lector, vt in hoc priori tomo, ex puro Dei verbo cum Maiorum nostrorum de reali corporis CHRISTI in Eucharistiæ sacramento præsentia, fidem comprobaremus, tum etiam vt panis in verum CHRISTI corpus mutationem, ipsi veritati, ac Dei verbo consonam esse ostenderemus, quibus recte ostensis, atque declaratis, omnes erroneæ aduersariorum opiniones falsæque sententiæ in fumum fauillamque vaneferent. Cæterum quàm recte hoc præstiterimus, tui nunc officij fuerit, omni priuato affectu seposito iudicare. Quod vt commodius exequi valeas, tecum (quæso) repete, ac pressius expende, quàm multa, ex omnibus Euangelistis, atque beati Pauli Epistolis, pura Dei verba, ad id comprobandum, protulerimus. Deinde verò animaduerte, quàm multas ex eorum circumstantijs rationes collegerimus, tum vt verum, atque genuinum eorum sensum pro nobis facere ostenderemus, tum vt vanas aduersariorum opiniones stirpitus elideremus. Tantam etenim argumentorum multitudinem copiamque produximus, vt eorum numerus ad 336. excreuerit. Quod si aduersarius vnum aut alterum, pro se, Dei verbum tam purum, quàm nos ex verbi Dei fonte hausimus, obtineret, aut si vnam, alteramue tantæ soliditatis rationem excogitare potuisset, quis eius (quæso) iactantiam sustinere? quis inanem ipsius gloriam ferre possit? Quor verborum plaustra produceret? vt victoriam suam exornaret? imò vt triumphum caneret etiam ante victoriam? Nam si ille, qui propter vnicum (significat) aut propter vnum (nequaquam) quod ipse verbo Dei ineptissime affingit, aut propter impuras additiones suas, tam elatus, atque adè impudens est, vt de puro DEI verbo audeat gloriari,

quid non facturus esset, si ex tam copioso quem superius recensuimus, verborum Dei numero, vnum, aut alterum haberet? Et si is, qui per suum non est, verbo Dei ex diametro repugnās, victoriam à parte sua stare vociferatur, ac perstrepat, quid non faceret, quid non diceret, si vel vnicum saltem Dei est, pro se obtineret? Et si ipse nunc, cum nullum omnino pro se, purum Dei verbum habeat, tanto fastu, atque arrogantia, omnium antiquorum Ecclesiæ Catholicæ Magistrorum auctoritatē respicere præsumit, quanta temeritate, quanto animi supercilio despiceret atque calcaret eos, si vel vnicum pro se consequutus fuisset? Expende ergo diligenter candide lector, quàm multa Dei verba pro nobis habeamus? Expende, quemadmodum omnia, quæ contra dici poterant, argumenta subuerterimus, atque e plane sophistica esse demonstraerimus. Memineris quoque, bonam eorum Dei verborum partem, quæ nos citamus, in eodem, quem nos sequimur, sensu, ab ipso CHRISTO exponi. Memineris etiam, quemadmodum ostenderimus, infinitam illam mysterij huius incomprehensibilitatem, nullo te pacto scandalizare, aut quo minus pro nobis sententiam feras, remorari debere; quin ea potius pro omnium fidei nostræ maxima confirmatione esse debet. Considera insuper, quemadmodum, nihil aliud contra nos aduersarius, quàm additiones suas, quas ipse Dei verbo affinxit, inferat: Non enim ex hac propositione, Hoc est corpus meum, quæ purum est Dei verbum, sed ex ista, Hoc non est, sed significat eius corpus, nos oppugnare, suamque sententiam confirmare conatur. Neque hanc utique, Caro mea verè est cibus, quæ & ipsa quoque purum Dei verbum (est) cōtra nos profert, sed istam potius: Figura carnis meæ verè est cibus, quam totam ipsorum additionibus atque etiam immutationibus conspurcatam vides. Id quod diligenter in his, atque alijs similibus adnotabis. Adhæc illud peculiariter argumentum recole, quo testamenti Dominici verba in sensu literali accipi, atque ad ipsius literæ radicem exponi debere monstrauius, e rationum nostrarum superius positarum est. Illud vnicum siquidem argumētum,

tum, abunde sufficit, vt nostram, imò antiquorum Ecclesiæ Magistrorum expositionem probet, quin imò ipsa eam tan topere confirmat, atque corroborat, vt aduersus omnes inferi portas confidenter stare audeat.

Præterea sedulò obseruabis, quemadmodum nihil Dei verbis adijciendum, detrahendumue sit, nihil in vlla earum parte mutandum, neque fidem nostram aliter prædicandam esse, quàm ab Apostolis nobis euangelizata sit. Nunc igitur (quæso te) anne, hoc est, ipsum Dei verbum immutare, cum pro est, significat, pro corpore figura, pro carne spiritus collocatur? Nonne hoc illi est detrahere, cum corpus auferretur, vt eius loco vbra ponatur? cum veritas tollitur, vt figura pro veritate substituatur? Nonne hoc est addere, cum Dei verbis, puri alicuius hominis (non est) aut eius significat mittetur? Et ille, qui pro, Hoc est corpus meum, prædicat nō eius corpus, sed ipsius signum, ac figuram tantum modo esse, nonne is longè aliter prædicat, atque euangelizat, quàm Apostoli, qui omnes vno consensu scripserunt, atque prædicarunt, CHRISTVM in cœna dixisse, Hoc est corpus meum, maxime cum eorum nemo plane inueniatur, qui prædicauerit, Christum ibi de signis, aut figuris locutum fuisse? Num igitur dicturus es, cum, qui sic docet, purum Dei verbū prædicare? Nunquid huiusmodi verba humanis additionibus sic permixta, atque inuoluta, pura Dei verba esse possunt? Minime profectò. Patere (quæso) pie Lector, vt hic, coram te cum pestifero illo Berengario, primo omnium detestandi huius erroris auctore, ac magistro, Paulo liberius agam, tum enim velit, nolit, hoc quod dicimus, verum esse perspicies. Te igitur compello, te alloquor, o summe Dei, ac verborum ipsius inimice, omni dolo, atque fallaciâ plene, dic sodes, dic (inquam) mihi, ac veritatem ipsam libere confitere, est ne hoc DEI verbum: Hoc non est, sed significat corpus meum, vel, Hic nō est sanguis meus, sed eius signum. Panis, quem ego dabo, non est caro mea, sed eius figura. Caro mea, non verè sed spiritualiter tantummodo est cibus? Assigna marce tabellas: Dic quibus in terris, cum librum reperis, in quo huiusmodi verba sint scri-

pta diuinitus. Dic (inquam) nobis, aut quādo, aut vbi, aut à quō ea scripta sint? Quis Propheta? Quis Euangelista? quis Apostolus sic vnquam locutus est? Quid hæres? Cur obmutescis? Nonne conicientia tua mendacij te reprehendit? Nonne ea te manifesti corruptoris crimine conuincit? Tu verba ab ipsa Dei sapientia dictata, Dei que digito scripta corrigere audebis? Tu illius testamenti verba, quod proprio filij Dei sanguine obsignatum est, immutare præsumes? Tu vsque adè improbus, atque impius eris, vt signa & figuras, tuumque mirificum illud (significat) purum Dei verbum esse asseuerabis? Dic o impurum, ac scœlestū caput, estne istud purum Dei verbum, Hoc nō est, sed significat corpus meum? Hic non est, sed, significat sanguinem meum? Sed quomodo hæc pura Dei verba esse possunt, postquam impuris additionibus, immutationibus, corruptionibus tuis, sic cōspurcata, infecta, deprauata sint? Vnaquæque enim res, tum demum sane pura dicitur, cum nullis alijs permixta, solitaria, ac ab omnibus segregata est. Tu igitur ea Dei verba, quæ non solitaria adfers, sed quibus speciosa illa verba tua, significat, signum, figura, Spiritus, adieccisti, quæ & impuris istis additionibus tuis ita sordidasti, coinquinasti, commaculasti, pura verba Dei esse dicis? An vsque adè impudens eris, vt ista Dei verba, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur, quæ nos solitaria, ab omniq; humano verbo segregata proferimus, pura Dei verba esse negare audebis? Quæ est ista (quæso) loquendi licentiâ? Quæ est hæc tam effrons, tam inuicricanda præsumptio, quæ sic euomere audeat, quicquid lubeat? Sed patere (amice Lector) vt & istorum discipulis, quos hic circumstantes video, vel vnicum verbum loquar. Vos igitur nunc conuenio, vos appello, vos (inquam) qui quondam & dilectissimi fratres, & singulares amici nostri fuistis, at nunc vero, nescio quo spiritu maligno seducti, vt fratrum vestrorū inimici efficeremini. Vos (inquam) qui huiusmodi estis, nunc conuenio, dicite mihi, qua vi verborum, quo eloquentiæ fucō, sic mentis vestræ oculi effascinari potuerūt, vt verbis mendacij tam facile crederetis, quib⁹

isti vaniloqui vobis persuaserunt, ea verba, quæ illi impuris additionibus suis cõtaminarunt, atq; foedarunt, pura Dei verba esse, et illa, quæ nos, solitaria, ac ab omni verbo humano seiuncta proferim, non nisi humanas, atq; Papisticas traditiones esse arbitramini. Vnde tâta (inquam) oculi vestri caligine offunduntur, vt in tanto lumine nihil videatis, sed vt tenebras potius lucem, ac lucẽ tenebras putetis? Nihil (mihi credite) sic animum meum angit, quàm quod pestiferos seductores istos, ita vobis imposuisse videam, vt purum Dei verbum, à non puro amplius discernere nequeatis. Nõnne etenim vera hæc mentis vestræ fascinatiõ est, cum posteaquam verum Dei filium clamantem, atq; dicentẽ audieritis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, statim nescio cuius Beza, imò bestia potius contradicenti, Hoc non est, sed significat sanguinem meum, non modo fidem adhibeatis, verum etiam hinc illius bestia verba, tanquam purum, atque diuinum quoddã oraculum amplectamini, inde verò ipsius Dei verba tanquã impura, atq; polluta reijciatis? Neque enim negatis, Christum sic quemadmodum modò diximus, locutum fuisse, neque rursum negatis, eum nunquam istiusmodi sermonis genere vsum fuisse, quo bestia illa vtitur, attamen ad vnus impuri hominis verba, ita vobis imponi finitis, vt statim contrã, quàm Dei verba manifeste præ se ferunt, credendum putetis? Quis tantam igitur mentis vestræ fascinationem non magnopere miretur? quis non abhorreat? quis non detestetur? Expergiscimini tandem, expergiscimini (quæso) & quoniam vos iuxta purum Dei verbum viuere velle gloriamini, re ac opere præstate, quod verbis promittitis. Illud pro puro Dei verbo suscipite, quod nullis hominum additionibus permixtum, aut contaminatũ fuerit, nõ secus, atq; illud pro puro vino sumitis, quod nulla, aut aqua, aut alterius cuiusquam liquoris admisione confusum est. Cæterũ quid ijs, qui ita vobis imposuerunt, atq; vinum mixtum pro puro vobis vendiderunt, quiq; fucatũ, atq; suis ipsorum additionibus pollutũ, DEI verbum tradiderunt, agendũ est? Hoc iudicet æquus lector, atq; tam abominan-

dum scelus cõsoria virga feriat. Interim dubium mihi nõ sit, quin si Deus, miserorum istorum oculos suã quandoque clementia aperuerit, mihi (inquam) dubiũ non sit, quin istiusmodi nephandos impostores suos, maximo in horrore habituri sint. Verum, quo modo cum falsis istis Maiorum nostrorum accusatoribus, fratrumq; seductoribus agam? Quo iure? quauẽ lege eos tractabo, maxime cum infelicissimis hisce temporibus, toto Christiano orbe exulet iustitia, fileat leges, omnia inra iaceant, solaq; regnet impia quãdam quicquid male lubet, agendi licentia? Ad cuius ergo iudicis tribunal eos citabo, vt dignam factis suis condemnationis sententiam suscipiant? Ad summumne Pontificem eos cõpelabo? Sed illum nihili pendunt. Ad quẽ igitur? Ad Regem? At is iam istos nec vi, nec armis, nec vlla potentia domare potest: Scio igitur quid faciam, nempe ad D. Pauli tribunal eos euocabo: Nam cũ ipsi eum à sua parte stare, toties gloriantur, ipsius iudicium, eos puderet subterfucere. Adde quod & ex parte nostra, tam nos, quàm Maiores nostri, eum pro vero, ac legitimo iudice lubenter recepturi sumus, quippe quem isti controuersia finem optime impositurum esse nõ dubium est. Ipsius igitur sententiã vtrique stem? Dic nobis ergo ò beate Paule, preciosum vas electionis. Num aliquando euangelizasti, Christum in cœna dixisse, cibũ illum, quem ipse Apostolis suis, in illo sacramento porrigebat, signum tantũ modo, & non verũ illud corpus, quod pro nobis mortẽ subiit, fuisse? Num aliquando scripsisti, eũ ibi de signis, figuris, spiritualitatibus, atq; alijs id genus portentis, & nõ potius, de proprio corpore suo locutum fuisse? Ecce enim Berengarius quidam, ac nescio quis minister Bezanus, bestianus dicere volebam, qui p̄dicat, atq; euangelizat, te dixisse, Christũ sic locutum fuisse, eaq; pura eius verba esse, Nunc ergo quid tibi videtur? Verũne dicunt isti an non? Tuam nobis cœlitus profer sententiã, fortassẽ enim cum illam audierint, pristini eos erroris penitebit. Quantũ ad me attinet (inquit ille) *1. Cor. 11.* ego scripto vobis tradidi, quod à Domino acceperam, dixiq; vobis, Dominum Iesum in ea nocte, in qua ipse traditus fuit, acceptum panem benedixisse, ac de-

inde

inde dixisse, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur. Dixi quoq; vobis, eũ qui hoc sacramentum indigne suscipit, Christum in proprio corpore, ac sanguine suo offendere, & hoc ideo, quia ipse ibi verum corpus, & sanguinem eius realiter esse non credit. Hæc (inquam) atq; alia huiusmodi verba vobis, & dixi, & euangelizavi, eaq; à Domino me accepisse testatus sum. Illa verò plane contraria, [Hoc non est eius corpus, sed ipsius signum. Qui manducat indigne, non corpus Domini, sed eius signa, & figuras tantummodo offendit, videte vnde sint, & caute, ne huiusmodi impijs vocũ nouitatibus seducamini. Quod vero ad Berengarium istum, ac eius symmistas ac socios pertinet, qui non in me solum, verum etiam in Dei filium iniqui mentiti sunt, dicentes, eum sic locutum fuisse, ac me sic euangelizasse, iam pridem ab ipso CHRISTO & maledicti, & condemnati sunt, eò quod sic impudenter, eius verbis adijciant, & quãtum ex parte mea est, ego eos excommunicauit, & anathematizavi, certusq; sum, sententiã meã iam in cœlo confirmatam esse, cum à Christo, omnium nostrũ magistro, nobis dictum sit, quod quicquid in terris ligauerimus, in cœlis quoq; ligatum fore. Epistolæ meas diligenter reuoluite, & meam excommunicationis sententiã, quã ne ab ipsis seduceremini, in eos protuli, reperietis, vbi dixi. Stiq; vobis aliud euangelizauerit, quàm euangelizauimus vobis, tamen etiam angelus fuerit, anathema sit. Videte igitur an non longe aliter aduersarius vester Berengarius vobis euangelizet, quàm ego. Nunquid vnquam vobis prædicauit, Christũ dixisse, Hoc non est, sed significat corpus meum, vel, Hoc est signum, seu figura corporis mei? Ego diserte semper vobis dixi, hoc esse Domini corpus, corporisq; eius communicationẽ. Nõnne illi, proinde, longe aliter, quàm ego feci, vobis euangelizant? Quid enim ab est, magis potest esse diuersum, quàm nõ est, à corpore, quàm nõ corpus? à veritate, quàm figura? Quid magis affirmationi, quàm eius cõtradictoria negatio repugnare potest? seu, hoc est, quàm hoc non est? Quisquis igitur vobis dixerit, Christum dixisse, Hoc non est corpus meum, sed eius signũ, anathema sit. Quisquis vobis dixe-

rit, Panẽ quẽ frangimus, corporis Domini communicationem non esse, Anathema sit. Neq; ego enim, neque quispiã confratrum meorum, aliorum scilicet Apostolorum, aut Euangelistarum, sic vobis vnquam prædicauimus. Anathema igitur omnibus Berengarianis, Calvinistis, Bezanis, omnibusq; eorum fautoribus, atque sectatoribus. Vobis autẽ fratres in nomine Domini nostri IESV Christi denunciamus, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secũdum traditionem, quam accepit à nobis. En ea est beati Pauli sententiã, iuxta quam Berengarium ac omnes eius sequaces excommunicatos esse, perspicuum est. Cumque ea sententiã in cœlo approbata sit, manifestũ est, neminẽ vnquã certius illis excommunicatũ fuisse. Eos igitur, tanquam huiusmodi quisque fugiat, seque ab eorum societate seiuungat, ac segreget. Quamquam enim hæretici, successorum Petri, & Pauli, Romanorum scilicet Pontificum sententiã hodie contemnant, illam tamẽ B. Pauli, qui eos, q̄ ipsius verbo, atque prædicationi rebelles essent, Satanæ tradẽdi habuit potestatem, excommunicationis sententiã effugere nullo modo possunt. Ab hac siquidem nulla appellatio est. Hanc effugiendũ, nullum aliud remedium est, quàm vt ij, qui Berengario hæcenus adhæserunt, quàm citissime ei renuncient, seque ab eo diuellant, atque ad matris Ecclesiã, à qua nimis (proh dolor) temerarie recesserunt, gremiũ reuertantur, omni si quisque aduersariorum signis, & figuris, purum, quod nobis per Apostolos prædicatum est, Dei verbum amplectantur atque suscipiant. Quod omnibus errantibus, vt Deus Opt. Max. concedere dignetur, immensam ipsius clementiã, quàm obnixissime possum, ac valeo, deprecor & obtestor, Amen.

Vides igitur (amicc Lector) quàm clare, ac solide! Maiorum nostrorum fidem stabilierimus, & quàm iuste defendendam eorum causam suscepimus: Nunc igitur reliquum est, vt eorum aduersarijs dicentibus, nos non purum Dei verbum, sed humanas tantummodo adiunctiones habere, deinceps non ita leuiter credas. Hoc enim cum dicunt, quid aliud agunt, quàm quod vitium, quo ipsi laborant, nobis impinge-

re stu-

Apocal.  
vltimè.

Matt. 18.

Gal. 1.

2. Thes. 3.

re studeant? Nempe illi hoc modo ea, qua primi madefacti sunt, aqua nos aspersione, suumque crimen in nos derivare conantur. Ceterum quod in hac causa tractandum restat, in altero tomo invenies. In hoc siquidem precipuam tantummodo quaestionem tractandam suscepimus, quam dum explicarem, tam numerosa argumentorum, atque rationum multitudine, qua pro veritatis confirmatione nobis sese offerebant, obruti fuimus, ut bonam eorum partem, quam hic elucidare statueramus, in alterum tomum rejicere coacti fuimus. In quo etiam plures (Deo adiu-

uante) pro Maiorum nostrorum fidei confirmatione, rationes adferemus, ac facili quadam Methodo, omnes alias, qua circa materiam hanc occurrere possunt, difficultates resolvemus.

Quod si priorem hunc tomum, alacri animo te excepisse intellexero, operam dabo, ut propediem, & alterum accipias: Obsecro te interim, ut studia, ac labores nostros, benigno favore, ac sanctis orationibus tuis adiuves.

(.)

FINIS ACTIONIS OCTAVAE.

